THESAURUS
DIVITIARUM CÆLESTIUM,
MISERO GENERI HUMANO IN ANNUNCIATIONE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
Et Incarnatione Verbi Filii Dei Patris misericorditer elargitus.

Ex Sententiis Mellifui Doctoris
S.P. BERNARDI ABB. CLARAVALLENSIS,
Ordinis Cisterciensis propagatione Patriarchæ,
Non minùs fidelitèr collectus,
quàm ordinatè compactus.

IN DUAS PARTES DISTINCTUS.
Prima Pars agit de exordio humanæ Salutis,
in Salutatione Angelica exortæ:
Continens expositionem Evangelii, Missus est.
Secunda Pars agit de progressu humanæ Salutis,
in Incarnatione Dominica initiatæ:
Complectens Mysterium & fructum Incarnationis Dominicæ.
Cui etiam annexa sunt XXIV. Elogia
DE PRÆROGATIVIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Opus tàm ipsis Concionatoribus, quàm cæteris Christianis, præsertim piæ devotioni vacare cupientibus perutile ac necessarium:

Compositum operâ & studio
R.P. FR. BERNARDI BOGDANOVITZ POLONI SACERDOTIS Sac. Theol. Doct. Monachi Ord. Cistercien. Monasterii Andreovien. in Polonia, & Procuratoris Generalis Substituti in Urbe.

ROMÆ, Typis Joannis Jacobi Komarek apud S. Angelum Custodem. 1693.
SUPERIORUM PERMISSU.

DEDICATORIA.

A BEATISSIMO PATRI,

ET DOMINO

INNOCENTIO XII.

DEI GRATIA SUMMO PONTIFICI.

b Sacerdoti Altiſſimi. Vicario Chriſti.
c Succeſſori Petri. *d* Locum Petri tenenti.
e Amico Sponſi, Cuſtodi Sponſæ, Paſtori ovium Chriſti.
f Nec modò ovium, ſed & Paſtorum uni omnium Paſtori.
g Orbis Epiſcopo. *h* Non enim pars una,
Sed totus penè Orbis eſt ejus Diœceſis.
i Paſtori & Epiſcopo animarum noſtrarum.
k Romano Pontifici
l Sacræ & Apoſtolicæ Sedis,
m Cui incumbit ſollicitudo omnium Eccleſiarum.
n Sacerdoti Magno
o Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Eccleſiarum Matris:
p Matris & Magiſtræ omnium Eccleſiarum,
q Divinis regalibuſquè privilegiis ſingulariter ſublimatæ.
r Eccleſiæ, inquam, Matris illius,
Quæ ſecum habet conſilium & Spiritum Sponſi & Dei ſui:
Cui Dilectus inter ubera commoratur,
Ipſam cordis ſui ſedem principaliter poſſidens & conſeruans.
s Nimirùm ipſa eſt quæ vulneravit cor ejus:
Et in ipſam abyſſum ſecretorum Dei
Oculum contemplationis immerſit:
Vt & illi in ſuo, & ſibi in ejus Corde perennem faciat manſionẽ
t Sicut Apoſtolica Sedes, ita & Caput Imperii

S. Bernardus Abb. Claravalen. in ſuis diverſis Libris iuxta editionem Horſtii, in IV. Tomis impreſsis Pariſiis an. 1667. A *Epiſt. 189. ad Innoc. II.* b *Lib. 4. de conſid. c. 7. nu. 24.* c *Ep. 189. n. 2.* d *Ep. 238. n. 1.* e *Ep. 161. n.* f *Lib. 1. de conſid. c. 8. n. 15.* g *Ep. 239. n. 1.* h *Ep. ad Innoc. II. relata tom. 6. pag. 1325.* i *Lib. 1. de conſid. cap. 4. n. 5. & Ep. 242. nu. 5.* k *Epiſt. 238. n. 1.* l *Ep. 243. nu. 3.* m *Ep. 374.* n *Lib. 2. de conſid. c. 8. nu. 15.* o *Lib. 4. de conſid. c. 7. n. 24.* p *Serm. de S. Io. Bapt. n. 12. to. 6. pag. 349.* q *Ep. 243. nu. 3.* r *Serm. 3. in Vig. Nat. Dom. n. 2.* s *Ibidem.* t *Ep. 243. n. 2.*

Roma est, *u* Domina gentium, Princeps Provinciarum.
x Plenitudo siquidē potestatis super universas Orbis Ecclesias,
Singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est.
y . Quis vel novissimus in toto sit orbe,
Qui non glorietur hoc Capite?
Quod ambo illi Gloriosi Principes terræ,
Alter amisso alter submisso in Cruce capite,
Suo triumpho extulerunt, suo sanguine ornaverunt.
z Terribilis est locus iste: Terra Sancta est.
Locus Petri est, locus Principis Apostolorum,
Vbi steterunt pedes ejus.

Fr. Bernardus Bogdanovitz Monachus Ord. Cistercien.

QVANTO ad Vos (*A*) BEATISSIME PATER, timore loquar, novit ipse quem timemus in Vobis, vnici (*b*) hujus vestri primatus Auctorem. Deus enim (*c*) constituit vos Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, Orbis (*d*) Lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis. Tu es (*e*) Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Judicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus. Parem (*f*) non habes super terram. Siquidem (*g*) ex privilegio Sedis Apostolicæ constat Summam rerum ad vestram potissimùm respicere summam auctoritatem, & plenam potestatem. Tu es (*h*) cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cœli janitores, & gregum Pastores: sed tu tantò gloriosius quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, Vni unus. Nec modò ovium, sed & Pastorum Tu unus omnium Pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Do-

u *Ep.242.n.3.* x *Ep.131.n.2.* y *Ep.242.n.2.* z *Ep.237.nu.4.* A *Ep.14.* b *Ep.239.nu.1.* c *Ep.237.n.4.* d *Lib.4.de consid.c.7.n.24.* e *Lib.2.de consid.c.8.n.15.* f *Ibid.* ... g *Ep.198.n.2.* h *Lib.2.de consid.c.8.n.15.*

Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos Civitatis aut Regionis aut certi Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Ergo *(i)* juxta Canones tuos alii in partem solicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: Tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, Tu Episcopo Cœlum claudere, Tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum Tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.

Terribilis est quidem *(k)* locus iste. Locus, inquam, in quo stas, Beatissime Pater, Terra Sancta est. Locus Petri est. Verumtamen *(l)* ajunt apud vos plùs valere pauperis precem, quàm potentis vultum. De qua vestra singulari dignatione tam sancta opinio facit me dignitatis Celsitudinem non vereri, quominùs audeam loqui ad Vos, id præsertim quod charitas suggerit, propter eum *(m)* qui elegit vos, & posuit Vos refugium oppressorum, formam *(n)* justitiæ, pietatis exemplar, Christianorum Ducem, Pastorem plebejorum, Magistrum insipientium, pauperum Advocatum, miserorum Spem, Tutorem pupillorum, Oculum cœcorum, linguam mutorum, baculum senum. Vestrum est *(o)* Pater Sancte, tales diligere, tales fovere. Tu *(p)* foves filios Ecclesiæ sub umbra alarum tuarum. Tu es *(q)* Pater pauperum factus, ut *(r)* si se ad vultum fortè potentis (ut assolet) quis senserit prægravari, confugere sibi liceat ad viscera Patris, quod utique hactenùs oppresso nemini negatum audivimus. Familiare est *(s)* Domino nostro & citò intelligere super egenum & pauperem, & facilè misereri. Hoc *(t)* inter cætera vestri singularis Primatus insignia specialiùs illustriùsquè nobilitat vestrum, & inclytum reddit Apostolatum. Nulla *(u)* splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Summi

---

i *Ibid. n.16.* k *Ep.237.n.4.* l *Ep.13.* m *Epist.199.* n *Lib.4.de consid.cap.7.nu.24.* o *Epist.270.nu.5.* p *Epist.388. iuxta editionem Mabilon.* q *Prolog. in lib. de consid.* r *Epist.50.* s *Epist.199.* t *Epist.198.n.2.* u *Lib.2.de consid.c.6.n.13.*

mi Pontificis. Nulla *(x)* in Corona veſtra pretioſior gemma zelo iſto veſtro, quo æmulari conſueviſtis oppreſsos. Manus *(y)* veſtra, Pater Sancte, nullis hactenus vel negata oppreſſis, vel remiſsa præſumptoribus. Capax eſt *(z)* veſter Apoſtolatus rei utriuſque, & zeli ſcilicet & miſerationis. Hoc planè *(A)* dignum Apoſtolatu Veſtro, hoc beneplacitum Deo.

Meritò Eccleſia *(b)* INNOCENTIO concedit ipſius vicem, quem per eadem veſtigia gradientem cernit. Ecce namque CHRISTUS Domini iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. In ruinam inquam *(c)* & reſurrectionem multorum aſcendiſti hanc Cathedram, BEATISSIME PATER. Quidni *(d)* loceris in eminenti, unde proſpectes omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtitueris? Tu *(e)* in ſummo poſitus es apice, ut *(f)* generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua, ſi plebes Clericis, ſi Clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubjecti ſint: ſi in Monaſteriis & religioſis locis ſervetur ordo, vigilet diſciplina: ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat: ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimoniâ Sacerdotum: ſi denique veſtra ipſorum Apoſtolica mandata & inſtituta ea qua dignum eſt ſollicitudine obſerventur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude ſubreptum inveniatur. Ad hoc *(g)* conſtitutus es ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes. Multi audito hoc verbo dixerunt apud ſe: Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœleſtis, tuis manibus eradicetur: Ipſa quoque *(h)* quę Tibi commiſſa eſt, Domini Dei tui ſponſa Eccleſia mutetur in melius. Multi *(i)* item dicunt in corde ſuo: Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit, in quo ſarmenta ſterilia reciduntur, ut ea quæ prævalent, uberiùs fructum afferant. De gloriæ veſtræ *(k)* crebris ſucceſſibus, BEATISSIME PATER, creber nuncius lætificat Civitatem Dei. Multa enim *(l)* bona opera

ra

x *Ep.198.num.1.* y *Ep.156.* z *Ep.257.num.1.* A *Ep.199.* b *Ep.124.num.1.* c *Ep.239.num.1.* d *Lib.2. de confid. cap.6. num.10.* e *Ibidem cap.7. num.14.* f *Lib.3. de confid.cap.5.num.19.* g *Ep.237.num.6.* h *Ibidem num.2.* i *Ibidem. num.6.* k *Ep.150.num.1.* l *Ep.280.*

ra oſtendiſti ſeculo noſtro ex gratia quæ data eſt Tibi. Ipſius eſt enim *(m)* opus, quòd Corona gloriæ veſtræ ita in dies ampliatur & ſublimatur, mirabiliter creſcens & proficiens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Quanta *(n)* fecit Deus animæ tuæ? quanta per te Eccleſiæ ſuæ? quanta in agro Dominico (cælo & terra teſtibus) tam potenter quàm ſalubriter evulſa ſunt & deſtructa? Ager autem *(o)* eſt mundus, iſquè creditus Tibi, Amice Sponſi *(p)* cui cõmiſſa eſt ſponſa Eccleſia Chriſti. Quanta rurſum *(q)* bene ædificata, plantata propagata ſunt? Ut ſalus *(r)* facta hoc tẽpore per vos transfūdatur ad poſteros. Vobis *(s)* pro hoc ipſo laus & gratiarum actio ab univerſa debetur Eccleſia, quia non ſiluiſtis, non diſſimulaſtis, non quieviſtis. Efferbuiſtis ut debuiſtis, percuſſiſtis, ſed ut ſanaretis. Hæc *(t)* atque hujuſmodi digna ſunt veſtro Apoſtolatu, Summam Sedem nobilitant: decent planè Orbis Epiſcopum. Meritò exultat *(u)* ubique & gloriatur in Domino omnis Eccleſia Sanctorum: Congaudens *(x)* & Sponſæ Domini ſuper tam fido Cuſtode: & Sponſi Amico ſuper labore tam fructuoſo. Unde *(y)* & flectit genua ſua ad ipſum unici huius veſtri primatus Auctorem, ut det vobis ſic ſapere, & ſic agere ſemper in evellendo & plantando, in deſtruendo & ædificando. Siquidem *(z)* in ruinam & reſurrectionem multorum aſcendiſtis hanc Cathedram. Ruant, ruant qui noxiè ſtant: erigantur digni. Ponatur ſecuris ad radicem ſterilium plantationum: purgentur fructiferæ, ut fructum plùs adferant.

Si rebus raritas *(A)* precium facit: nil in Eccleſia precioſius, nil optabilius bono utiliquè Paſtore: nempè rara avis eſt iſta. Apoſtoli *(b)* laxabant retia in capturam: non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum. Tu es *(c)* hæres Apoſtolorum, Beatissime Pater. Cùm pecuniam *(d)* tanquam paleam dicaris habere. Argentum *(e)* reputatum eſt fœnum. Tu Succeſſor Petri. *(f)* Illius *(g)* hæreditaſti vocem, cujus adeptus es Sedem. Pecunia, inquit, tua tecum ſit

in

---

m Ep. 139. *num.* 1. n Ep. 189. *num.* 5. o *Lib.* 2. *de conſid. cap.* 6. p Ep. 191. *nu.* 2. q Ep. 189. *num.* 5. r Ep. 158. *num.* 2. s Ep. 250. t Ep. 239. *num.* 1. u Ep. 237. *num.* 3. x Ep. 49. y Ep. 139. *num.* 1. z *Ibidem.* A Ep. 248. *num.* 1. b Ep. 237. *num* 6. c *Lib.* 2. *de conſid. cap.* 1. *num.* 4. d *Ibidem cap.* 14. *num.* 23. e *Lib.* 3. *de conſid. cap.* 3. *num.* 13. f Ep. 189. *num* 5. g Ep. 237. *num.* 6.

in perditionem. O vox tonitrui! ô vox magnificentiæ & virtutis! Ad cuius terrorem confundantur & convertantur omnes qui oderunt Sion. Meritò (*h*) tali Paſtori, tali nutricio commiſſa eſt Eccleſia cùm adhuc tenera, ad huc incunabulis eſſet: cujus edocta magiſterio & exemplo educata, omnia terrena calcaret: utpotè qui excuſſerat manus ſuas ab omni munere, qui dicebat de corde ſuo puro & conſcientia bona: Argentum & aurum non eſt mihi. Nec (*i*) mediocris gloriæ vox illa Pauli Apoſtoli: Non requiro datum, ſed fructum. Hic locus avaritiam carpit, à quo vitio immunis ſatis tua opinio eſt, Pater Sancte: ut (*k*) ſalus facta hoc tempore per Te transfundatur ad poſteros: qui (*l*) non de dote viduæ & patrimonio Crucifixi ſe vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Hinc (*m*) prorsùs elevata eſt magnificentia tua ſuper Cœlos, Beatissime Pater. Quid enim (*n*) tuo dignius Apoſtolatu? quid ſalubrius ad conſcientiam, honeſtius ad famam, utilius ad exemplum? Quæſo (*o*) ſuſtine pauliſper, & ſupporta me: imò da veniam non tam temerè quàm timidè hæc loquenti. Audire gravat? (*p*) Et ego eò libentiùs prædico, quò Tu id moleſtiùs audis. Si tibi ſic expedit, & mihi ſic. Tam non oportet Chriſti gloriam me ſilere, quàm nec te quærere tuam. Et ſi pergis dicere adhuc, reſpondebitur Tibi ex Evangelio: Quantò eis præcipiebat, tantò magis plùs prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit.

Cæterùm iſtæ aſſertiones orthodoxæ veritatis non ſunt meæ, ſed noſtri Sanctiſſimi Patris Melliflui Eccleſiæ Doctoris, qui ſapientiâ ſuâ cælitùs ſibi datâ, Sanctam Romanam Eccleſiam, per ſeptem annos pro illius defenſione laborando, à tetro ſchiſmate liberavit, & Innocentium Papam II. in Sede Pontificia ſtabilivit. Qui etiam hæreticos inimicos Fidei Catholicæ debellavit, eorumquè dogmata ſolus confutavit. Qui denique ſuis divinis doctrinis Eccleſiam Catholicam mirificè illuſtravit. Placeat Sanctitati Veſtræ ſcrutari teſtimonia, quæ mox adferam.

Inno-

h *Idem num.4.* i *Lib.3.de conſid.cap.3.nu.13.* k Ep.158.*num.2.* l *Lib.4.de conſid.cap.4.num.12.* m Ep.150.*num.2.* n *Lib.4.de conſid.cap.6.nu.23.* o *Ibid.cap.3.n.6.* p *Lib.3.de conſid.cap.3.num.13.*

Innocentius Papa II. non ingratus laborum S. Bernardi (quos sustinuit pro illius & S. Romanæ Ecclesiæ defensione) ita scribit ad ipsum (q) dicens : Quàm firmâ perseverantiquè constantiâ causam B. Betri, & S. Matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis & discretionis suscepit defendendam, & se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam Ecclesiasticarum quàm secularium personarũ ad Catholicæ Ecclesię unitatem, & B. Petri ac nostram obedientiam, frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraverit? magna, quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit, utilitas manifestat. *Hoc idem innuere videtur S. Bernardus (r) scribens ad eundem Innocentium Pontificem, cùm dicat.* Post longam moram multosquè labores, quos pro servitio Romanæ Ecclesiæ pertuli, cùm tandem placuit Serenitati Vestræ reditum annuere ad fratres meos, etsi fractus viribus corporis tanquã malè operans, lætus tamen ob manipulos pacis quos reportabam, ad Monasterium *(Claravallense)* cũ prosperitate perveni. *Ad sacrum verò Collegium Cardinalium scribens (s), ita dicit:* Vos scitis si dignum ducitis recordari, qualiter vobiscum in tempore malo conversatus sum, egrediens & regrediens & pergens ad imperium Regis, *(scilicet Papæ)* persistens & permanens vobiscum in tentationibus vestris, itaut consumptis penè viribus corporis, vix post redditam cælitùs pacem Ecclesiæ repatriare potuerim. *Idipsum S. Bernardus dum adhuc moraretur Romæ, fateri videtur in sua Epistola (t) scripta ad Fratres suos Claravallenses, cùm dicat:* Quàm necessaria fuerit Ecclesiæ Dei præsentia parvitatis nostræ, dicerem ad consolationem, si non gloriam redoleret? Nunc autem meliùs est, ut hoc per alios cognoscatis. *Postquam tamen rediisset ad suum Monasterium Claravallense, ita suos fratres alloquitur, (u) dicens:* Hoc demũ tertio, fratres, reditum ab Vrbe nostrũ clementior oculus è cęlo respexit, & vultus tandẽ serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per

 hoc

---

q *Innocentius II. Ep. ad S. Bernar. registrata lib. 3. vita eius cap. 5.* r *S. Bern. Ep. 166.* s *Ep. 168.* t *Ep. 144. num. 3.* u *Serm. 24. in Cant. num. 4.*

hoc fermè octennium diro schismate conturbaverat &c.

Hanc Historiam de schismate Petri Leonis Bernardus Bonævallis Abbas, Author libri vitæ S.Bernardi in ordine 2.cap.1.2. 6.& 7.satisfusè enarrat. Ubi inter cætera cap.1.num.3.ita scribit: Convocato ad Stampas Concilio, Abbas Claravallen. S.Bernardus specialiter ab ipso Rege & præcipuis quibusquè Pontificibus accersitus (sicut postea fatebatur) non mediocriter pavidus & tremebandus advenit, periculum quippè & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem. Vnde speravit pacem sine dubio proventuram. *Reliqua quæ ibi satis fusè dicuntur, Platus Soc. Jesu (x) compendiosè edisserit, dicens*: Bernardi certè in Ecclesiam beneficia universam vix æstimari possunt. Is enim in tetro illo schismate adversùs Innocentium II. ita laboravit, ut verè dici possit illius unius operâ & auctoritate tandem esse sublatum. Primùm enim Gallias ei solus conjunxit, cùm Stampensis Synodus ad hanc rem ex omnibus Episcopis & Rege & Principibus conflata, omne suum judicium in illius judicium rejecisset. Deinde Henricum Angliæ Regem conciliavit, & quidem renitentibus & adversantibus omnibus Provincialibus Episcopis. Deinde Germaniam quoque omnem. Postea venit ad Pisanum Concilium, quò omnes Occidentales Episcopi convenerant: cuius Actis omnibus de rebus gravissimis & maximis nō solùm interfuit, sed etiam quodammodò præfuit Bernardus, cùm scilicet ad eum omnia referrentur. Post quæ ad Vrbem Romam publicis calamitatibus afflictam, Pontificis pluriumquè Cardinalium literis evocatus, publica disputatione Rogerium Siciliæ Regem confutavit: tum Petri Leonis Antipapæ partes ita debilitavit consilio & sapientiâ, ut ille ab omnibus desertus, ad extremum miserrimè perierit. Quo facto (y) Civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus ut Pastorem & Dominum Innocentium veneratur: Abbas Claravallen. in mira veneratione habetur, & ab omnibus auctor pacis, & Pater patriæ prædicatur:

---

x *Lib.2. de bono statu Relig. cap.30.* y *Bernardus Auctor libri vitæ S. Bernardi in ordine 2. cap. 7.*

tur;procedentem Viri Nobiles prosequuntur,acclamat populus,& omnes ei prompto animo obsequuntur &c.Sedatis omnibus & compositis,vix quinque dies in Vrbe detineri potuit, qui septem annis & ultrà pro resarcienda eadẽ scissione sudavit. Exeuntem Româ prosequitur & deducit Clerus, occurrit populus,universa Nobilitas comitatur.Nec poterat sine communi mærore dimitti, qui colebatur amore communi. Lachrymabantur post eum, & se ab eo postulabant benedici, & orationibus eius cum omni devotione se commendabant. *His accedit Oraculum Apostolicum Alexandri III.qui in Bulla Canonizationis S.Bernardi Abbatis (z) ita dicit*: Beatus vir Bernardus singularis gratiæ prærogativâ suffultus, non solùm in seipso Sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei & doctrinæ lumine radiavit. Specialiter autem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm datæ sibi cœlitùs Sapientiæ studio sustentavit, ut dignè quidem omnibus eiusdem Ecclesiæ filiis in memoria habendus sit, & devotione perpetua venerandus.

Pro fide quoque Catholica cõtra illius hostes quàm magnas res egerit S.Bernardus, breviter innuit dictus Platus (A) cùm dicat. Bernardi certè in Ecclesiam beneficia universam vix æstimari possunt &c. Quid? Petrum Abailardum hæreticum doctrinâ atquè eloquentiâ præfidentem, cùm iam vix esset qui resistere posset, quomodò primùm in privato congressu, deinde in Senonẽse Concilio abiecit? Mox Gilbertum Porretanum, cuius item celebre nomen erat, quomodò in Concilio Rhemensi convicit, adeo ut ipsemet errorem suum palàm condemnaret? Deinde Henricum Apostatam, qui Tolosanam Diœcesim impietate sua infecerat, & inficere pergebat, solus ipse Bernardus fudit & fugavit. *Hæc autem, quæ Platus refert, longè ante ipsum fusius exaravit Gaufridus Monachus Clavallen.in libro vitæ S.Bernardi in ordine 3. cap.5. & 6. Ipsemet etiam S.Bernardus specialiter agit de singulis erroribus prædictorum trium Hæresiarcharum, singulorum errores confutando. Et quidem ad errores Petri Abailardi evertendos*

 scri-

z Alexander III. Bulla Canoniz. S.Bonav.emanata anno 1164. relata in Bullar.Rom. tom.1.pag.61. A *Lib.2.de bono statu Relig.cap.30.*

ſcripſit egregiam Epiſtolam in ordine 190. *ad Innocentium Papam II. quæ habetur inter tractatus tomo* 4. *operum S. Bernardi pag.* 417. *Cui conſonant aliæ Epiſtolæ, nimirum* 188. 189. 191. 192. 193. 194. *&* 195. *In quibus etiam agit contra errores Arnoldi de Brixia, qui fuit diſcipulus peior magiſtro Petro Abailardo, nam plures errores addiderat valde exitiales & ſeditioſos, ob quorum pertinacem defenſionem igni traditus fuit, ut refert Eminentiſſimus Aguirre in defenſione Cathedræ S. Petri, diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 11. *Deinde S. Bernardus errores Gilberti referendo confutat omnes in Ser.* 80. *in Cantic. n.* 6. *& ſeq. Pariter & Henrici errores conterit ſerm.* 65. *&* 66. *in Cantica. Cum quibus conveniunt Epiſtolæ ejus* 240. *&* 741. Hic eſt ergo *(b)* Bernardus, qui in diebus ſuis hæreſes extirpabat, hæreticos confundebat, ſchiſmaticos revocabat, erroneos inſtruebat. Si *(c)* diſcutienda in Synodis ſuſcepta dogmata, ſi ipſi errorum magiſtri, aut hæreſum architecti cominùs oppugnandi, vel palàm erroneæ doctrinæ convincendi, unus hic ut invictus Achilles & Antogoniſta Bernardus in certamen adducebatur. Bernardus *(d)* Vir verè Apoſtolicus fuit, imò verus Apoſtolus miſſus à Deo, potens opere & ſermone, illuſtrans ubique & in omnibus ſuū Apoſtolatum ſequentibus ſignis. Cuius memoria feliciſſima in benedictione, & ſanctificatione ad morum informationem & diſciplinam, & in condemnationem hæreticorum in Sancta Eccleſia iugiter perſeveret. Quiquè dicendus ſit totius Eccleſiæ Catholicæ ornamentum ac fulcimentum: religionis *(e)* probatiſſima margarita, Lucerna Ordinis Ciſtercienſis, & Stella in firmamento Eccleſiæ radians. Inclytum *(f)* non Galliæ modò, ſed etiam Vniverſalis Eccleſiæ Lumen Sanctus Bernardus.

Sed *(g)* & eius doctrinis Vniverſalis Eccleſiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutillat, & verborum elegantia ſingulari prorsùs coruſcat. Ipſe enim *(h)* fuit eloquentiſſimus, & ſpiri-

b *Theobald. Epiſc. in vita S. Guill. Ducis Aquit. cap.* 2. *apud Surium* 10. *Febr.* c *Horſtius in præfat. in Epiſtolas S. Bern.* d *Cardinalis Baronius tom.* 12. *Annalium Eccleſ. ad annum* 1153. e *Card. de Vitriaco lib. de Hiſtor. Occidentali cap.* 14. f *San. Pontifex Innoc. XI. Ep. ad Clerum Gallicanum an.* 1682. *quam refert Eminentiſſ. Aguirre lib. deſen. Cathedr. S. Petri diſpulſa* 11. *ſect.* 8. *num.* 93. *pag.* 168. g *Henricus de Haſſia Doctor & Theologus celebr. in tractatu relatus ab Horſtio in introduct. in opera S. Bernardi pag.* 282. h *S. Bonaventura tract. de med. vitæ Chriſti cap.* 36.

ſpiritu Sapientiæ plenus. Fuit os eius *(i)* vas pretioſum, vas aureum, vas gemmeum,& os pretioſum. Fuit *(k)* puteus ſeu fons profunditate divinæ Sapientiæ. Quia *(l)* Spiritus Sanctus eum tàm affluenter & ſuperabundanter influendo repleverat,ut velut cùm ventus rapiſſimo impetu januam aperit, ita Spiritus Sancti impulſu ea, quæ ſibi divinitùs inſpirabantur, charitate accenſus effuderit, & Eccleſiam Dei ſuâ doctrinâ multùm illuminaverit. Ipſum nimirùm *(m)* ut in medio Eccleſiæ aperiret os eius, ſic impleverat Deus ſpiritu Sapientiæ & intellectus,ut ſecundùm quod in libro Job legitur, profunda quæque fluviorum ſcrutaretur,& abſcondita proferret in lucem.Nam & confeſſus eſt aliquando ſibi meditanti vel oranti Sacram omnem velut ſub ſe poſitam & expoſitam appáruiſſe Scripturam. Inde eſt *(n)* quòd plenus Spiritu,quo omnis Sancta Scriptura divinitùs eſt inſpirata, tam confidenter & utiliter eâ uſque hodiè (ſicut Apoſtolus dicit) utitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. Et dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in medium, ſic patens & placens efficit, & circa id unde agitur efficax ad movendum, ut mirentur omnes tam ſeculari quàm ſpirituali prædìti doctrinâ, in verbis gratiæ quæ procedunt de ore eius. Si *(o)* quando namque de ſpiritualibus, & ædificatione animarum ſermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus linguâ Angelorum, & vix intelligebatur. Maximè autem in his quæ ad mores hominũ pertinebant, ex abundantia cordis ſui tàm ſublimia eis proponebat,tàm perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur ſermo, intantum non capiebant quæ dicebantur. Cùmque *(p)* S.Bernardus ſuper hoc vehementiùs turbaretur & contriſtaretur, & diverſæ cogitationes aſcenderent in cor eius: poſt multos cogitationum fluxus & cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora ſua recolligere ſe, ibiquè in ſolitudine cordis & ſecreto ſilentii ſe continere, & præſtolari Dominum,donec quocunque modo miſericordiæ ſuæ ſuper hoc ei ſuam revelaret volunta-

i S. *Thom. de Aquin. ſerm. Feſt. totius anni tomo* 15. k S *Antonin. Archiep. Florent.* 2. *parte hiſt.tit.*17. *cap.*5. l S. *Mechtildis Virgo Ord. S. Bened. lib. Gratiæ ſpirit.cap.*91. m *Gaufrid. Monach. Not. S. Bernardi libro vitæ eius in ordine* 3. *cap.*3. *nu.*1. n *Guiliel. Abbas lib.*1. *vitæ S. Bernardi cap.*4. *num.*24. o *Idem ibidem cap.*6. *num.*28. p *Ibidem num.*29.

luntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus vidit in visu noctis Puerum claritate quadam Divina astantem sibi, & magna auctoritate pręcipientem fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui: quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestiùs in eo & per eum loquens Spiritus Sanctus, & sermonem ei potentiorem, & sensum in Scripturis abundantiùs suggerens in apertione oris ejus. Unde (q) & universa Scripta eius, quæ nihil aliud quàm Centones divinorum Voluminum dici queunt, undecunque Veteris ac Novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus: hisquè adeo commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. *Nec mirum*. Nam S.Bernardus (r) non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præveniente Sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam: & quasi de ipsius Dominici pectoris fonte potavit aquas, quas diffunderet in plateis multis. Quemquè (s) omnes non solùm ob doctrinam divinitùs sibi inspiratam, sed etiam propter vitæ sanctimoniam clarissimis sæpè miraculis demonstratam, meritò suspicerent ac revererentur. Ipse (t) in tantùm vitâ, virtutibus, & doctrinâ clarus effulsit, ut nullus ei in orbe secundus existeret ingenio, moribus, ore, stylo, & virtutibus. Pluribus enim (u) miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum, quorum vitæ scriptæ extant. S.Bernardus (x) vir planè Apostolicus, & non minus gloriâ miraculorum, quàm Sapientiæ splendore illustris. Hinc est (y) quòd verba eius non sicut verba hominis, sed sicut Dei ut revera sunt, libenter audiuntur. A vera siquidem Sapientia quæ Deus est, illa profluxit, quæ in libris eius mirabiliter elucet. Sive enim Monachos erudit, sive vitia redarguit, sive hæreticos conterit, & schismaticos expugnat: sive abdyta mysteria pādit, sive Gratiam Dei extollit, sive Pontifices instruit, sive Dilectionem Dei docet, sive Sanctorum merita celebrat: nihil certè legi potest aut disertius aut excellentius aut efficacius ad persuadendum:

q *Six.Senen.Ordin.Prædic.in Bibliotb.SS.lib.4.in catal.script.Eccl.* r *Card.de Vitriaco Ord.Prædicat.lib.de histor.Occiden.cap.14.* s *Canis. Soc. Iesu in Marial. lib.5. cap.28.* t *Theobald.Episcop.in vita S.Guilrel.Duc.Aquit.cap.2.apud Surium 10.Febr.* u *Card. Belarm.tom.2.Controu.lib.4.cap.14.* x *Idem libro de script.Eccles.* y *Card. Bona Ordinis Cister.in præfat.lib.de Discretione Spirituum.*

dum. Vrit, afficit, penetrat mellifluus ſermo eius. Oratione (z) tam dulci & ardenti, ut verba eius mellis & lactis dulcedine delinita eſſe videantur. Vnde & Melliflui Doctoris nomen apud omnes ſemper retinuit.

Scripſit ad Eugenium Papam III. *(A)* Sanctus Bernardus multæ ſubtilitatis Librum de Conſideratione, in quo acutiſſima indagatione tam ea quæ circa eùm quàm quæ ſupra ſunt proſequens, etiam ad ea quæ ſupra eum ſunt aſcendens, tanta de Natura Divina diſſeruit, ut videatur in tertium Cælum aſſumptus audiſſe quædam verba quæ non licet homini loqui, & Regem in decore ſuo vidiſſe. In his quæ infra & quæ circa ipſum ſunt, morum ſocietas, naturæ æqualitas, officiorum diſtantia, conſideratio meritorum, diiudicatio provectuum ſubtiliſſimè diſtinguitur, & ſingulis in ſuo genere ſui cognitio intimatur. In his quæ ſupra hominem ſunt, ſpeculatur Cœleſtia, non eo modo quo Angeli (qui ſemper adhærent Deo) conſiderant, ſed eo modo quo poteſt homo puri animi & mentis ſinceræ Divina contingere, & conformari Hierarchiæ Cæleſti Sacerdotium temporale. Cùm enim in Cæleſti militia conſtet alios aliis principari, & miniſteriales Spiritus ad nutum Superiorum poteſtatum ad diverſa officia delegari: quidam viciniùs aſſiſtentes à Deo accipiunt, quæ aliis vel agenda vel intelligenda inſinuent. Cùmque exigat homo præpoſituræ ſuæ reverentiam exhiberi, ad honorem ſummæ poteſtatis cuncta referri neceſſe eſt: quia cùm ſit ſubditus homini homo, vel Spiritui Spiritus: ſubdi maximè oportet Deo, de cujus munere datur iſta prælatio: & quo docente ſit, ut pateat homini tam cognitio ſui, quàm per fidem & ſpem ad Divinam Contemplationem pro modo data & indulta acceſſio. In Scripto hoc *(b) videlicet in libris de conſideratione ad Eugenium*, Bernardus ſuperavit ſeipſum. Nam modò cautum Æconomum, modò ſollicitum Patremfamilias, modò fidelem Monitorem, modò ſerium Præceptorem: jam & Aſcetam, jam Ethicum, jam & Politicum: nunc Philoſophum, nunc Conſiliarium, nunc Theologum agit.
Illu-

---

z *Rodulphius Franciſcan. in* Dictionar. Concion. *paup. cap. 35.* A *Bern. Bonavallis Abbas libro vitæ* S. *Bernardi in Ordine 2. cap. 8. num. 51. pag. 76.* b *Drexelius* Soc. *Ieſu in Aurifod. lib. 1. cap. 7.*

Illuſtre prorsùs Scriptum à multiplici eruditione. Ex cujus (c) nobiliſſimo ſtylo quiſque poterit intelligere Authorem Libri Sapientiorem fuiſſe Apolline, Eloquentiorem Demoſthene, Subtiliorem Ariſtotele, Moderatiorem Socrate, Diſcretiorem Platone. In his Libris (d) quos ad Papam Eugenium de Conſideratione ſcripſit, diligens conſiderator agnoſcet, quàm liber in voce, quàm diſertus, & in rerum Superiorum pariter inferiorumquè Scientia locuples.

Porrò(e) quid in iſtis Bernardi noſtri Libris, de quibus agitur, aliud tractatur? quàm ut quæ pro honore Dei & totius Eccleſiæ bono animarumquè ſalute conſideranda ſunt, debitè ab his qui præſunt conſiderentur? quàm ut pro zelo & decore domus Domini rectè in Eccleſia cuncta gererentur? quàm ut Prælati & quibus animarum credita cura eſt, ſuo gregi advigilent, munuſquè paſtorale ſibi incumbens impigrè exerceant? quàm ut jam diù extorris variis in locis Eccleſiaſtica reſtituatur diſciplina, vigilet morum cenſura, reviviſcat bona legum cuſtodia atque obſervantia, improborū hominum coerceatur audacia, laſcivorum reprimatur petulantia, poſtliminio revocetur exul probitas, vigeat pietas, vitæquè adſit integritas, Eccleſiaſticus ordo reliquis ſe virtutis & diſciplinæ exhibeat ſpeculum; quiquè aliis in Eccleſia præſunt, ita ſibi commiſſis præſint, ut verè illis proſint verbo, doctrina, & exemplo? Hæc ſunt quæ hiſce quinque Libris de Conſideratione ad Eugenium Papam III. continentur, & à Beato Bernardo traduntur, conſiderandaquè proponuntur. Quibus quantùm inter alios Summos Pontifices tribuerit Nicolaus Papa V. re ipſa oſtendit, dum Libros eoſdem ante uſum typographicum introductum, adeo magnifico & inſigni charactere ſeparatim pro ſuo aliorumquè uſu deſcribendos curavit. Quorum etiam Librorum amore & ſtudio flagrans Pius V. re & nomine pius, eorundem lectionem ſuæ menſæ lubens adhibebat, ponderabat, & magnificabat. Sicut & ab ejus in Pontificatu Succeſſore Gregorio Papa XIII. factum intelligo: cui cùm à quodam ſibi charo hi ipſi Libri ele-

---

c *Helinandus Hiſtoriographus lib. de reparatione lapſi cap. 8.* d *Godefrid. lib. Vitæ S.Bernardi in Ordine 2. cap.8.num.28.* e *Gerardus Voſſius ad Clem. Papam VIII. in* Dedicat. *Librorum* S.*Bernardi de Conſid.impreſs.Romæ anno 1594.*

eleganter conscripti offerrentur, respondisse fertur se illis non carere, sed separatim impressos habere, & interdum eorundem lectione frui. Quos Libros & Vrbanus VII. in Episcopatu ac post in Cardinalatu multùm sibi familiares habuisse dicitur, secumquè ad Conclave tulisse, in quo & Summus postea Pontifex renunciatus est. Quem brevi in Pontificatu secutus Gregorius XIV. plurimùm quoque iisdem Bernardi Libris tribuere, eosquè frequenter in ore habere solebat: & seorsim (ut ab omnibus Ecclesiasticis, maximè autem Prælatis commodiùs circumferri legiquè possent) extare peroptabat: sicut à fide dignissimis de eo adhuc Cardinale accepi, ipsequè ex ejusmet ore tunc ipsum Romæ domi suæ honoris ergò subinde visitans, audivi. Hic quoq; meditabatur mane (*f*) horâ integrâ, legens Opera Mellifluі Bernardi: & si quos ex iis bonos erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat, concinnèquè scribebat. *Nec dubitandum est etiam Sanctitatem Vestram habere eosdem Bernardi Libros de Consideratione ad Eugenium*: & sæpe (*g*) dum per gravia licet, libenter eorundem lectione perfrui, comperirequè in illis cum Eugenio, Bernardum optimum Tibi in gravissima Pastorali cura tua adjutorem & directorem, monitorem ac consultatorem, in adversis consolatorem, in dubiis atque in certis fidelissimum ductorem, in arduis & difficilibus promptissimum opitulatorem, & in Apostolico regimine Consiliarium Sapientissimum.

Cùm autem S. Bernardus (*h*) Abbas Claravallen. Doctor Mellifluus & Theodidactus sit spiritualis doctrinæ Thesaurus: quem nimirùm (*i*) invenit Dominus secundùm cor suum in omni domo sua fidelissimum, & operariũ in vinea sua diligentem & studiosum, qui universæ familiæ Domini de Thesauro suo nova proferens & vetera, erogaret tritici mensuram, & daret illi cibum in tempore. *Proinde persuasum mihi erat ex illius Sapientiæ ditissimo Thesauro depromere Thesaurum Divitiarum Cœlestium, misero generi humano in Annunciatione*

---

f Circarella in vita Gregorii Papæ XIV. g *Gerard. Voss. ad Clementem VIII. Dedicat. lib. de Considerat.* h *Cardinal. Bona in notitia Authorum relata initio Libri de Divina Psalmodia.* i *Cardinalis de Vitriaco Lib. de Historia Occid. cap. 14.*

MARIÆ,& Incarnatione Verbi misericorditer elargitum. Verùmtamen cujus potissimùm nomine hujus Thesauri inventionem, seù lucubrationem meam inscriberem, quemuè illi Patronum accerserem, non diu mihi cogitandum fuit. Nam tu Pater Sancte statim occurristi, qui Thesauros tuos & Ecclesiæ non in alios usus, quàm in pauperum numerosissimos greges largiter expendisse dignosceris. Nec hoc contentus es, sed præstitisti te verum illum Euangelicum Patremfamilias, qui mandavit servis suis, ut exirent in plateas & vicos Civitatis, & pauperes ac debiles, & cœcos & claudos introducerent in domum, in qua habitarent. Domum, inquam, illam Apostolicam, quæ juncta est illi Sacrosanctæ Ecclesiæ Lateranensi, quæ est Mater ac Magistra omnium Ecclesiarum. Benedictus(k) Sanctus Angelus, qui pio pectori vestro id suggessit. Benedictus Deus noster, qui persuasit. Et hæc quidem (l) terrena sunt, sed cœlestia mercantur. Sic itur ad astra. Talibus hostiis promeretur Deus. Istorum est enim regnum cœlorum, qui Regi terræ in terra viventium reddere poterunt pro his terrenis vitam & gloriam sempiternam. Et hæc reteximus (m) ad laudem & gloriam Dei, tanquam omnium Auctoris: non tamen sine vestra, tanquam ipsius Coadiutoris in omnibus. Potuit quidem ea ipse agere sine vobis, sed maluit vos operum habere consortem, ut haberet & gloriæ.

Sed jam Sacri pectoris vestri intentionem à melioribus & divinioribus avocatam diutiùs fortè quàm decuit, hisce occupatam verbis ampliùs detinere non præsumo. Unde Vestræ Sanctitatis pedibus advolutus, hoc qualecunque Opusculum in perenne humillimi mei obsequii monumentum offerro & dedico. Quod placeat Sanctitati Vestræ & benignè excipere, & paterna benignitate hisce meis elucubrationibus patrocinari, quas sub Sanctitatis Vestræ auspiciis in lucem edere placuit: dignetur què omnibus illis qui hunc Librum legerint, Apostolicam de Thesauro Ecclesiæ elargiri Benedictionem, quâ muniti æternis inhæreant rationibus, necnon mundi ac dæmonis insidiosis susurrationibus despectis, in Orthodoxæ veritatis amore ejusquè beata possessione conquiescant. Hoc votum meum est, hæc merces Operi meo. De cæte-

k S.Bernard. Epist.147.num.10. l Epist.209. m Epist.78.num.4.

cætero (n) Deus omnipotens Veſtram Sanctitatem nobis conſervet longis temporibus, ad noſtram omnium protectionem, qui degentes (o) in Monaſteriis non ceſſamus orare pro Vobis, & pro commiſſa Vobis Eccleſia Dei: congaudentes Sponſæ Domini ſuper tam fido cuſtode. Oramus (p) quoque ſolliciti pro Vobis & veſtris, ut æternâ memoriâ dignos Vos ipſa æternitas habeat: cui & pro qua temporaliter laboratis.

Dedicabat in Urbe Romæ die dedicato S. Antonio, xiij. Junii. Anno Domini M. DC. XCIII.

Poſt Sacrorum pedum oſcula

SANCTITATIS SUÆ

Humillimus & Devotiſs. Servus
F. Bernardus Bogdanovitz Monachus Ciſterciensis.

c 2 PRÆ-

n *Epiſt.* 198. *num.* 2. o *Epiſt.* 49. p *Epiſt.* 150. *num.* 4.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Thesaurizate vobis thesauros in Cælo. *Matt.* 6.

1. PRÆMITTITUR Scopus & Nomenclatura Thesauri Divitiarum Cælestium, quo intitulatur hic Liber. 2. Ostenditur S. Bernardus Sapientiam Incarnationis Dominicæ tunc accepisse, quando ei adhuc puero Mysterium Nativitatis Dominicæ per revelationem fuit ostensum: nec non lacteam eloquentiam, quam ab Uberibus Virginis suxit. 3. Afferuntur multi alii favores, quos habuit à Deipara, quæ pluriès dignata est eum salutare: 4. necnon infirmum visitare & sanare, ac postea ejus animam in Cælum perducere, atque mandare ut ejus Opuscula in unum colligerentur publico usui. 5. Quanta sit excellentia Doctrinæ S. Bernardi, testimonio virorum illustrium probatur. 6. Ostenditur quàm sit necessaria cuique Christiano Lectio spiritualis. 7. Traduntur varia documenta observanda legentibus Libros spirituales: 8. Nec non modus servandus circa Lectionem spiritualem, cui videlicet annexa debet esse Meditatio & Oratio. 9. De duodecim utilitatibus Lectionis spiritualis. 10. Doctrina Sancti Bernardi excellit omnes alios libros spirituales, ac proinde lectio illius commendatur à Viris illustribus. 11. Quàm grata & fructuosa sit lectio ejus, exempla demonstrant. 12. Sermo Authoris ad S. Bernardum, cui attribuit beneficia sibi ejus ope collata: & supplicat, ut hoc Opusculum Deiparæ præsentet & commendet, gratiamquè obtineat.

§. I.

POST *editum nuper Librum Corona Virginalis de laudibus Deiparæ in Litanias Lauretanas, libuit tentare id potissimum aggredi, quod sæpe animam meam pulsavit, quærere scilicet & invenire Thesaurum Divitiarum Cælestium in ditissimo Thesauro Sapientiæ Melliflui Doctoris*. Est quippè (a) Sanctus Bernardus spiritualis doctrinæ Thesaurus. Quem utique (b) invenit Dominus secundùm cor suum in omni domo sua fidelissimum, & in vinea sua diligentem & studiosum, qui universæ familiæ Domini de Thesauro suo nova proferens & vetera, erogaret tritici mensuram, & daret illi cibum in tempore. Sed

a *Card. Bona. lib. de Diu. Psalmod. in notit. Auctorum*. b *Card. de Vitriaco lib. Histor. occid. cap.* 24.

Sed quia de hujusmodi Thesauro ejus non omnibus in promptu est depromere cibum hunc spiritualem. Denique (*c*) parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Sapientia Patris, & Thesaurus integer & occultus, quæ utilitas in utrisque? *Proinde ut illum absque suo labore quisque vestrûm præstò habeat*, fragmenta (*d*) quæ mihi collegeram sine invidia communico, nè fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis. Vos autem (*e*) considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ego enim quantùm in me est, nihil aliud sum quàm conservus vester, qui pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de Cælo, & alimoniam vitæ: non eum qui Corpus corroborat, sed qui confirmat cor hominis. *Quærite in hoc Thesauro Divitias Salutis, ut despectis divitiis terrenis Cælestes inveniatis, in earumquè amore & possessione conquiescatis, quia nil ultrà quæri, nihilquè inveniri potest*. Oculus fidei (*f*) invenit hunc Thesaurum, non secundùm faciem judicans: sed videns quæ non apparent, sed intuens quæ non videntur. Invenire est in eo (*g*) Salutis opera, quibus Regnum Cælorum poteris adipisci. Ubi verò Thesaurum effoderis, esto jam negotiator, ac preciosas margaritas quære. Si preciosam unam inveneris etiam tunc vende quidquidquid habes, & eme eam. Quæ est tamen una tam preciosa? Neque enim mirum si pro thesauro vendidit quæcunque habebat, idest pro divitiis salutis, & peccata & peccati fomenta deseruit. Paupertatem (*h*) Dei Filius concupiscens, descendit ut eam eligeret sibi, & nobis quoque sua æstimatione faceret preciosam. Invenimus enim (*i*) quoniam ille cùm esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus divitiis, & veniens in mundum, nec istas qualescunque divitias habere voluit: sed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio. Nobilis itaque (*k*) titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit *verbo*, Beati, inquiens, pauperes spiritu. Consecravit *exemplo*, nec enim habuit propriam domum in qua Caput reclinaret, & in qua cum discipulis Pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam *ore Prophetico*, dicens: Ego Vir videns paupertatem meam. Qui (*l*) benè considerat hæc, quando quæret divitias hujus mundi? Est verè magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus Majestatis, & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri. In sinistra ejus (*m*) divitiæ & gloria. Filii Adam genus avarum & ambitiosum audite: Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Aurum & argentum nonne terra rubra & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat preciosam. Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtu-

---

c *S. Bernard. Abb. Ser. 2. in fer. 2. Pascha num. 22. tom. 6. pag. 729.* d *Ser. 3. in* Dom. 6. *post Pentec. num. 1.* e *Serm. 1. de omn. Sanctis num. 3.* f *Serm. 17. super Psal. 90. num. 3.* g *Serm. 65. de diu. num. 1.* h *Serm. 1. in Vigil. Nat. Dom. num. 5.* i *Serm. 3. de Resurrect.* Dom. *num. 1.* k *Ser. 2. in Cæn. Dom. num. 3.* l *Serm. 3. de Resurrect. Dom. num. 1.* m *Ser. 4. de Adu. Dom. num. 1.*

tutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quærat (n) divitias paganus, qui sine fide vivit: quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum? Ut beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cùm Filius Dei locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, & væ divitibus: cùm jam beatitudo pauperum divinitùs commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus. Veritas enim loquitur, quæ nec falli nec fallere potest: & ipsa est quæ dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere Cælum quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Porrò (o) intuere ô homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus totum vellus prius infudit. Gedeonis Vellus (p) dum in medio siccæ areæ maduit, MARIAM præsignabat. Cui utique (q) distillantibus Cælis tota se infudit plenitudo Divinitatis, adeo ut ex hac plenitudine omnes accepimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus. Hæc est (r) unica illa Salvatoris Fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Redempturus (s) humanum genus precium universum contulit in MARIAM. Non enim (t) habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei: quia quidquid in Divinitatis Thesauro pietatis est inventum, totum in Utero Virginis congestum fuit. Ut (u) quid hoc? ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. An non (x) Thesaurus de MARIA? In qua sola Rex ille dives ac prædives exinanitus est, ut omnes ejus paupertate locupletaremur. Verè dives (y) sicut scriptum est: Cùm esset dives in omnibus, factus est pauper pro nobis, ut nos sua paupertate ditaret. In quo nimirùm (z) omnis perfectio paupertatis, & virtutum plenitudo superabundavit, ita ut de plenitudine ejus omnes accepimus. Cùm enim dives esset, propter nos factus est egenus, ut illius ditaremur inopiâ.

§. II.

Bernardo puero (a) Puer Jesus apparere dignatus est in ipsa nocte, imò in ipsa hora suæ Nativitatis. Quod Guillelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. de Vita S. Bernardi cap. 2. num. 4. ita scribit: Adjecit ei Dominus appa-

n *Serm. 1. de omn. Sanct. num. 7. & 8.* o *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* p *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 8.* q *Serm. 2. super missus num. 7.* r *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2.* s *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* t *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 5. tom. 6. pag. 611.* u *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* x *Serm. 3. in Annunc. B. M. num. 7. & 8.* y *Serm. de Villico iniquitatis num. 1. tom. 6. pag. 752.* z *Ser. de Verbis Sapien. n. 10. tom. 6. pag. 772.* a *Manrique in Annal. Cister. ad Ann. 1105. tom. 1. cap. 2. num. 2. pag. 45.*

apparere, sicut olim puero Samueli in Silo, & manifestare ei gloriam suam. Aderat namquè solemnis illa nox Nativitatis Dominicæ, & ad solennes Vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cùmquè celebrandi Divini Officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem, expectantemquè Bernardum cum cæteris, inclinato capite paululum soporari. Affuit illicò puero suo se revelans Pueri Jesu Sancta Nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, & Divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim velut denuò procedens Sponsus de thalamo suo: apparuit ei quasi rerum ante oculos suos nascens ex utero Matris Virginis Verbum Infans, speciosus formâ præ filiis hominum, & pueruli Sancti in se rapiens minimè jam pueriles affectus. Persuasum autem est animo ejus, & nunc usque fatetur, quòd eam credat horam fuisse Dominicæ Nativitatis. Hactenus Guillelmus. Quibus sanè non obscurè ostensum est, à quanta perfectionis ac divini favoris gratia Bernardus puer inciperet. Porrò autem (*b*) quibus divinæ gratiæ fluentibus in hac apparitione potatus fuit, quibus benedictionibus præventus, prosequitur idem Auctor ita scribens: Sed facilè est advertere iis, qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione eâ horâ prævenerit eum Dominus: cùm usque hodie in eis quæ ad illud pertinent Sacramentum, & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videatur. Unde & postmodum in Laudem Genitricis & Geniti, & Sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit Opusculum inter initia Operum suorum seu Tractatuum, sumptâ materiâ ex Evangelii loco, ubi legitur: Missus est Gabriel Angelus à Deo in Civitatem Galileæ, &c. Hinc videas, quod de ipso dici solet, Theologiam infusam à Deo fuisse sortitum, quodquè ipse etiam dicere solebat, se inter fagos & quercus didicisse, ad incrementa potiùs referendum quàm ad initia, atque ad superiorum rerum contemplationem. *Denique idipsum Sanctus Bernardus fatetur (c) cùm dicat*: De Patre quidem novi creationem, clamantibus creaturis: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. At verò æternitatem & immutabilitatem ipsius comprehendere multum est à me: lucem habitat inaccessibilem. De filio autem magnum aliquid novi (ejus gratia) scilicet incarnationem. Nam generationem ejus quis enarrabit? Quis comprehendat æqualem genitum Genitori? *Hinc est, quod in festivitate S. P. N. Bernardi canit Ecclesia apud Cistercienses, dicens:*

Rufum dorso per catulum
Præfigurasti puerum:
Fore Doctorem sedulum
Conditor Alme Syderum.
Nascentis ei claruit
Clara Christi Nativitas:
Hoc à te donum habuit
O lux beata Trinitas.

Arcana Sacræ paginæ
Declarat, & mysterium
Quod effecit in Virgine
Deus Creator omnium.
Rore perfusum gratiæ
Monstrat dulcor eloquii:
Per te fons Sapientiæ
Summi largitor præmii.

Porrò,

---

b *Idem ibidem num.* 2. & 6. c S. *Bernardus Ser.* 1. *in die Pentecost. num.* 1.

Porrò, dum (*d*) Sermones super missus est, Sanctus Bernardus Abbas scriberet, & totus laudibus Divæ Virginis intentus quadam nocte templum Claravallense intraret, in ecstasim raptus, eandem Dei Genitricem puerulum Jesum dulciter amplectentem, & copioso Angelorum numero circumstipatam, magnoquè ac Divino splendore coruscam contemplatus est, in cujus amorem dum pius Pater dulciter ferretur, Virginei lactis nectar gustare meruit, & ab eo tempore dulciùs, suaviùs, eloquentiùs, ac solidiùs ejusdem Sanctæ Matris laudes prosecutus est. *Nec desunt alii auctores, iique graves, quibus placet constanter asseverare S. Bernardum hoc cælesti favore donatum fuisse, idest irroratum MARIÆ lacte. Inprimis Costerus Soc. Jesu* (*e*) *sic ait*: Beatus Bernardus, qui nusquam à MARIÆ præconiis abstinet, ex castis Uberibus dicendi suavitatem suxisse perhibetur. *Idem meditatione* 43. *in eodem Opusculo testatur* Bernardum ex Virginis lacte summam sapientiam hausisse. Hanc sententiam approbat Cornelius à Lapide Soc. Jesu (*f*) cùm dicat: S. Bernardus lacte Beatæ Virginis ab eadem aspersus fertur in dicendo & scribendo lacteus & mellifluus euasisse; præsertim ubi de laudibus Verbi Incarnati, ac Beatæ Virginis ait. Hoc idem affirmat Bivarius (*g*) sic scribens: Quibus sic susceptis à Bernardo Imaginis mamillæ guttis ejusdem Genitricis Orator, & Christi Filii sui professor, ac Cælestis Militiæ Confessor fidelis, laudes quàm plurimas Cælorum Reginæ, Sancto spirante Pneumate, ejusdem MARIÆ opitulante gratia composuit. Cujus utique (*h*) fæcundis ac decoris sermonibus Virgo Christi Mater tam gloriosis extollitur præconiis, preciosissimis ornatur puritatis encomiis, integerrimis prædicatur Virginitatis signaculis, ut (*i*) lac merum loqui videatur, quod ab Uberibus Virginis insigni privilegio suxit. Lego (*k*) in Antonio Hiepio (*l*) traditione item acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum Matre: ac sancto medio, hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul, & lac: illum de Christi vulnere manantem, hoc de Virginis mamma: Utrumque Cæleste, utrumque irradians, & fæcundans Bernardi ora. Tum verò Sanctum utrumque, veneratum, & neutro se fraudari æquè ferentem, tandem in ea verba prorupisse (quæ communiter Augustino tribui solent) Hinc pascor à vulnere: Hinc lactor ab ubere. Positus in medio, quò me vertam nescio?

§. III.

Placeat audire & alios Cælestes favores, quibus Deipara Sanctum Bernardum dignata est. Ipse namque præter quod in Ecclesia Claravallensi virgineo lacte irrorari meruit, etiam in Ecclesia Castri Castellionis simili

---

d *Bern. de Brito in Chronic. Cistc.. lib.* 1. *cap.* 26. *apud Henriquez in Monol. Cister.* 13. *Maÿ*. e *Costerus in præfat. Opusculi de Vita & laudibus* Deip. *editi Venet. an.* 1588. f *Cornelius in* 1. *cap. Cant. ver.* 1. g *Bivarius lib.* 1. *Bernardi vindicati* §. 2. h *Henricus de Hassia Doctor & Theolog. celeberrimus in Tract. Ms. existente in Biblioth. Carthus. Colon.* i *Card. Bona in lib. de Diu. Psalmod. cap.* 12. §. 1. *num.* 2. k *Manriq. in Annal. Cist. tom.* 2. *ad annum* 1153. *cap.* 12. *num.* 9. *pag.* 239. l *Centuria* 7. *ad hunc annum cap.* 5.

mili favore ab ipsa Dei Genitrice donatus est, uti Manrique scribit (*m*) referens verba Edmundi à Cruce Abbatis Cistercii, loquentis ita videlicet. In Ecclesia S.Beroli Castri Castellionis super Sequanam Lingonensis Diœcesis, quædam Imago in venerationem & honorem B. Virginis MARIÆ extitit extructa, quæ quidem Imago Sancto Bernardo oranti Filium suum obtulit miraculosè in Ecclesia, dicens: Bernarde suscipe puerum meum totius mundi Redemptorem. Deinde quoque ultra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ Imaginis susceptâ mammillâ, illicò Beato Bernardo sibi devoto tres guttas Lactis ab ejusdem Imaginis mammilla profluentes, miraculosè distillabat. Hoc est testimonium dicti Venerandi Abbatis, quod & Antonius Heppius in Centuria septima ad annum 1153. cap. 5. & Franciscus Bivarius lib.1. Bernar. vindicati, aliique memorant: quin & Henriquez in suo Monologio 13. Maii ejusdem Iconis meminit, & subscriptionis Gallicæ, quæ in latinum conversa priorem partem favoris testificatur. Sic enim habet:

> Bernarde multùm dilecte, mi Cappellane
> Cape, suscipe de mea manu
> Dulcem Jesum, Servatorem mundi.

Quasi ea, Bernardo adhuc viventi orantiquè Puerum Jesum obtulisse perhibeatur. *Hactenus Manrique. Addit insuper Henriquez (n) pulchrum hujus miraculi testimonium ad se transmissum, cujus hæc sunt verba*: Castellioni Imago est Beatæ Virginis, quæ Sanctum Bernardum suo Lacte quondam irrorasse fertur. Cùm enim in Beatam Virginem singulari flagraret amore, se quoque in eum coram prædicta imagine indefessè orantem, Matrem se monstravit. Dictum autem miraculum accidisse memoratur, cùm *Monstra te esse Matrem*, à Sancto Bernardo proferretur. *Ita Henriquez. Hæc autem verba sunt illius Hymni Ave Maris Stella, quem Sancto Bernardo attribuit Costerus (o) dicens*: Hoc Carmen *Ave Maris Stella*, incerti quidem Auctoris est, refert tamen dulcedinem Melliflui, cui à nonnullis tribuitur. *Et Henriquez (p) hoc idem affirmat, cùm dicat*: Fertur ejusdem S.P.Bernardi esse devotissimus & piissimus ille Hymnus toties in laudem Divæ Virginis repetitus, Ave Maris Stella. *Unde Bidermanus Soc. Jesu (q) meritò cecinit*:

> Virgineo stabat Signum Venerabile templo,
> Indita cui Magnæ forma Parentis erat.
> Hic solitam Bernardus opem dum sedulus optat,
> Tergeminumquè levi murmure dicit, Ave.
> Ter vocat ætheriæ portam blandissimus Aulæ,
> Ter Stellam æquoreæ cernuus orat aquæ.
> Denique, *Mater*, ait, Magni fæcunda Tonantis,
> Incipe te Matrem Virgo probare meam.

d Sic

m *Manriq.in Annal.Cister.tom.2.ad ann.1153.cap.12.num.7. pag. 239.* n *Henriquez in Menol.Cisterc.13.Maij.* o *Coster.in exord. medit. super hymno Ave Maris Stella, impresso Romæ an.1590.* p *Henriq.in fasc.Sanct.Ord.Cister.tom.1.dist.4.cap.39.p.153.* q *Biderm. lib.2. Epigramm. pag.84.relat. in d. Fasc. pag. 152.*

Sic ait, & nivei respexit ad ubera signi,
Uberequè è niveo lacteus imber iit.
Cui medium flexo postquam aëra transiit arcu,
Arida Bernardi fluxit in ora liquor.
Ille diu dubius dum dulcibus imminet undis,
Credidit Hybleo mella pluisse mero.
Victa sed Hybla fuit, nectar quoque credidit: illa
Nectare sed dulci dulcior unda fuit.
Hæc tandem, hæc, inquit, Materni est gratia lactis.
Claude tuum, jam sunt pectora pota, sinum.
Imo age, pande sinum, da pluribus ubera Mater,
Nos quoque lactantes parvula turba sumus.

Et licet (*r*) alia plura, quibus Beatissima Dei Genetrix erga Patrem nostrum Bernardum singularem suum demonstravit affectum, nunc omittere cogitârim; unum tamen (quod in celeberrimo Affligemiensi Cœnobio Ord. S.Benedicti, in Ducatu Brabantiæ sito, evenit) nequaquam omittam. Contigit ergo Sanctum Abbatem Bernardum, dum in Flandriæ partibus negotiorum causâ existeret, præfatum Affligemiense Monasterium intrare. In quo dum Gloriosæ Dei Genitricis Statuam haud exiguæ magnitudinis conspexisset, eam solito suo pietatis affectu, prioribus Angelicæ Salutationis verbis, *Ave Maria*, salutavit. Et ecce (mirabile dictu) eadem Dei Parentis Statua eum quoque protinùs resalutavit, dicendo: *Salve Bernarde*, stupentibus omnibus qui aderant. Id (*s*) in antiquis illius Cœnobii Annalibus expressum reperitur, extantquè ea de re vetustissimi versus sequentes:

Bernardus, MARIA, ait, mea, Ave tu Virgo Beata:
Et tibi Ave Bernarde ego Imago redico volenter.

Cui adstipulatur Chronicum (*t*) Cœnobii Gemblacensis, ita dicens: Ante Belgii desolationem, & in ipso Fidei Catholicæ labefactationem, in Monasterio Affligemiensi Dei Genitricis erat Imago, cui valedicens Bernardus, Vale, inquit, Alma MARIA: At Bernarde, Vale, ait Sancta MARIA.

Neque id semel, sed iterum S. Patri nostro Bernardo accidisse in Ecclesia Spirensi constat. Cùm enim (*u*) pius Pater Civitatem Spirensem intrasset, & ante Divæ Virginis MARIÆ Statuam pertransisset, eamquè more solito salutasset, ab ea vicissim in conspectu totius populi, qui eum catervatim sequebatur, resalutatus est. *Quod expressiùs narrat Bivarius* (*x*) *cùm dicat*: Aliunde verò liquet Sanctum Bernardum devotissimum Antiphonæ *Salve Regina* extitisse: quippe cùm & illa ultima verba, O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA, ipse addiderit eo tempore, quo Legati Apostolici munere functus Spiram invisit: ubi cùm illius decantationi adesset, Spiritu Dei afflatus ter genua flexit ante Deiparæ Imaginem, à qua meruit resalutari illis verbis, *Salve Ber-*

nar-

---

r Henriquez in fasc. Sanct. Ord. Cister. tom. 1. dist. 4. cap. 39. pag. 152. s Idem Henriq. in Monolog. Cister. 18. Octobris. t Chronic. relat. ibidem. u Henriquez in fasc. Sanct. Ord. Cisterc. tom. 1. dist. 4. cap. 39. pag. 153. x Bivarius lib. ult. Bern. vindicati §. 10.

narde. In cujus rei (*y*) memoriam hæc ipsa verba tribus æneis incisa laminis iisdem locis humi positis, etiam num Spiræ visuntur. Certant igitur (*z*) Affligemium, Spiraquè dè Imagine Deiparæ, quæ Bernardum salutantem resalutaverit: atque utraque monumentis antiquis nixam firmamquè traditionem præsefert, cui vix erit, qui audeat contraire: nobis ut neutra vincatur, vincat utraque, & repetitum favorem, quod solùm superest, pia credulitate persuadeat. Certè Bernardus utrobique diversa loquens, utrobique diversa audisse credendus est. Et Spiræ quidem Antiphonam auxisse, ex cujus primis verbis resalutatus, salvere jussus fuit, *Salve Bernarde*. At Affligemii cum Angelo salutans, cùm, *Ave Maria*, devotè pronunciasset, eadem sibi verba reddita audivit, *Ave Bernarde*, quo velut raptis ex ore ipsius verbis, dulcior Virginis favor comprobaretur.

§. IV.

NEC mirum. (*a*) Alumnus enim familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non unam tantùm Basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis Basilicas dedicavit: ad cujus etiam laudem politissimos Tractatus & fœcundos composuit. Denique (*b*) erga Beatissimam Virginem tanto ferebatur affectu, ut in familiaribus etiam colloquiis, nullius ferè alterius rei mentionem quàm ejusdem faceret. *Unde & (c) solebat dicere*: Non est equidem quod me magis delectet, quàm de Gloria Virginis MARIÆ habere sermonem. *Ejus Festa tanta religione peragebat, ut ad Epistolam die ipsius Natali receptam respondere distulerit ad aliam diem, uti ipse fatetur (d) cùm ait*: Jam ad tuas literas breviter pro tempore respondendum est, quæ cùm mihi in manus venerunt, Natalis Dominæ nostræ dies festus illuxerat; cujus me totum jure sibi devotio vendicans, nihil aliud cogitare sinebat. Sed & nuncius repediare festinans, vix usque in crastinum, ut hæc jam festo exoccupatus qualiacunque rescriberem, expectavit. In omnibusque negotiis (*e*) & tribulationibus, nullius opem tam ferventer, quàm Reginæ Cœlorum implorabat, à qua singularibus privilegiis fuit insignitus: & præ cæteris Sanctis speciali amoris prærogativa nobilitatus. Cùm (*f*) aliquando infirmaretur Vir Dei, & velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore flueret, itaut exhausto corpore usquequaque deficiens, paulò minùs ad extrema deveniret; adfuit ei Beata Virgo MARIA, Sanctis stipata Laurentio & Benedicto, qui imponentes ei manus, & loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinùs ægritudinem depulerunt. Ad tantam autem animi puritatem devenit, ut crebriùs ab eadem piissima Matre visitari mereretur, ut disertè testatur in ejus vita (*g*) Philotheus Monachus his verbis:

 Quid

---

y *Corn. à Lapide in* 1. *cap. Cant. ver.* 1. *& Henriq. in Monolog. Cist.* 13. *Maij*. z *Manrique in annal. Cisterc. ad ann.* 1147. *tom.* 2. *cap.* 3. *n.* 9. *pag.* 60. a *Petr. Abb. Cellen. post Episc. Carnoten. lib.* 6. *Epist. ult.* b *Henriq. in fasc. Sanct. Ord. Cisterc. tom.* 1. *dist.* 4. *cap.* 39. c *S. Bern. ser.* 4. *in Assumpt. B. M. num.* 5. d *Epist.* 86. e *Henriq. in fasc. Cist. tom.* 1. *dist.* 4. *cap.* 39. f *Idem ibidem ex vita S. Bern. lib.* 1. *cap.* 12. g *Philoth. in Carm. Encomiast. de Vit. S. Bern. cap.* 3.

Quid referam quoties summi Regina Theatri
Nectareos illi visa movere sonos?
Sæpe suum Virgo Famulum venerata, solebat
Visere, & ambrosias sæpe referre dapes.

Sed ante alias apparitiones (*b*) ea enarranda est, quæ in Claravalle non uni alterivè, sed cunctis visa, in additis ad Exordium Magnum Cisterciense lib. 7. cap. 10. integra fide, descripta est in hunc modum. In ipso verò momento, quo ultimum exhalavit spiritum, visa est in eodem cubiculo (in quo Sanctus Vir jacebat) Piissima Dei Genitrix, specialis B. Bernardi Patrona, largissima suorum omnium remuneratrix, inumeram Angelorum ac Cælestium Spirituum multitudinem, prout Reginam Cæli & Dominam Angelorum decebat, secum in comitatu habens: quæ, cernentibus omnibus qui ad funus venerant, Sanctissimam Viri Dei animam, quasi ab ore ejus rapiens, usque ad penetralia Cæli cum eodem comitatu, lætantibus Angelis, hymnosquè Cælestes per aëra cantantibus, perduxit, quo pia sui memorum immemor nequam existeret. Similiter & visa est eadem Cæli Regina illam Beati Patris nostri Bernardi animam in Cælesti Beatitudine ad latus suum collocasse. Sic Beata Virgo dilectum sibi Famulum gratulabunda suscepit, deduxitquè. Eandem Visionem descripsit Philotheus (*i*) disticis tribus, mortem Sancti narrans in hæc verba:

Cùm niveus lachrymas inter gemitusquè suorum,
Spiritus abjecto Corpore cessus abit:
Ipsa per aëreos Virgo nitidissima tractus,
Visa est Cælestes ducere læta choros.
Purpureamquè trahens animam, super arce locavit
Empirea, lateri composuitquè suo.

Porrò quia Sanctus Bernardus desideraverat omnem profectum ex Scriptis suis ad laudem Dei, & ejus Genitricis, cuilibet homini provenire: proinde (*k*) Scripta ejus ingenti usui Ecclesiæ ab initio undequaque conquisita, MARIÆ Virginis jussu tandem evulgata sunt, de quibus Philotheus (*l*) cùm jam collecta & evulgata recens fuissent, pià quidem licentià, sed poeticà, non aliud majus donum (hujus generis) à Virgine accepisse genus humanum, quàm quòd Scriptis Bernardi frueretur, fidenter ait:

Hoc tamen audenti liceat dixisse Camæna,
Atque animi sensus exeruisse mei.
Humano nunquam generi, nostroquè decori
Parthenici tantum muneris Alma dedit,
Quantum grata suo nuper cum munere nobis
Protulit hæc brevibus Scripta legenda notis.
Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva Clienti
Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.

Jussit,

---

b *Manriq. in annal. Cisterc. tom. 2. ad ann. 1153. cap. 7. num. 13. pag.* 228. i *Philoth. in Carm.* Encom. *de Vit.* S. Bern. *cap.* 5. k Manriq. *in annal. Cister. tom. 2. ad ann.* 1153. *cap.* 10. *n.* 1. & 3. *pag.* 233. l *Philoth. in* Carm. Encom. *de Vit.* S. Bern. *cap.* 7.

Jussit, & ecce novum fuerant quæ sparsa per orbem
Scripta, volens uno margine cuncta leges.

Attribuit autem Virgini hoc munus, quia ejus jussu collecta Sancti Bernardi Opuscula, atque in Volumen unum conglobata usui publico lucem aspexêre. Ergo hæc ipsa Doctoris Sancti Opera, quæ dispersa erant, Beatæ Virginis jussu conquisita collectaquè, ante ducentos annos plus minusvè publico usui Christiani orbis prodierunt: ut omnes (*m*) Sanctum Bernardum non solùm ob doctrinam divinitùs ei inspiratam, sed etiam propter vitæ Sanctimoniam clarissimis sæpè miraculis demonstratam meritò suspicerent ac revererentur.

§. V.

SI Bernardi effigiem (*n*) videre cupis, Scripta ejus intuere. Verbis disertus, sententiis venustus, rebus abundans, sensu & succo plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis, & mera pietatis mella stillans assiduè, veritatis semper amantissimus. Superi! quàm ille delectat, docet, stringit, movet, persuadet, expugnat! Eam sibi imaginem scribendo efformavit, ut illi Ambrosianum illud ex asse conveniat: Laureatus spiritu scriptis coronetur suis. Ipse (*o*) in tantùm vitâ, virtutibus, & doctrinâ clarus effulsit, ut nullus ei in orbe secundus existeret ingenio, moribus, ore, stylo, & virtutibus. Sed & (*p*) illud ad rem nostram in Bernardo maximè laudem, quòd Sacram Scripturam non solùm assiduissimus legerit, sed eam in suas Scriptiones ita exercepserit, ut Bernardi calamus fluxu penè continuo divinum instillet liquorem. Ipse enim (*q*) non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præeminentem Sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit Cælestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Lac merum (*r*) loquitur, quod ab uberibus Virginis insigni privilegio suxit. Bernardum (*s*) verè appellare possumus mellitum, qui spiritualibus documentis scatens, iisquè optimis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, quòd ita Scripturas Sacras in suum stylum immisceat & contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur, quæ res unà cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem. Universa (*t*) scripta ejus, quæ nihil aliud quàm Centones divinorum Voluminum dici queunt, undecunque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus: hisce adeo commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse videantur. Opera item ejus (*u*) maximam pietatem & sanctimoniam viri redolent, & absolutissimas ejus virtutes, præter suavissimam eloquentiam, quam ore fundit ut apis melliflua, & sententias, quas ex plenitudine cordis eructat, sapientissimè digestas, & ipsius Scripturæ vocibus expressas. Universum autem (*x*) ejus studium in forman-

---

m *Canisius Soc. Iesu Marial. lib. 5. cap. 28.* n *Drexelius Soc. Iesu in Aurifod. lib. 1. cap. 7.* o *Theobal. Episc. in Vit. S. Guill. cap. 2. apud Sur. 10. Febr.* p *Drexel. in Aurif. lib. 1. cap. 7.* q *Card. de Vitriaco lib. de Histor. occid. cap. 14.* r *Card. Bona lib. de diu. Psalmod. cap. 12. §. 1. num. 2.* s *Platus Soc. Iesu lib. 3. de bono stat. Relig. cap. 21.* t *Sixt. Ord. Præd. in Bibliotb. Sanct. lib. 4. in Catal. Script. Eccl.* u *Carol. Regius Soc. Iesu in orat. Christ. lib. 3. cap. 20.* x *Redul. à Tosignano Ord. S. Franc. in diction. Concion. par. p. cap. 35.*

mandis moribus versatur, oratione tam dulci & ardenti, ut verba ejus mellis & lactis dulcedine delinita esse videantur. Unde & melliflui Doctoris nomen apud omnes semper retinuit. Ipse enim (y) fuit eloquentissimus, & Spiritu Sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus. Certè Bernardus fuit (z) puteus seu fons profunditate divinæ Sapientiæ, nardus parvus humilitate, candidus charitate, odore fragrans munditia Vitæ. Quem nimirùm (a) ut in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, sic impleverat Deus Spiritu sapientiæ & intellectus, ut secundùm quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem. Nam & confessus est aliquando, sibi meditanti vel oranti Sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam. Quàm verò placabilem & persuasibilem, quàmquè eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio, nosse potuerunt aliquatenùs qui ipsius legerint Scripta. Siquidem diffusa erat gratia in labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset nè ipsius quidem stylus licèt eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & Lac sub lingua ejus, & nihilominus in ore ejus ignea lex, juxta illud Cantici Canticorum. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. *Inde est, quòd de excellentia Vitæ & doctrinæ S. Bernardi concionem faciens Divus Thomas, sic Mellifluum Doctorem Angelicus Doctor sequenti encomio deprædicat.* Aurum (b) & multitudo gemmarum & vas preciosum labia scientiæ. Proverb. 20. Possunt hæc verba, *ait*, exponi de Beato Bernardo, & commendatur hic ab humilitate prædicationis. Prædicavit autem tria principaliter, de Deo, de moribus & de virtutibus, & de dulcedine contemplationis & devotionis. Hæc tria notantur in his verbis: primum ibi, *Aurum*: secundum ibi, *multitudo gemmarum*: tertium ibi, *vas preciosum labia scientiæ*. *Aurum* fuit omnibus os ejus, de Deo loquendo: *multitudo gemmarum*, de moribus & virtutibus loquendo: *Vas preciosum*, de dulcedine contemplationis & devotionis loquendo. Fuit ergo os ejus aureum, os gemmeum, & os preciosum. Quia per aurum intelligitur Divinitas, ideo dicitur Cant. quinto, Caput illius aurum optimum: Unde Gregorius ait: Caput Christi est Deus, & caput aureum: ergo aurum est Divinitas. Fuerunt ergo labia ejus aurea, gemmea, & preciosa. Vel *Aurum* fuit B. Bernardus, per voluntatis sanctitatem: *multitudo gemmarum*, per morum honestatem & virtutum multiplicitatem: *Vas preciosum*, per Virginitatis puritatem. Hæc tria cantantur de eo: Beatus Bernardus, quasi vas Auri: ecce aurum solidum, ecce preciosum ornamentum omnium lapidum preciosorum, ecce multitudo gemmarum. Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis 27. Omnis lapis preciosus operimentum Sardium, topatium, &c. Lapides isti significant novem ordines Angelorum, quibus fuit dotatus Beatus Bernardus, quia habuit in se virtutes & officia omnium ordinum Ange-

y S. Bonau. in medit. *Vit. Christi cap. 36.* z S. Antonin. Archiepisc. *Florent.* 2. *par. hist. tit. 17. c. 5.* a *Gaufrid.* Monach. *postea* Abb. *Claravall. lib. 1. al. in ord. 3. de Vit.* S. Bern. *c. 3. n. 6.* b *S. Thom.* Aquin. *ser. fest. tot ann. tom. 15. relat. apud* Henriq. *in fasc.* Cister. *lib. 1. dist. 4. cap. 5. pag. 71.*

Angelorum, &c. *Hactenus Doctor Angelicus*. Et nedum hoc (*c*) sed ejus doctrinis universalis Ecclesiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosiùs coruscat. Et fœcunda ejus facundia cœlestis irrigui gratiâ influente, Scripturarum ænigmata referat, solvit nodos, dilucidat obscura, declarat dubia. Sic Beatus Bernardus Doctor Ecclesiæ eximius, qui qui ad gloriam cœlestis patriæ abiens, sic saluberrimis monitis doctrinæ, & exemplis vitæ omnis Sanctitatis, totam subcœlestem fœcundans irrigavit Ecclesiasticam Hierarchiam. *Unde (d) Nicolaus Rievallensis doctrinam S.P.N. Bernardi comparans SS.Patribus, meritò cecinit in suo Epigrammate sequenti.*

> Religionis apex, & nostri gloria sæcli,
> Et decus Ecclesiæ, totius purpura mundi,
> Unice decor Ave: te remige nostra phaselus
> Scilleosquè canes vitat, barathrumquè Charybdis.
> Sol sine nube micans: per te Cistercius Ordo
> Fulget ut Aurora, totoquè relucet in orbe.
> Gemma Sacerdotum, tu compluis & colis & nos.
> Fundis rore sacro, qui largus fluxit ab ore.
> Par es Gregorio mellito gutture: Sensu
> Dives ut Aurelius, huic soli cedis: es inde
> Aureus eloquio sicut Chrysostomus: imò
> Schemate verborum magnus Hieronymus: instar
> Ambrosii splendes, vernas ut Beda, Leoni
> Papæ consimilis, sed es alter Hilarius: unde
> Nempe figurali mysteria clausa sigillo,
> Sensibus historicis priùs elicis, inde recenses
> Prorsùs ænigmatica Salomonis Cantica: certè
> Hæc tibi debetur & laus & laurea soli.
> O felix anima Superis sociata Choreis,
> Solamen miseris esto, medela reis.

Sed & Baptistam Mantuanum Ord.Carmelit. (*e*) audiamus, qui de S. P. N. Bernardi doctrina sic cecinit.

> Tradidit ingenium Sacris sermonibus, omne
> Quod docuit Christus, quod prædixêre Prophetæ,
> Quod didicit Moyses Pancheo in vertice, secum
> Assiduè meditans, sine præceptoribus ullis
> Scivit, & idcirco sylvas habuisse magistros
> Se dicebat......

Prout fusiùs scribit Author Vitæ S. Bernardi (*f*) cùm dicat: Ipse Bernardus usque hodie quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maximè in sylvis & in agris meditando & orando se confitetur accepisse: & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse nisi quercus & fagos, joco

illo

---

c Henric. de Hassia loco sup. cit. d Rievall. relat. apud Henriq. in fasc. Cister. tom. 1. dist. 4. cap. 5. pag. 71. e Mant. apud eund. Henriq. ibidem pag. 72. f Guillel. Abb. S. Theod. lib. 1. de Vita S. Ber. cap. 4. num. 23. & 24.

illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Canonicas autem Scripturas simpliciter & seriatim libentiùs ac sæpiùs legebat: nec ullis magis quàm ipsarum verbis eas intelligere se dicebat. Et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis, quàm in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen & Orthodoxos earum Expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: & vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpè de fonte unde illi hauserant, & ipse bibebat.

§. VI.

VAldè nobis (*g*) est necessaria lectio divina. *Primo quidem*, nam per lectionem discimus quid facere, quid cavere, quò tendere debeamus. Unde dicitur in Psalmo: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Meo consilio (*h*) ibis ad hoc verbum, & docebit te vias suas, nè volendo quidem sed ignorando bonum dum curris, contingat excurrere & errare in invio & non in via. Lux est enim verbum. Declaratio denique sermonum illuminat, & intellectum dat parvulis. Per lectionem (*i*) sensus & intellectus augentur. Beatus es (*k*) si dicas es tu: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Nec parùm proficit anima tua, cujus immutata voluntas, cujus illuminata ratio est, ut bonum & velit & noverit. In altero vitam, in altero visum recipit. Nam & malum volendo mortua erat, & bonum ignorando cæca. Sæpè ergo (*l*) te divino Sacræ Divinæquè Scripturæ eloquio inebria. Hoc tuum primum esse debet fundamentum, necnon via, quæ ducit ad vitam. Propter hoc enim (*m*) optat Propheta dirigi vias suas, ad custodiendas justificationes Domini. Tunc (inquiens) non confundar cum propexero in mandatis tuis. Et tu (*n*) persevera in meditatione Scripturarum, in lege Dei esto assiduus, ut (*o*) informeris in intellectu Scripturarum, & in fide illumineris: ut verum à falso scias discernere, & bonum à malo, vitium à virtute: & remedia tentationum, & reformationem morum invenire scias. Lege quoque Sanctorum vitam, eorumquè doctrinam, ut bonis operibus eorum & actibus instruaris & humilieris, & ad devotionem accendaris, vel ad studium provoceris. Ad perfectionem conversationis (*p*) qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis veteris ac novi Testamenti non sit rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis Liber Sanctorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & Instituta, & vitæ eorum, quid aliud sunt, nisi instrumenta virtutum? *In Officio Sancti Thomæ Angelici Doctoris legitur, quòd Collationes Patrum assiduè pervolutabat.* Qua propter (*q*) vestigiis Sanctorum Patrum viriliter inhærere satagamus,

eorum

g *S.Ber.lib.de modo bene viuendi cap.50.* h *Ser.85.in Cant.n.2.* i *Lib.de modo bene viu. c.50.* k *Ser.85.in Cant.n.2.* l *S.Ber.in opusculo Ad quid venisti c.14.* m *Ser.1.in Dom.6. Pentec.1.* n *Lib.de modo benè viuen. c.50.* o *Opusc.Ad quid venisti c.14.* p *S.Bened. in sua Reg.cap.73.* q *Lib.7.de Vit.S.Bern.cap.ult.n.69.pag.228.*

eorum memoriam in cordibus nostris versando, eorumquè sacros actus frequenter & libenter relegendo: quatenus per rectitudinem operis ipsorum nobis fortitudo operis, quasi de speculo lucidissimo appareat: sicquè salubri verecundia confusi discamus bona etiam quæ agimus, omninò imperfecta reputare, atque ad ampliorem Justitiæ perfectionem semper anhelare. Pensemus singuli (r) in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem: quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion. Si quis verò (s) proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, noverit quisquis hujusmodi est, in statione non in processione se esse, imò verò in regressione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cùm nihil adhuc in eodem statu permaneat. Quisquis (t) in Schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio: & non proficere, sine dubio deficere est.

Secundò. Quia lectio (u) demit errorem vitæ, & subtrahit hominem à vanitate mundi. Vigilet ergo (x) contra delectationem, quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis. Ama (y) scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis: nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori tuo insederint, dominabuntur tui, & te ducent ad delictum maximum. Semper igitur aut legas, aut ores, aut aliquid de Sacris mediteris. Multa enim mala docuit ociositas: est enim mors animæ & vivi hominis sepultura, & sentina omnium malorum ociositas. Per orationem autem & lectionem (z) vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur. Cibus est (a) verbum Dei, quo pascuntur omnes Sancti, tam homines quàm Angeli. Unde scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Utrarumquè (b) ovium Pastor (Dei scilicet Sapientia Christus) unum idemquè pabulum Veritatis aliter in terris, aliter in cælestibus, gregibus suis administrat. Nam nos quidem homines in loco peregrinationis nostræ, in sudore vultus nostri comedere panem nostrum necesse habemus; foris illum in labore & ærumna mendicantes, idest vel à doctis viris, vel à Sacris libris. Angeli autem in omni plenitudine etsi non à semetipsis, tamen in semetipsis tanta facilitate, quanta & felicitate accipiunt, unde & beatè vivunt. Non solus mundus (c) habet delectationem, sed multò major est in verbis Dei. Unde Prophetata ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Renuat ergo (d) consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem: at tu potiùs audi dicentem: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Manna enim est, omnem saporem habens & odoris delectationem: & requies est vera & sincera, suavis & salubris, jucunda & sancta. Cur enim tanta varietate distraheris, ut modò cibum, modò potum, modò vestem aut lectum, nisi pro solà corporis necessaria sustentatione requi-

e ras,

r S. Bern. *serm. 7. in Quadrag. num. 4.* s *Serm. 2. in Purificat. B. M. num. 3.* t *Epist. 341. num. 1.* u *Lib. de modo benè viuen. cap. 50.* x *Ser. 82. de diu. num. 3.* y *S. Bern. Opusc. de 8. punct. perfect. assequen. num. 11. tom. 6. pag. 1042.* z *Lib. de modo benè viuen. c. 50.* a *Serm. 5. in Assumpt. B. M. n. 4.* b *Serm. 53. in Cant. n. 5.* c *Serm. de S. Bened. num. 11.* d *Ser. 4. super Psal. 90. num. 2.*

-ras, qui in uno, ideſt in verbo Dei potes hæc omnia invenire? Ibi (*e*) remedium vulnerum, ibi ſubſidia neceſſitatum, ibi reſarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi denique quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. In hoc verbo (*f*) laboremus, in quo & vivere & gaudere poſſimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vivant (*g*) de paleis Ægypti, qui deſerviunt in operibus luti & lateris: nobis fortior cibus eſt neceſſarius, quoniam nobis grandis reſtat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Magna mihi (*h*) conſolatio eſt, fratres mei, in verbo illo Domini: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo eſtis. Sed quis poteſt dicere: Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere poteſt? reclamante nimirùm Scriptura: Neſcit homo ſi ſit dignus amore, an odio. Certitudinem utique non habemus: ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur, Propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. Propter hoc, inquam, quos præſcivit Deus, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, ut quibus certitudinem negat cauſa ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet gratia conſolationis. Porrò inter ea, quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, unum illud maximum eſt de quo nunc cæpimus loqui: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Evangelium (*i*) ob hoc ſcriptum eſt ut legatur, nec ob aliud legitur, quàm ut rationabilem conſolationem vel deſolationem exinde capiamus.

Tertiò. Quia lectio (*k*) & oratio ſunt arma quibus diabolus expugnatur. Unde (*l*) in Canticis Canticorum de oculis Sponſi dicitur: Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. Oculi Sponſi ſunt ſancti viri, qui ſicut columbæ in ſimplicitate vivunt, & aliis ſuis prædicationibus atque exemplis viam ſalutis oſtendunt. Super rivulos eſſe perhibentur, quia ſemper in refectione Sanctarum Scripturarum converſantur. Qui lacte ſunt loti, niſi quia per gratiam Dei in Baptiſmo à peccatis ſuis ſunt mandati? Quid per fluenta pleniſſima juxta quæ ſedent, intelligimus, niſi Sacræ Scripturæ profunda & arcana dicta, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Nam ſicut juxta fluenta aquarum columbæ reſidere ſolent, ut umbram volantium deſuper avium in aqua videant, & per eam irruentium in ſe ungues rapaces effugiant: ſic ſancti viri in Scriptura Sancta fraudes dæmonum proſpiciunt, & ex deſcriptione quam vident, quaſi ex umbra inimicum cognoſcunt, & ejus deceptiones fugiunt. Sic & tu in meditationibus Sanctarum Scripturarum eſto aſſiduus, quia in eis poteris cognoſcere, qualiter hoſtium inſidias valeas declinare. Ideo moneo te, ut conſiliis Sanctæ Scripturæ ex toto committas te, videlicet ut nihil

aliud

e *Ser.86.in Cant.n.3.* f *Ser.de Nat.S.Ioan.Bapt.n.7.* g *Ser.1. in Dom.1. poſt Oct.Epiph. n.9.* h *Ser.1.in Septuageſ.n.1.&* 2. i *Ser.1. in Dom.prima poſt Pent.n.1.* k *Lib.de modo benè viuendi cap.50.* l *Ibidem cap.55.n.133.*

aliud facias, nisi quod ex responso Scripturarum audieris, quia ibi invenies qualiter fraudes dæmonum fugias. Lectio enim (*m*) docet quid facias, discernit quid caveas; ostendit quò tendas: multùm proficis cùm legis, tamen si facis ea quæ legis. Alioquin (*n*) quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectire in libris, nec habere pietatem in moribus. Porrò (*o*) magnus mihi timor, fratres mei, nè quis fortè minùs dignè verbum salutis recipiat, & non sicut recipiendum est verbum Dei. Scio enim terram, quæ sæpiùs supervenientem in se recipit imbrem, si fructum non fecerit reprobam fore, & proximam maledicto. Nonnullos enim (*p*) sic interdum audientes invenies, ac si nihil omninò ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, nè fortè quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si sermo Dei vivus & efficax manifestè adversùs vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, & avertunt oculos cordis: aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor, nè fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. Terra enim (*q*) quæ sæpiùs supervenientem susceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicta. Sic & ea quæ in Evangelio sterilis ficulnea legitur, si postquam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inventa fuerit: nonnè jam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Sed (*r*) quid dicit Scriptura? Si quis auditor est verbi & non factor, hic comparatur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Nos autem, fratres, non sic (obsecro) non sic, sed consideremus nosmetipsos in Sacri Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si qua in nobis deprehendimus corrigenda.

§. VII.

IN omnibus (*s*) Scripturis legendis initium debet esse timor Domini, ut in eo primo solidetur intentio legentis, & ex eo ordinetur, & exurgat totius lectionis intellectus & sensus. Certis autem ingeniis immorandum est, & assuefaciendus est animus. Quo enim spiritu scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant: ipsoque etiam intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus, & studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsâ experientiâ ipsos Psalmorum affectus indueris. Sicquè de reliquis. Intentioni servit lectio. Si verè in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit cooperantur ei in bonum, & captivat sensus legentis, & in servitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum: nihilquè tam sanctum tam pium invenit in Scripturis, quod seù per vanam gloriam, seù per distortum

 sen-

m *Ibidem c.50.* n *Ser.14.in Cant.n.8.* o *Ser.de S.Bened.n.1.* p *Ser. 1. in Septuag. n.2.* q *Ser.2.de SS.Apost.Petr.& Paul.n.1.* r *Ser.1.in Dom.6. post Pent.n.1.* s *Tract.de Vita solitaria cap.10.n.31.tom.5.pag.251.*

sensum, seù per pravum intellectum non applicet vel malitiæ vel vanitati. Sunt namque (*t*) qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant: & turpis *curiositas* est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi: & turpis *vanitas* est. Qui profectò non evadent subsannantem Satyricum, & ei qui ejusmodi est decantantem: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus: & turpis *quæstus* est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent: & *charitas* est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur: & *prudentia* est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippè qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique intellectus est bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes (*u*) audiant: Scienti bonum & non facienti, peccatum est ei. Ac si per similitudinem dicat. Sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam animæ (mores scilicet atque actus) transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ noverit, vita attestante & moribus, bona efficiatur: nonnè illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosquè humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores, pravi mores? An non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens? An non responsum mortis & damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus: quia *Servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens digna, plagis vapulabit multis*? Et vide, nè fortè in persona talis animæ Hieremias Propheta plangeret, dicens: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*. Nisi quòd ipsa ingeminatio geminum videatur innuere sensum, ut propter hunc quem diximus, alium etiam inquiramus. Puto enim quòd in sua persona potuit hoc dixisse Propheta, quòd videlicet scientiâ plenus, & æstuans charitate, & omninò effundere cupiens, non inveniret qui curaret audire: & sic quasi oneri sua sibi scientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Ecclesiæ Doctor tam illos, qui scire contemnunt quomodò sit vivendum: quàm illos, qui scientes malè nihilominùs vivunt. Veræ itaque (*x*) sapientiæ initium est Deum timere, ejusquè observare præcepta consummatio est: si tamen constat vobis non aliud veram & consummatam esse sapientiam, quàm declinare à malo, & facere bonum: itemquè recedere à malo neminem posse perfectè absque timore, nec bonum opus omninò esse præter observantiam mandatorum. Alioquin (*y*) ante carnem disciplinæ studiis edomitam & mancipatam spiritui, ante spretam & abjectam sæculi pompam & sarcinam, indignè ab impuris lectio sancta præsumitur. Quomodo nempè lux incassum circumfundit oculos cæcos vel clausos, ita animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Quippè Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, quod est vita incontinens. Sed nec erit ei unquam

t *Serm.* 36. *in Cant. num.* 3. u *Ibidem num.* 4. x *Serm.* 1. *in Cant. num.* 1.
y *Ibidem num.* 2.

quam pars cum mundi vanitate, cùm veritatis sit Spiritus. Quæ enim societas ei quæ desursum est Sapientiæ, & sapientiæ mundi quæ stultitia est apud Deum: aut sapientiæ carnis, quæ & ipsa inimica est Deo. Porrò si quis (z) ad legendum accedit, non tam quærat scientiam, quàm saporem. In Catholicæ doctrinæ mensa (a) juxta modulum intelligentiæ sufficientes singulis epulæ apponuntur. Hæc est Paradisus deliciarum, hic est hortus omnium pomorum. Inveniuntur quippe (b) viri virtutum tamquam ligna fructifera in horto Sponsi Jesu Christi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus & moribus quot sumis exempla, tot carpis poma. Alioquin (c) sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, qui ad arborem viriditate foliorum atque ubertate fructûs pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructûs jejunus remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & fæcundissimam seriem strenuæ conversationis Patrum Sanctorum relegens, velut Chronica tantùm, vel annales Regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit, & nihil ex his quæ legit ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientiæ suæ rubiginem, & ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neque enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati serviatur: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi confortentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur: & ut per ædificationem & consolationem legentium Sancta Ecclesia roboretur, & laus Dei, cujus dono sunt bona nostra, per gratiarum actionem amplificetur. Lege (d) Sanctorum vitam, eorumquè doctrinam, ut bonis operibus eorum & actibus instrueris, & ad devotionem accendaris. Non tamen legas ad hoc, ut doctor vociteris, non causâ curiositatis. Nec legas libros, qui non ædificent, ut sunt figmenta Poetarum: quia nova lectio novas generat cogitationes, & extinguit mentis devotionem. Neque historias legas (e) quia historiæ delectant quidem cùm leguntur, sed non ædificant, quin potiùs mentem inficiunt: & in tempore orationis vel spiritualis meditationis, inutilia quæque vel noxia faciunt scaturire de memoria. Difficilium quoq; lectio Scripturarum fatigat non reficit interiorē animum: frangit intentionem, hebetat sensum vel ingenium. Deinde etiam (f) certis horis, certæ lectioni vacandum est. Fortuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat; sed reddit animum instabilem: & leviter admissa, leviùs recedit à memoria. Ante lectionem verò (g) brevi oratione præpara animam tuam, ut Deus & Dominus noster adaperiat aures cordis tui, quatenus possis discere quæ recta sunt, & ea opere complere. Tum eam aggredere pura intentione Deum clariùs cognoscendi, ardentius amandi, studiosiùs illi serviendi in omni sanctitate & justitia. Anhela ad lectionem spiritualem magno sensu pietatis & fervoris, tanquam ad Epistolam divinæ voluntatis interpretem, tibi exuli è patria cælesti missam, parato animo ad ejus

jussa

z *Specul. Monach. n.1. tom.6. p.1032.* a *Ser.94. de div. n.2.* b *Ser.23. in Cant. n.4.* c *Lib.7. de Vit. S. Bernic. ult. n.70. p.218.* d *S.Bern. in Opusc. Ad quid venisti c.14.* e *Tract. de Vita solit. cap.14. n.42.* f *Ibidem c.10. n.31.* g *Card. Bona in suo Horolog. Ascetico cap.2. §.2.*

jussa & consilia exequenda. Eo spiritu legendi sunt libri sancti, quo sunt conscripti: spiritu nimirùm charitatis, pietatis, & utilitatis, non ut doctior fias, sed ut melior evadas. Ad hunc finem eos sancti viri divinitùs inspirati composuerunt, ut sint tibi quasi speculum, in quod respiciens anima seipsam agnoscat & emendet. Non multos Libros perfunctoriè, sed paucos legito accuratè, cum debita mora, tractim, & quietè, ut divinæ illustrationi & inspirationi locus relinquatur. Inchoandus autem ab initio est Liber, nec dimittendus donec ex integro per ordinem absolvatur. Semper aliquid de lectione notatu dignum excerpe, & libello ad hoc parato excipe, quod memoriæ fideliter mandetur, crebriùs ruminetur, ignem devotionis interdiu foveat, & detineat animam ne aliena cogitet. Ipsam verò lectionem brevi gratiarum actione concludes, Deiquè auxilium implora ad id rectè obeundum, quod propositum, & constitutum est.

§. VIII.

SED & (*h*) de quotidiana lectione aliqnid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur: & rursùm revocatum crebriùs ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animnm, nt aliena cogitare non libeat. In omni Scriptura tantùm distat studium à lectione, quantùm amicitia ab hospitio, socialis affectio à fortuita salutatione. Post lectionem (*i*) est orandum. Est enim Scriptura Sacra puteus Jacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione fundantur, verbi gratiâ (*k*) ad lavandum, ad potandum, ad cibos coquendos. Est nimirùm aqua sapientiæ salutaris sermo divinus non modò potans, sed & lavans, dicente Domino: Et vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Sed & crudos carnis cogitatus igne Spiritus Sancti accedente coquit divinum eloquium, ac vertit in sensus spirituales & cibos mentis, ita nt dicas: Concalnit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Gustate proinde (*l*) & videte quoniam suavis est Dominns. Et hnic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur non valet comparari. Sunt enim (*m*) sermones ejus quàm suaves ad gratiam, tàm fæcundi ad sensus, tam etiam profundi ad mysteria. Cui similabo eos? Uni interim alicui epularum, quæ triplici quadam emineat gratia, deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam. Sic inquam, sic singulus quisque sermo ejus, & ex eo quòd suaviter sonat, affectum mulcet, & de sensunm ubertate mentem impinguat & nntrit, & de altitudine mysteriorum dum intellectum quò plùs exercet plùs terret, miro modo tumorem sanat inflantis scientiæ. Isti sunt (*n*) Thesauri sapientiæ & scientiæ penes Sponsum Jesum absconditi: hæc vitæ pascua præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus, qui implevit desiderium suum ex ipsis. Hauriendus est itaque (*o*) de lectio-

h S. Bern. *tract. de Vita solitaria cap.10. num.31.* i *Speculo Monachorum num.1.tom.6. pag.1022.* k *Ser.22. in Cant. num.2.* l *Serm.1. de Omn.Sanct. num.4.* m *Serm. 67. in Cant. num.1.* n *Tract.de vit.& mor. Cleric. cap.3. num.8.* o *Tract. de Vita solitaria cap.10.num.31.*

ctionis serie affectus, & formanda Oratio, quæ lectionem interrumpat: & nō tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat. Lectio nos (p) ad orationem instruit, & ad operationem. Lectio nos informat ad activam & contemplativam vitam. Ideò dicitur in Psalmo: Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. Quatuor sunt (q) spirituales gradus Exercitii spiritualis, scilicet *Lectio*, *Meditatio*, *Oratio*, *& Contemplatio*. Hi gradus sicut nominibus & numero, ita ordine & munere sunt distincti. Quorum proprietates & officia singula, quid circa nos efficiant, quomodo inter se invicem differant & præemineant, quisque nostrûm diligenter inspiciamus. Est autem *Lectio*, sedula Scripturarum animi intentione inspectio. *Meditatio*, est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. *Oratio*, est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis. *Contemplatio*, est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Assignatis jam quatuor graduum descriptionibus, restat ut eorum officia videamus. Beatæ igitur vitæ dulcedinem *Lectio* inquirit, *Meditatio* invenit, *Oratio* postulat, *Contemplatio* degustat. Unde ipse Dominus dicit: *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Quærite *legendo*, & invenietis *meditando*. Pulsate *orando*, & aperietur vobis *contemplando*. *Lectio* quasi solidum cibum ori apponit. *Meditatio* masticat & frangit. *Oratio* saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat & reficit. *Lectio* in cortice: *Meditatio* in adipe: *Oratio* in desiderii postulatione: *Contemplatio* in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod ut expressiùs videri possit, unum de multis supponam exemplum. In *Lectione* audio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Ecce breve verbum, sed suavi & multiplici sensu refertum. Ad pastum Animæ quasi uvam ministravit, quam postquam Anima diligenter inspexit, dicit intra se: Potest aliquid boni esse. Redibo ad cor meum, & tentabo si fortè intelligere & invenire potero munditiam hanc. Preciosa enim & desiderabilis est res ista, cujus possessores beati dicuntur, quibus visio Dei (quæ est vita æterna) promittitur, quæ tot Sacræ Scripturæ testimoniis collaudatur. Hoc ergo sibi pleniùs explicari desiderans, incipit hanc uvam masticare & frangere, eamquè quasi in torculari ponit: deinde excitat rationem ad inquirendum quid sit, & quomodo haberi possit hæc adeò preciosa & desiderabilis munditia. Accedens ergo (r) sedula *Meditatio*, non remanet extra, non hæret in superficie, ulteriùs pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur: attentè considerat quod non dixit, *beati mundo* corpore, sed *corde*: quia non sufficit manus habere innoxias à malo opere, nisi à pravis cogitationibus mundemur in mente. Quod auctoritate Prophetæ David confirmatur, dicentis: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde. &c. Postquam hæc & hujusmodi de cordis munditia pertractavit anima, incipit cogitare de ejus præmio, quàm gloriosum & delectabile est videre faciem desideratam Domini, speciosi formâ præ filiis hominum. &c. Cogitat

p *Lib. de modo benè viven. cap. 50.* q *Tract. de modo orandi cap. 1. & 2. tom. 5. pag. 474.*
r *Ibidem cap. 3. 4. & 5.*

tat quòd in illa visione erit satietas illa, de qua dicit Propheta: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. &c. His anima facibus inflammata, his incitata desideriis, fracto alabastro suavitatem unguenti præsentire incipit necdum gustu, sed quasi narium odoratu. Et hoc colligit quàm suave esset hujus munditiæ sentire experientiam, cujus meditationem novit adeò esse jucundam. Sed quid faciet? Habendi desiderio æstuat, sed non invenit apud se quomodo haberi possit: & quantò plùs inquirit, tantò plùs sitit. Dum apponit meditationem apponit & dolorem: quia sitit dulcedinem, quam in cordis munditia meditatio esse monstrat, sed non prægustat. Non enim est legentis atque meditantis hanc sentire dulcedinem, nisi data fuerit desuper. &c. Videns autem anima, quòd ad desideratam cognitionis & experientiæ dulcedinem per se non possit attingere, &c. humiliat se & confugit ad *Orationem*, dicens: Domine, qui non videris nisi à mundis cordibus, investigavi legendo, meditando quæsivi quomodo haberi possit vera cordis munditia: ut ea mediante vel ex modica parte possem te cognoscere. Quærebam vultum tuum Domine, vultum tuum requirebam. Diù meditatus sum in corde meo, & in meditatione exarsit ignis ac desiderium ampliùs cognoscendi te. Dum panem Sacræ Scripturæ mihi frangis, in fractione panis magna cognitio est. Et quantò plùs te cognosco, plùs te cognoscere desidero, non jam in cortice literæ, sed in sensu experientiæ. &c. Da mihi Domine arrham hæreditatis futuræ saltem guttam Cælestis pluviæ, quâ refrigerem sitim meam, quia amore ardeo. His & hujusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium, sicquè ostendit suum affectum. His incantationibus advocat Sponsum. Dominus autem cujus oculi super justos, & aures ejus non solùm ad preces, sed ipsas preces eorum non expectat donec sermonem finierint: sed medium orationis cursum interrumpens, festinus ingerit se, & animæ desideranti festinus occurrit, Cælestis rore dulcedinis circumfusus, unguentis optimis delibatus animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat: & facit eam terrenorum oblivisci, memoriâ sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, & inebriando, ac sobriam reddendo. &c.

Ut ergo (s) quæ diffusiùs dicta sunt simul juncta meliùs videantur, prædictorum summam recapitulando colligamus. Sicut in prædictis exemplis prænotatum est, videri potest quomodo prædicti gradus, & sicut temporaliter ita & causaliter se præcedant. *Lectio* enim quasi fundamentum occurrit, & datâ materiâ, mittit vos ad meditationem. *Meditatio* verò quid appetendum sit, diligentiùs inquirit: & quasi effodiens Thesaurum invenit & ostendit. Sed cùm per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem. *Oratio* se totis viribus erigens ad Deum, impetrat Thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem. *Contemplatio* autem adveniens, prædictorum trium laborem remunerat, dum Cælestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat. *Lectio* ergo est secundùm exterius exercitium: *Oratio* secundùm desiderium: *Meditatio* secundùm interiorem intellectum: *Contemplatio* super omnem sensum. Primus gradus est incipientium: secundus est proficientium: tertius est devoto-

rum:

s *Ibidem cap.* 10.

rum: quartus beatorum. Hi autem gradus (t) ita concatenati sunt, & vicaria ope ita sibi invicem deserviunt, ut præcedentes sine subsequentibus aut parùm aut nihil prosint: subsequentes verò sine præcedentibus aut rarò aut nunquam haberi possint. Quid enim prodest *Lectione* continua tempus occupare, Sanctorum gesta & Scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando & ruminando, succum eliciamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? ut ex his diligenter consideremus statum nostrum, & studeamus eorum opera agere, quorum Scripta cupimus lectitare. Sed quomodo hæc cogitabimus, aut quomodo cavere poterimus, nè falsa aut inania quædam medicando, limites à Sanctis Patribus constitutos transeamus, nisi priùs circa huiusmodi antè ex Lectione fuerimus instructi? Item quid prodest homini si per *Meditationem* quæ agenda sunt videat, nisi *Orationis* auxilio, & Dei gratiâ ad ea obtinenda convalescat? Omne siquidem datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum. &c. Ad hoc ergo ut fructuosa sit *Meditatio*, oportet ut sequatur *Orationis devotio*, cujus quasi effectus est *Contemplationis* dulcedo. Ex his possumus colligere, quòd *Lectio* sine meditatione arida est: *Meditatio* sine lectione erronea est: *Oratio* sine meditatione est tepida. Meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum devotione contemplationis acquisitiva. Contemplationis adeptio sine oratione, aut rara aut miraculosa. &c. Ex præsignatis distinctionibus perspici possunt prædictorum graduum proprietates, quomodò sibi cohæreant, & quid singuli in nobis efficiant. Beatus homo, cujus animus à cæteris negotiis vacuus, in his quatuor gradibus versari semper desiderat: qui venditis universis quæ habuit emit agrum illum, in quo latet Thesaurus desiderabilis, scilicet vacare & videre, quàm suavis est Dominus. Habent Evangelia (u) & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, hæc perfectio est. Siquidem Filius hominis, ubi caput reclinaret, non habebat. Petro & Joanni nec argentum nec aurum erat. Paulus victu simplici vestituquè contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat.

§. IX.

Lectio sacra (x) plurimas habet utilitates: & potissimè duodecim, quæ Lectorem multùm movere debent ad libenter cum magna cordis concupiscentia ad lectiones sacras legendas. *Primò quidem Lectio valet ad bonorum fructuum productionem*. Nam viri devoti (qui juxta aquas sapientiæ, quæ per libros decurrunt, plantati sunt) ferunt multum fructum quandoque bonorum operum, quandoque prædicationis, quandoque doctrinæ. Unde de viro bono dicitur in Psalmo primo: In lege ejus meditabitur die ac nocte: & erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. *Secundò, valet ad cælestis desiderii inflammationem*. Cùm enim verba divina sint quasi ignis, sicut dicitur Hieremiæ quin-

f to,

t. *Ibidem cap.* 11. *&* 12. u. *Tract. de Vit. & mor. Cleric. cap.* 3. *num.* 8.
x. *Io. Card. de Turre cremata Ord. Præd. Theologus & I. C. eximius. lib. in cap.* 4. *Regulæ S. P. Benedicti tract.* 41. *de vtilit. audien. lectiones sacras.*

to, constat, libros qui sunt pleni divinis verbis, esse quasi calefactorium humanarum mentium. Unde Gregorius ait: Stude quæso, & quotidie verba Creatoris tui meditare, ut mens tua ad cælestia gaudia majoribus desideriis accendatur. *Tertiò, valet ad animandum & confirmandum debiles & infirmos contra tentationum bella*, per hoc quod in Libris sacris narrantur gesta virorum fortium. Et ideo sicut milites mundi audiunt & legunt libenter Libros Historiarum, in quibus inveniuntur probitates antiquorum militum: ita & milites Christi libenter legunt & audiunt Libros sacros, ut ex gestis probatissimorũ Patrum, quæ narrantur in eis, animentur & roborentur. Unde Gregorius ait: Scriptura narrat gesta Sanctorum, & ad imitationem provocat corda infirmorum: dumquè illorum victricia commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confortat. *Quartò, valet ad cavendum dæmonum insidias*. Est enim sacra lectio sicut alveus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines avium rapacium: & ideo viri sancti libenter legunt libros sanctos, ut intuentes in eis fallacias dæmonum meliùs caveant. Unde in Canticis Canticorum quinto dicitur: Oculi ejus (scilicet viri sancti) sicut Columbæ super rivos aquarum, quæ resident super fluenta plenissima. Solent columbæ (ait Glossa) juxta fluenta residere, ut volantium avium in aqua umbram videant, & sic ungues vitent. Sic sancti in scripturis fraudes dæmonum prospiciunt, & ex deceptione quam attendunt, quasi ex umbra hostem cognoscunt & fugiunt. *Quintò, valet ad sui cognitionem*. Est enim Scriptura Sacra quasi speculum, in quo cognoscit quisque semetipsum. Unde Gregorius ait: Scriptura Sancta oculis mentis quasi speculum quoddam opponitur, & interior nostra facies in ipsa videtur. Ibi fæda nostra, & pulcra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantùm proficimus, & à profectu quantùm longè distamus. *Sextò, valet ad commorandum cum Deo*. Nam in Lectione auditur Deus loquens. Unde Ambrosius ait: Christum alloquimur, dum oramus: ipsum audimus, cùm divina oracula legimus: & videtur, quia videmus nunc ipsum per speculum Scripturarum, ait Apostolus 1. Corint. 13. Et Isidorus, qui vult (ait) cum Deo esse, frequenter oret, & legat. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur, cùm verò legimus, nobiscum loquitur. *Septimò, valet ad animæ refectionem*. Sunt enim divini Libri quasi loca pascualia uberrima. Ut Psalmista ait: In loco pascuæ ibi me collocavit. Glossa: Intelligentia Divini sermonis. Et ideo devotæ animæ libenter in eis morantur, sicut animalia in locis pascualibus. Unde Isidorus ait: Scripturarum altitudo montes pascuæ sunt, ad quos cùm quisque justorum conscenderit, pascuæ indeficientis refectionem invenisse se gaudet. Sicut enim vita corporalis (y) absque cibo materiali & corruptibili produci nequit, & conservari: ita proxima morti est anima, quæ cibo suo, lectione scilicet spirituali, destituta est. Non in solo pane vivit homo (ut Christus docet) sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sunt enim Libri spirituales mystica mensa, quam Divina Sapientia proposuit in domo quam sibi ædificavit, abundans pane & vino, doctrina scilicet & affectibus, quibus anima nutritur, crescit

y. *Io. Card. Bona in suo Horolog. Ascet. cap. 2. §. 2.*

crescit, & roboratur. *Octavò* (2) *valet ad salutaria remedia*. Divina enim Scriptura est quasi Apotheca specierum salutarium, & odoriferarum. Et ideo sapientes libenter ad eam recurrunt pro salute & recreatione. Unde Ambrosius ait: Sacra scriptura salutem suggerit, vitæ odorem fragrat, ut suavitatem legens capiat, non præcipitii crimen incurrat. *Nonò, valet ad consolationem in tribulatione*. Sunt enim in Libris sanctis multæ consolationes pro bonis. Machab. 1. 12. legitur: Habentes solatio Libros sanctos in manibus nostris. Et ideo sancti viri, cùm frequenter tribulationes in hoc mundo patiuntur, recurrunt ad libros frequenter quasi ad solatium. Unde Gregorius ait: Ad consolationem vestram Sacra Scriptura præparata est. *Decimò, valet ad vires animæ replendas*. Libri enim aliarum scientiarum licèt illuminent intellectum, non tamen accendunt affectum. Divini verò Libri utrumque faciunt. Unde Isidorus ait: Geminum confert donum lectio Scripturarum Sacrarum: sivè quòd intellectum mentis erudit, sivè quod à mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. *Undecimò, valet ad necessaria in vita præsentis peregrinationis cognoscenda, & prudenter prosequenda*. Omnia enim hæc docet lectio sancta. Unde Isidorus ait: Lectio docet, quid caveas: lectio ostendit, quò tendas: lectione sensus augetur & intellectus. *Duodecimò, valet ad carnalia desideria refrænanda*. Unde Hieronymus ait: Ama sacras lectiones, & carnis delicias non amabis.

Præterea Lectio spiritualis multas alias utilitates producit in nobis, sicut docet pariter & enumerat eas Mellifluus Doctor (a) *cùm dicat*: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Vultis nosse quàm beati? Primùm quidem sonans in auribus animæ vox Divina *conturbat, terret, dijudicatquè*: sed continuò si benè adverteris, *vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat*. Denique & *Cibus* noster est, & *gladius*, & *medicina*, & *confirmatio*, & *requies*, *resurrectio* quoque, & *consummatio* nostra. Nec mireris quòd verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus esse, quantùm spectat ad justificationem, siquidem & futurum est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiat & illud peccator, & conturbabitur venter ejus: à voce illa carnalis anima contremiscet. Omnia namque cordis secreta rimatur atque dijudicat sermo vivus & efficax, cordiū atque cogitationum perscrutator. Unde & licet mortuus in peccato, si audieris vocem Filii Dei, vives. Sermo enim quem loquitur, spiritus & vita est. Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum suum & liquefaciet ea. Et item: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Si tepidus es, & evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium ejus ignitum valdè. Quod si tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis. At fortassis tantò ampliùs doles, quantò clariùs peccata etiam minima illuminatus agnoscis: sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est utique sermo ejus, ut inter Apostolos audire merearis: Jam vos mundi estis pro-

2. *Card. de Turre cremata lib. in cap. 4. Reg. S. Bened. tract. 41. supra cit.*
a. S. *Bernardus Ser. 24. int. diu. de multiplici utilitate Verbi Dei*.

propter sermonem, quem locutus sum vobis. Jam verò cùm laveris manus tuas, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei: & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum ejus. Ubi si consistunt adversùm te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, & in eo facilè triumphabis. Quod si fortè (ut est certaminis consuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum, & sanabit te, & eripiet te de interitionibus tuis: ut in te quoque impleatur quod ait Centurio: Domine dic. tantùm verbo, & sanabitur puer meus. Sed & si titubas adhuc, confitere & clama: Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: & in verbis suis confortabit te, ut experimento discas, quoniam verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, In his atque hujusmodi persevera, in talibus jugiter exercere, donec jam dicat spiritus, ut requiescas à laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter, ac suaviter potaberis donec veniat hora cùm omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus, & procedent. Sed quo? Alii quidem in judicium, alii verò in vitam æternam. Et quis scit si est dignus amore vel odio? Tunc maximè memor esto verbi tui servo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, ut ab auditione mala non timeam: sed beata magis auditio me perducat ad visionem, cùm dices: Venite benedicti Patris mei &c. Sæpè ergo (*b*) divino Sacræ Scripturæ eloquio incumbe. Hoc tuum debet esse primum fundamentum, nec non via quæ ducit ad vitam. Persevera (*c*) in meditatione Scripturarum: in lege Dei esto assiduus: habeto studium in divinis legibus: usus legendi sit tibi frequens. Lectio sit nobis quotidiana legis meditatio, cujus monitis (*d*) & auctoritate irruentibus in nos vitiis resistamus.

§. X.

Rogas, (*e*) quosnam Authores legere hanc rem suadeam? Inter Latinos Bernardus me capit. Etenim usum habet excitandi, ob acrimoniam utique & calorem: tum etiam & docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen, quas crebrò & salubriter miscet. Bernardus (*f*) ubique melleus & igneus, melleam & igneam Lectori aspirat sapientiam. Nihil certè (*g*) legi potest aut disertius, aut excellentius, aut efficacius ad persuadendum. Urit afficit, penetrat mellifluus Sermo Bernardi. Modus autem docendi ejus (*h*) in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis ferè semper versatur. Oratio ejus ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter accendit, ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Unde nescio (*i*) quid latentis energiæ sentio illabi in animum meum, & occulta quadam vi sed suavi inter legendum me commoveri, velut aliquid homine majus & excellentius

in

---

b. S. *Ber. opusc. Ad quid venisti cap.* 14. c. *Lib de modo bene vivendi. cap.* 50.
d. *Lib. de vite myst. cap.* 15. *n.* 61. e. *Iustus Lipsius Centuria* 3. *ad Belgas Epist.* 49. *ad Aubertum Miræum*. f. *Cornel. à lapide in cap.* 16. *Prover. ver.* 21. g. *Card. Bona in Præfat. lib. de discret spirituum*. h. *Sixt. ord. Prædicat. in Biblioth. sanct. in Catal. script. Eccles.* i. *Horstius in præfat. Epistolarum S. Bernardi pag.* 41

in homine videar agnoscere: adeo me trahit rapitquè (cur dissimulem) mel-leus ille Beati Bernardi genius, animi candor, morum suavitas, vitæ sanctimonia, fervor spiritus, religionis zelus, doctrinæ profunditas, orationis Suada, styli melliflui nectar, ingenii sublimitas imò divinitas quædam: omnia, inquam, stupenda, singularia, summa: & nescio, an in alio quovis paria? Ubi quæso (*k*) talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur, ubi talis amoris stimulus inycitur, sicut in vita & doctrina Beatissimi Patris Bernardi Abbatis Claravallēsis, Syderis Ecclesiæ, principalis Cistercensis Ordinis Ampliatoris, & Monasticæ vitæ inflammatoris ardentissimi? Cujus utique (*l*) universum studium in formandis moribus versatur, oratione tam dulci & ardenti, ut verba ejus mellis & lactis dulcedine delinita esse videantur. Rumines ea, (*m*) si vis ut sapiant tibi: quia non solùm spiritualia sunt & cor penetrantia, sed & decore plena, & ad Dei servitium excitantia. Bernardus enim (*n*) est suavis, acutus, pius, elegans, eloquens, incendia excitans Religiosæ vitæ & veræ Sanctitatis. Bernardū (*o*) te desidero imitari, & ipsius monita & verba opere exercere: propter quod sæpè tibi propono eundē. Quis enim (*p*) sibi congruentius amoris magisterium usurpaverit, quàm Bernardus, cujus & facta omnia, & Scripta scintillæ sunt quædam igneæ amoris? Quis, inquam, (*q*) penetrabilior virtutum hortator occurrit? quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanū excitans torporem ad cælestia, ardorē elidens ad terrestria, somnum mortis impediens, & divinæ lucis radios fugatis tenebris inclarescere satagens? Quis denique (*r*) suaviùs Bernardo scribit? cujus ego meditationes rivum Paradisi, ambrosiam animarum, pabulum Angelium, medullam pietatis vocare soleo. Non deerit tamen (*s*) alicubi aculeus, sed & hic melli cognatus est. Nimirùm vulnera quædam facilè coeunt, si curandis vinum & oleum adhibeas. Id probè noverat Medicus ille Euangelicus; nec minùs noster Mellifluus. Hinc mores, abusus, vitia non raro pungit, sed ungit interim, quos à morbis, id est malis moribus curandis susceperat, grato melle sermonis & amoris. Et qui poterat aliter, quem Unctio docebat in omnibus? ut penè de ipsius doctrina usurpare liceat illud Apostolicū, non eum accepisse scientiam ab homine, neque per hominem. An fallor? Ecce jam pridem excellenti donatus titulo & elogio, Theodidactus dici meruit. Sed quid ago, cum tædio forsan Lectoris in Bernardi laudes digrediens? At hoc meo in ipsum, imò & in te, mi Lector, cui Bernardum impensè commendatum cupio, amori tribue. Amabit te Virtus & Pietas, si illum amaveris. *Quomodo? quomodo legis de S. Gertrude Virgine Abbatissa, divinis raptibus & illustrationibus clarissima, quæ florebat anno* 1280. *in Monasterio Elpede Ordinis Sancti Benedicti*. Huic Virgini (*t*) in profesto S. P. Bernardi (ad quem ob mellifluæ ipsius elo-

k. *Henricus de Hassia loco sup. citat.* l. *Rodulph. à Tossignano Ord. S. Franc. in Diction. Concion. paup. cap.* 35. m. *S. Bonav. in medit. vit. Christi cap.* 36. *Operum tom.* 6.
n. *Franc. Ribera Soc. Ies. Proem. comment. in malach. n.* 12. o. *S. Bonav. in medit. Vit. Christi cap.* 36. p. *Ioan. Gerson. Cancell. Parisien. ser.* 2. *de S. Bernardo tom.* 2.
q. *Henric. de Hassia loco sup. cit.* r. *Daniel Heinsius orat. & Poet excellens lib.* 6. *orationum, orat.* 3. *pag.* 30. s. *Horstus in fine Præfat. in Epist. S. Bernar.*
lib. 4. *de Vit. S. Gertrudis sive insinuat. diu. pietat. cap.* 50.

eloquentiæ prærogativam,singularem habebat devotionem)apparuit idem Sanctissimus Abbas ineffabili gloria,& cælesti decore venerabiliter adornatus: ita ut intuenti se in uno aspectu *triplex color* vestimentorum ejus satis mirabiliter perspicuus repræsentaretur. Nam micabat pariter in eo *Lilialis* candor purissimæ integritatis,& virginalis innocentiæ ipsius: *Violaceus* quoq; nitor ipsius Sanctissimæ religionis,perfectissimæq; conversationis:necnon *Roseus* fulgor ferventissimæ charitatis. Qui tres elegantissimi colores adinvicem in Anima tanti Patris collucentes,omnibus Sanctis amœnissimum quoddam præbebant oblectamentum. Pectus quoque ejus Sanctissimum, collum, & manus videbantur aureis quibusdam laminis aureis gemmisquè rosei coloris valde rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Unde & per laminas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ ejus salutaris, quam corde devoto sedulò retractans per gutturis sacri ministerium, & ore sacrato deprompsit, & manibus sanctis fideliter conscripsit, omnibus per ea proficere cupientibus ad salutem. Per gemmas verò figurabantur illa dicta, quæ specialiùs redolent Divinum Amorem, &c. *Et paulò post*. Gestabat insuper in Capite suo Coronam splendidissimam, mirabili varietate radiantem, in qua relucebat omnis profectus, quem idem Egregius Pater desideraverat ex Scriptis & dictis suis, ad laudem Dei, cuilibet homini provenire. *Hinc est quòd Philotheus suo Carmine (u) invitat omnes Christifideles ad legendum libros S. Patris Bernardi,cùm dicat*:

Scripta triumphales Cæli reserantia valvas,
 Scriptaquè communi suscipienda manu.
Omnis namque datis ætas, sexusquè Libellis
 Perfruitur, Latio si tamen ore sonat.
Quisquis ades, si fortè tuæ tibi cura salutis,
 Hæc fuerint animæ grandia dona tuæ. &c.
Hic tibi præcipuo semper venerandus honore
 Auctor, & æterno dignus amore coli.
Hunc relegens summo lætus spatiabere Cælo;
 Et poteris stygios tristis adire lacus. &c.
Qui legit, expleri nequit, ardescitquè legendo,
 Et dolet assueti cùm venit hora cibi.
Efficiunt animos aliorum Scripta tumentes,
 Et nimirùm sparsis luxuriare comis.
Hæc autem mundo Paracletum in pectore condent,
 Accendentquè novis frigida corda focis.
Hæc tibi marmoreo lachrymas de pectore dulces
 Elicient, animæ gaudia summa tuæ.
Denique cuncta novi veterisquè Volumina sensus
 Solus hic eximia continet arte Liber.
Hæc igitur toto Monachi contendite cursu
 Arripere, & tacito condite dicta sinu,
Ut vos sydereum faciant conscendere culmen,

Cæ-

u *Philoth. in Carm. Encomiast. de Vita S. Bernardi cap.7.*

Cæleſteſquè inter regna tenere choros.
Vos quoque Chriſtigenæ, genus mortale clientes,
Parthenicum medio figite corde Senem:
Ut Cæli terræquè graves eliminet iras,
Et reſeret clauſi limina celſa poli.

§. XI.

CÆterùm (x) longè eminentiùs S. Bernardus in ſuis Libris apparet, & ex literis propriis innoteſcit, in quibus ita ſuam videtur expreſſiſſe imaginem, & exhibuiſſe ſpeculum quoddam ſui, ut illud quoque Ambroſianum meritò illi poſſe videatur adaptari: Laude ſua ipſe ſe ſonet, & Laureatus ſpiritu Scriptis coronetur ſuis. Si quis enim noſſe deſiderat, quàm ſollicitus ab initio ſuiipſius dijudicator & ſcrutator extiterit, primum Opus illius de Gradibus Humilitatis inſpiciat. Inde ſi quæritur piæ mentis religioſa devotio, tranſeundum ad Homilias in laudem Virginis Matris: & ad illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra ſuorum vel aliorum vitia zelus, legatur is Liber, quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo & circumſpecta diſcretio, de Præcepto & Diſpenſatione differens audiatur. Quàm verò fidelis cujuslibet piæ converſationis commendator extiterit & adjutor, Exhortatorius ad Milites Templi Hieroſolymitani ſermo declarat. Quàm non ingratus Gratiæ Dei, ex his liquet quę de Gratia & Libero Arbitrio tam fideliter, quàm ſubtiliter diſputavit. Quàm liber in voce, quàm diſertus, & in rerum Superiorum pariter inferiorumquè ſcientia locuples, in his quæ ad Papam Eugenium de Conſideratione ſcripſit, diligens conſiderator agnoſcet. Quàm devotiſſimus prædicator alienæ Sanctitatis, tam diligenter Epiſcopi Sancti Malachiæ vitam proſecutus oſtendit. In Epiſtolis, quas ad diverſas perſonas ob negotia diverſa dictavit, prudens Lector advertet quo fervore ſpiritûs juſtitiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit injuſtitiam. Sed & in Sermonibus ſuper Cantica & inveſtigator Myſteriorum, & morum ædificator magnificus innoteſcit. Nactus enim (y) Vir Dei Bernardus aliquod quietis tempus, aliis ſe negotiis occupavit, & ſecedens ad caſulam piſatiis torquibus circumtextam, ſolus meditationibus Divinis vacare diſponit. Et repentè occurrunt ei in diverſorio humili quaſi ad Præſepe Domini conſiſtenti, amatoria Cantica, & ſpiritualium fercula nuptiarum. Conſiderat & expaveſcit, quòd Sponſus ille ſpecioſus formâ præ filiis hominum, fuſcam adamaverit Sponſam, & decoloratam à Sole, tanto extollat præconio, ut dicat eam totam formoſam, nec ullam in ea maculam eſſe. Ipſam quoque Sponſam dilectione languere miratur, & inquirit diligenter, quæ ſit illa charitas, cujus oſcula dulciora ſunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat. Cùmq; Sponſus multis laudibus Sponſam attollat, non tamen in omnibus plenam ei ſui copiam præbeat, nec uſq; ad plenitudinē ſatietatis, ſe ſponſę deſideranti cōcedat: quęſitus aliquando non inveniatur, & poſt longos circuitus repertus teneatur, nè fugiat. Multo tempore in harum medita-

x *Gaufrid. lib. 1. al. in ord. 7. de vit. S. Bern. cap. 8. n. 28. pag. 99.* y *Bern. Abb. Bonævallis lib. 2. al. in ord. 2. de vita S. Ben. cap. 6. nu. 40. pag. 69.*

ditatione rerum animam suam effudit Vir Dei Bernardus: & multipliciter hæc exponens, quantū in se profecerit, qui quotidie in illis epulabatur deliciis; quantū nobis profuerit, quibus ejusdem benedictionis reliquias in Scriptura servavit, manifestum est legentibus eam. Insigne profectò (z) Bernardi Opus, quod eruditi omnes cæteris ipsius laboribus præferunt, hoc est in tria prima Cantici Canticorum Capita explanationis mysticæ, atque continuæ, Sermones 86. In quibus tantâ facundiâ Divinæ Charitatis vim atque sublimitatem expressit, ut appareat illum omnes in seipso Cælestis amoris affectus, motus, & aculeos vero ac vivo spiritus sui experimento sensisse. Hoc, inquam (a) illud Opus Bernardi est, quod vel Magnus ille totius Ecclesiæ Sol, doctrinâ pariter & puritate vitæ Angelus, atque Angelicus Doctor Divus Thomas recusavit perficere: quasi diffidens à se posse adæquari Sancti Bernardi dulcedinem. Unde & rogatus à Fossæ novæ Fratribus Cisterciensibus (ubi & extremum Deo spiritum reddidit) hæc verba respondisse fertur: Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam Opera Bernardi. Constat ergo Opus tantum esse, cui se imparem vel Thomas judicaverit.

Quantæ autem sit dulcedinis spiritualis lectio ejusdem Operis S. Bernardi, sive Sermonum ejus in Cantica, facilè quisque cognoscere poterit, nedùm legendo eos, sed etiam audiendo exempla Virorum illustrium, qui lectione eorum perfrui consueverunt. Primum sit de Beato Aloysio Gonzaga Soc. Jesu, studiosissimo Lectore dicti Operis; quem quotidie aliquid ex eo legere solitum scriptor Vitæ ejus (b) *ita enarrat*: Cùm aliquando (*ait*) unà cum suis sociis in solario lintea, quæ è lavatrina eò delata aruerant, complicaret, rediit in memoriam nihil se eo die, ut quotidie solebat, in Divo Bernardo legisse. Subiit ergo, post quam aliquandiu id egerat, cupiditas suæ pietati satisfaciendi. Unde & lectionem tam sibi in vita jucundam neque morti vicinus amisit: nam in morbo, qui illi postremus fuit, Bernardum adeò carum habuit, ut quotidie aliquid de ejus in Cantica sermonibus sibi perlegi curaret. *Secundò ostenditur Sanctus Pontifex Greg. XIV. legisse S. Bernardum uti refert Scriptor ejus vitæ* (c) *qui inter cætera de eo ita ait*: Meditabatur mane horâ integrâ, legens Opera Mellifluì Bernardi: & si quos ex iis bonos erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat, concinnèquè scribebat. *Tertiò de Carolo V. Imperatore author in ejus Vita* (d) *enarratis insignibus ejus virtutibus & gestis, ita scribit*: Cùm verò nulla ejus vitæ pars non summè laudabilis sit, nulla re magis animi magnitudinem ostendit, quàm vitæ clausulâ, quâ Vir alios vincere assuetus, seipsum vicit: vitæquè tot casibus obnoxiæ jam potiorem mente agitans, antequam moreretur, renunciavit: & qui Reipublicæ vixerat, sibi ac Deo cæpit vivere. Itaque toto biennio (quod mortem præcessit) monitore usus Constantino quodam, qui ei à Sacris Confessionibus erat, præcipuè Beati Bernardi Abbatis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum revolutus sic ratiocinabatur, &c. *Et nè putes, benigne Lector,* in-

z *Sixt. Senen. Ord. Præd. in Biblioth. Sanct. lib. 4.* a *Manrique in Annal. Cister. to. 1. ad ann. 1135. cap. 6. num. 10. pag. 279.* b *Virg. Cepar. in Vita Beati Aloys. Gonzag. lib. 2. cap. 9. & 32.* c *Circarella in Vita Greg. XIV.* d *Iacob. Aug. Thuanus in historia lib. 21.*

indulgere me sensui, & affectui meo adeo rapi ultra lineam in Sancti Patris mei Bernardi Encomia: tu ipse experimentum tale in ejus lectione capias, ut possis dicere cum Beato Henrico Suso, vita sanctitate & revelationibus divinis illustri, qui inebriatus dulcore lectionis ejus, ita eum alloquitur (e) dicens: Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis Bernarde Melliflue, cujus anima Sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata splendoribus: qui mellito eloquio tuo, ex cordis manante redundantia, humanitatis Christi Passionẽ dulcissimè deprædicas evehensquè, ita ais, &c. Meritò sanè, Pater Sanctissime Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando Cor tuum Christi melliflua Passio adeò edulcârat. *Tempus quidem jam erat finiendi, sed adhuc*

Mira loquar (*f*) sed digna fide. Bernarde, quid hoc est?
Vivis adhuc? Vivo. Non es mortuus? Imò.
Et quid agis? Requiesco. Taces, an faris? Utrumque.
Cur retices? Quia dormio. Cur loqueris? Quia vivo.
Quid loqueris? Sacra mystica. Cui? Mea Scripta legenti.
Num cunctis? Non. Ergo quibus? Qui dulcia quærunt.
Nomen habes? Ita. Quod? Bernardus. Num sine causa? Non.
Dic ergo, quid hoc est, Bernardus? Bona Nardus.
Cur Nardus? Quia fragro. Quo fragramine? Dulci.
Cui fragras, & ubi? Lectori, Codice Sacro.
Quod cognomen habes? De Claravalle. Manes hìc?
Mansi, sed modò non. Ubi nunc? In vertice Montis.
Qualis eras in Valle manens? Humilis. Modò quantus?
Major nunc sursùm, quantò minor antè deorsùm.
Nonne tui quidquam Vallis tenet? Ossa. Quousquè?
Donec cæleste fiat terrestre cadaver.
Hoc quando fiet? Omnis caro quando resurget.

§. XII.

SApientis (*g*) oraculum est: Flumina repetere originem suam, ut iterum fluant: Et quònam hos ego non aqueos, sed melleos Sapientiæ reducam rivos, nisi ad ipsum fontem unde emanarunt. Ad te inquam, Bernarde Melliflue, ut uberiori deinceps scaturigine redundent, & irriguo superiore arentia cordium nostrorum arva fæcundent. Tu quippe es, qui Orbem uti olim sic nunc quoq; Cælestibus irrigas eloquiis, Scriptisquè lacte & melle manantibus suavissimè recreas. Quibus dum fruimur, terræ promissæ delicias etiam in loco horroris & vastæ solitudinis degustare videmur, & prælibata quasi futuræ vitæ promulsíde amaras hujus deserti aquas dulcoramus. Quin tantò etiam ardentioribus ad terram supernæ promissionis (quam tu modò beatè possides) votis contendimus, ut inebriemur quandoque & nos ab ubertate domûs Dei, & tor-

g rente

e B. Henric. Suso. Ordin. Prædicat. in sua Dialect. de æterna Sap. cap. 14. f Epigramma de S. Bern. per modum Dialogi, relatum tom. 2. pag. 498. eius Operum impress. Venet. ann. 1583. g Iac. Horst. in Dedicat omnium, quæ edidit in VI. Tomis Parisijs an. 1667. Operum S. Bernardi tom. 1. par. 1.

rente voluptatis ejus potemur. Id unum nempè satagebas prædicando, scribendo, arguendo, hortando, obsecrando in omni patientia & doctrina, ut à mundi desideriis curisquè avelleres corda mortalium, & ad Cæli amorem accenderes, Deoquè conjungeres. Quin & agunt hoc etiamnum divinæ pietatis ac Sapientiæ tuæ monumenta, quæ nobis reliquisti. Illa, inquam, fæcunda & melliflua Alvearia, quæ tu velut Apis argumentosa collectis de rore Cæli & pinguedine terræ, id est, floridis Scripturæ pratis, tanquam agri pleni odore & fragrantia, succis favisquè constipasti.

Quoniam & mihi etiam ex his argumentosis Alvearibus datum est distillantes Sapientiæ tuæ deliberare favos, & per viginti annos degustare, quàm dulcis sit sapientia & doctrina tua melliflua: proinde cogor fateri, quòd (h) super salutem & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius: & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Infinitus enim Thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. *Doctrina quippè tua fons est aquarum Cælestium, virtutum parens, mentis illuminatio, mærentium consolatio, lætantium jucunditas, cibus animæ, omniumquè bonorum origo, & custodia, Hujus doctrinæ tuæ lectio & ruminatio iram Dei placat, veniam peccatorum pariter & fontem lachrymarum impetrat, expellit vitia, liberat à periculis, & Divini amoris ignem accendit. In lectione tuæ doctrinæ omnium virtutum actus acquiruntur, nimirùm fides roboratur, spes erigitur, charitas excitatur Divinæ bonitatis consideratione, quæ urget nos ad diligendum Deum super omnia. Per lectionem doctrinæ tuæ discimus adimplere omnem justitiā, & tuâ prudentiâ omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia qui legit tuam doctrinā, firmiter statuit servire Deo, & pro ejus amore adversa omnia tolerare, laboresquè pro bono & utilitate communi libenter supportare. Temperantiæ actus eliciuntur, quia mens Lectoris à terrenis & corporeis abhorrens, Cæli delicias degustat. Dona quoque Spiritus Sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis cogitans, illuminatur, Dei Sapientiâ fruitur, ipsiquè Deo appropinquans, omnes creaturas scientiæ dono pro nihilo habet: tum luce uberiori perfusus in rerum agendarum dispositione per donum Consilii non fallitur: ad orandum & meditandum lectione impellitur: Divinæ Majestatis celsitudine apprehensa ejus timorem concipit, & ad multa prò Christo toleranda fortitudine roboratur. Multis ergo virtutibus fulget, qui multùm lectioni doctrinæ tuæ incumbit. Hæc est namque, quæ tribuit & cordi intelligentiæ lumen, & ori ædificationis verbum, & manibus opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre utiliter, dat efficaciter adimplere.* Urit, (i) afficit, penetrat, mellifluus sermo tuus: & Nardus tua dedit odorem suavitatis, odorem vitæ in vitam, ab illis dumtaxat percipiendum, quibus datum est à Patre, testante Filio & dicente: Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

Profectò indignus forem deinceps patrocinio tuo Dulcissime Pater Bernarde, ni hæc exigua mea Lucubratio ad te rediret, cujus erga me beneficia paterna multò

h *Sap.* 7. i *Card. Bona in Præfat. lib. de discret. Spirit.*

tò majora sunt, quàm ut possint paucis perstringi. Ut enim hoc solum commemorem quod præcipuum est, Tibi (post Deiparam) tuæquè opitulationi & protectioni debeo, quòd ab hoc sæculo nequam ereptus, totum cum suis vanitatibus mundum despicere didici ex libris tuis, Filiorumquè tuorum Collegio Cisterciensium in Monasterio Andreoviensi aggregatus, melioris vitæ vias ingressus sum. Tu Clementissime Pater mihi tunc novo militi Christi rorem divinæ gratiæ à fonte omnium bonorum impetrasti, lumenquè intelligentiæ in lectione tuæ doctrinæ admovisti, ut discussa caligine errores meos discernerem pariter & corrigerem. Et hoc paternæ protectioni deputo, quòd cùm de licentia Superiorum meorum venissem Romam anno 1672. pro defensione Jurium ejusdem Monasterii, tu teipsum mihi in Magistrum in tuis Libris exhibuisti, ut in illis cibum spiritualem quotidie quærerem, & viam rectam ad informandos mores vitæ Religiosæ invenirem. Gaudeo proinde quòd sub tali Pastore positus sum extra proprium Monasterium commorans: & quòd tantum merui Patronum & Magistrum, qui à Magistro omnium vias vitæ pleniùs didicisti: Tu doces me usque in hodiernam diem. Unde valdè lætor, quòd doctrina tua melliflua instruit me, & dirigit gressus meos in viam pacis. Vita tua justitia roborat & animat me, ut tantò magis accendar ad agenda quæ docuisti, quantò certus sum te non alia docuisse, quàm fecisti.

Gaudeo item, quòd præclara monita & documenta salutis, quibus discipulos tuos diebus vitæ tuæ potenter instruxisti, adeò inhæserunt præcordiis meis, ut nihil certè legi profuit disertius aut efficacius ad persuadendum. Verba tua melliflua vita & spiritus sunt. Os tuum balsamum est, & vas dignum Cælestibus ferculis repletum, de quo & sanus escam, & infirmus accipiat medicinam. Nihilominus verba tua sunt etiam quasi tonitrua. Tam signanter enim universa depromis, & sic intonas spiritu & virtute, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter ostendas. Nec mirum. A vera siquidem Sapientia quæ Deus est, illa profluxit, quæ in libris tuis mirabiliter elucet. Tu quippe de ipso Dominici pectoris fonte cælestes aquas potasti. Lingua tua lac merum loquitur, quod ab uberibus Virginis insigni privilegio suxisti. Et hoc indicium divinæ erga me misericordiæ agnosco & gratias ago, quòd verba tua non sicut verba hominis, sed sicut Dei, ut re vera sunt, libenter audio, & delector in eis. Verba certè ineffabilia etsi non profers ut audiam, offers tamen ut cupiam: & libeat adorare quæ audire non licet. Si tu hic esses, tenerem te & rogarem, ut panderes mihi secretum tuum, & penderem ex ore tuo, sicut olim discipuli tui. Nunc verò etsi audio te mutis vocibus loquentem & docentem, vereor tamen nè peccatis meis exigentibus eloquia oris tui non percipiam: nec doceas me, etiamsi loquaris: neque enim doces non intelligentem. Et si quid intelligo, vix me idoneum existimo ad hoc ipsum rudi meo sermone explicandum.

Cùm autem doctrina tua, Melliflue Bernarde, sit Thesaurus plenus divitiis Cælestibus, præsertim illis quæ spectant Mysterium Incarnationis Dominicæ. Tibi enim adhuc puerò Mysterium Nativitatis Dominicæ fuit ostensum: & tu ipse postea pandisti aliis secretum tuum, dicens: De Filio autem magnum aliquid novi (ejus gratia) scilicet Incarnationem. *Idcircò persuasum mihi fuit ex doctrina Tibi divinitùs data, depromere hunc Thesaurum Divitiarum Cælestium,*

ex tuisquè Cælestibus sententiis compilare hocce opusculum. In quo te unicum Magistrum & Doctorem, cui sublimioris hujus Theologiæ magisterium divinitùs traditum est, secutus sum, nihil ausus asserere, quod firmissima auctoritate doctrinæ tuæ non roboretur. Nec dubito gratum tibi fore quidquid pro viribus purè & sincerè ex animo scripsi, etiamsi cum magnis collatum videatur exiguum. Et licet dignas tibi non sufficiam gratias agere, pro eo quòd tua paterna ope istud Opusculum in lucem produco: nihilominus ingratitudinem prorsùs odit anima mea. Illud igitur benevolè suscipias, & susceptum tuis manibus benignè repræsenta Virgini Deiparæ, cum qua degustas feliciter æterna Christi munera: cui hoc opusculum sive munusculum in perenne humillimi mei obsequii, & grati erga eam animi monumentum offero, te mediante, quia tuum est, ex tuo videlicet Sapientiæ ditissimo Thesauro depromptum. Rogo, commendes me ipsi, ut me recipiat in suum clientem, foveatquè, ac protegat: nec non à suo Filio Redemptore meo obtineat illam æternæ beatitudinis portionem, quam sub glorioso Reginæ Cæli mantello finaliter expecto. Hoc votum meum, hæc merces operi meo. Romæ in Festivitate Sanctæ Ludgardis Virginis Ordinis Cistercien. die decima sexta Junii 1693.

Licen-

Licentia Reverendiſs. P. Vicarii Gen. Ord. Ciſterc. Provinciarum Poloniæ.

IN Nomine Domini Amen. Vniverſis & ſingulis quorum intereſt, ſignificamus & atteſtamur, quòd nos ad quos pertinet, concedimus & impartimur Licentiam Adm. Rev. P. Bernardo Bogdanovitz Sacerdoti Sac. Theol. Doct. Religioſo Monaſterii Andreovien. Sac. Ord. Ciſtercien. atque officium Procuratoris Monaſteriorum noſtrorum ejuſdem Ordinis Provinciarū Poloniæ in Curia Romana exercenti per viginti & ampliùs annos, ut valeat Typis mandare Librum ab ipſo compoſitum, cui titulus: *Theſaurus Divitiarum Cæleſtium miſero generi humano in Annuntiatione B. MARIÆ, & Incarnatione Verbi Filii Dei miſericorditer elargitus, & ex ſententiis S. P. N. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis propagatione Patriarchæ collectus:* ſi iis ad quos ſpectat ita videbitur. In quorum fidem has præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, in Monaſterio noſtro Copriunicenſi, die quinta Novembris Anno Domini 1692.

Fr. Antonius Krzeſimouski Abbas Copriunicen. per Poloniam & Pruſſiam Commiſſarius ac Vicarius Generalis Sacri Ord. Ciſtercienſis.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Maurus Dobinski Secretarius.

Cenſu-

Censura ex commissione Reverendiss. P. Sac. Palatii Apostolici Magistri.

DUM Reverendiss. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Palatii Apostolici Magistri jussu *Thesaurum Divitiarum Cœlestium humano generi* in Annunciatione Beatæ MARIÆ Virginis, & Incarnatione Verbi Divini misericorditer elargitum, ex Sententiis S.P.N. Bernardi Protoabbatis Claręvallensis maximo studio, operoso labore, eximia pietate, probata fidelitate, ac miro ordine ab Adm. R.P.D. Bernardo Bogdanovitz Polono, Presbytero, Sac. Theol. Doct. Monacho Ord. Cisterciensis, & Procuratore in Vrbe collectum atque compactum avidè pariter attentèquè perlustrarem, fortunatissima planè sorte deprehendi Thesaurum, nempe, *(A) investigabiles divitias Christi*, & *(b) abundantes divitias gratiæ* Divinæ *in bonitate super nos in Christo Jesu, (c) in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ suæ, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia: ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.* Tantus itaquè Thesaurus unica hujus sublimis Operis materies est, ex pretiosissima Doctoris Melliflui Aurifodina affluente ac divite brevitate, aurea & docta felicitate extractus: atque adeò Orthodoxæ Fidei sanissimis dogmatibus, & proborum morum rectissimis regulis concinnè accommodatus. Ex ejus namque Sancti Patris doctrina depromptus est, cui adhuc puero mirabile Nativitatis Dominicæ Mysterium singulari privilegio per revelationem fuit ostensum, undè mellifluum stylum in Theodidacta sua Opera copiosissimè derivavit: ubi *(d) oratio semper dulcis & ardens ita delectat & ardenter incendit, ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur*: *cujus* propterea *(e) os fuit vas pretiosum, os aureum, os gemmeum: vino dulcedinis inebriavit totum mundum. Aurum*

fuit

A *Epist. ad Ephes. c. 3.* b *Ibid. cap. 2.* c *Ibid. cap. 1.* d *Sixtus Senen. in Biblioth. Sanct. lib. 4.* e *S. Thomas Aquin. serm. de S. Bernardo.*

fuit Bernardus per voluntatis sanctitatem, multitudo gemmarum per morum honestatem & virtutum multiplicitatem, vas pretiosum per Virginitatis puritatem. Fuerunt autem in eo novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis 28. Lapides isti significant novem ordines Angelorum, quibus fuit dotatus Bernardus, quia in se habuit virtutes & officia omnium ordinum Angelorum : & *(f) fuit eloquentissimus, spiritu sapientiæ plenus, ac sanctitate præclarus:(g) & tanquam Religionis probatissima margarita, & stella in firmamento Ecclesiæ Dei radians, qui non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præeminentem sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cælestes aquas. (h) Et etiam de ipso dici potest, quod de Paulo Apostolo dixit Salvator: Vas electionis est mihi iste.* Quod si *(i) universa ejus Scripta, quæ nihil aliud quàm Centones divinorum voluminum dici queunt, undecunq; Veteris ac Novi Testamenti sententiis distincta sunt ceu gemeis emblematibus, hisquè adeò commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur: Et vel idem (k) Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur* : Et ipsemet Sanctus Pater ore proprio profiteatur, *(l) Patrum tantùm apponimus sententias, ac verba proferimus, & non nostra, neque enim sapientiores sumus, quàm Patres nostri: (m) & libenter ubi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quo vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæcunque in eis Lectori apposuerim.* Quamobrem jure meritò Author cum doctissimo Justo Lipsio præfari potest: *Nam (n) quòd ego eadem dicerem, ecquandò mihi eadem vis aut fides? Ut in uno aliquo telo aut gladio multùm interest, à qua manu veniat, sic in sententia ut penetret, valdè facit robustæ alicujus & receptæ authoritatis pondus &c. Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificii tamen extructio mea est. Architectus ego sum, sed & materiam variè undiquè conduxi: nec aranearum sanè textus ideò melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus ut apes.* Vel Lectorem suum verbis istis Macrobii rogare valet:

f *S. Bonaventura in Meditat. cap. 36.* g *Iacobus* Card. *de Vitriaco lib. de Hist. Occid. cap. 14.* h *Dionys. Carthus. serm. 2. in festo S. Bernardi.* i *Sixtus Senen. loc. cit.* k *Hieronymus* Piatus *de bono statu Relig. cap. 11. lib. 3.* l *Epist. 77.* m *Homil. 3. super missus est.* n *Iustus Lipsius præfat. in Polit.*

let: (o) *Ne mihi vitio vertas, si res, quam ex lectione varia mutuatus sum, ipse verbis, quibus ab alio Authore enarratæ sunt, explicabo: quia præsens Opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur*. Locupletissimus igitur iste Thesaurus tam ingentes Supernarum deliciarum opes recondit, ut illas altè quisquis effoderit, in felicissimo beatæ patriæ civium censu jam numerari possit. Atque ut ex hoc perutili ac necessario Opere, (p) *in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*, cœlestes divitias haurire facilè quisque queat, quas tamen exhaurire nusquam poterit, in publicam ego lucem ipsum extrahendum omninò censeo. Romæ in Cœnobio S.Pudentianæ, die 19.Maii 1693.

D.Joannes Maria Gabriellius Visitator Generalis Monachorum S.Bernardi Ord.Cistercien.Sac.Theol.Magister, & Sac.Congreg.Indicis Consultor.

Approbatio Superiorum in Urbe.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiss. Patri Mag. Sacri Palatii Apostolici.

Horatius Fortunatus Episc.Neritonen.Vicesg.

Imprimatur,
Fr.Thomas Maria Ferrari Ord.Præd.Sac.Apost. Palat.Magister.

THE-

o *Macrobius lib.1.Saturnaliorum.* p *Apostolus ad Colos.2.*

THESAURI
DIVITIARUM CÆLESTIUM
PARS PRIMA.
DE EXORDIO SALUTIS HUMANÆ, ORTÆ IN ANNUNCIATIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.
CAPUT PRIMUM.
De excellentia Nuncii Cœlestis, missi à Deo ad Virginem.

Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem. *Luc.1.*

1. *Proœmium Operis de Sacra historia Annunciationis B. Mariæ.* 2. *Insinuantur mysteria propriorum nominum, quæ referuntur in principio Euangelii,* Missus est. 3. *Cur Archangelus Gabriel potiùs, quàm alius Angelus missus est ad Virginem?* 4. *Declaratur sententia, quâ dicitur Deus nulli Angelorum antequam Virgini revelasse consilium Incarnationis Dominicæ.*

1. FATEOR (a) imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis MARIÆ habere sermonem. Elevata est quippe (b) magnificentia ejus super cœlos, & super omnem terram gloria ejus, itaut nec in cœlo inveniatur creatura, quæ dignè laudare queat magnificentiam illius: nec in terra sit, quæ gloriam ipsius Virginis exprimere valeat. Nemo enim nec in cœlo, nec in terra inventus est dignus aperire

A librum

S. Bernardus Abbas iuxta eius librorum edit. author. Horstio, in VI. Tom. [illegible] Parisiis Ann. 1667. A *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 5.* b *Ser. 2. sup. Salve Reg. nu. 7.*

librum prærogativarum Virginis MARIÆ, & dignè ſolvere ſeptem ſignacula ejus. Plenitudinem gratiæ, adventum Spiritus Sancti in eam, Virtutis Altiſſimi obumbrationem, Verbi Conceptionem, quòd ſine gravamine gravida; & ſine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri divitiarum multi de Civitate Domini Virtutum miſerunt manus ſuas ad hæc fortia: & tamen altitudinem divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt: quia inveſtigabiles viæ iſtæ, & inſcrutabilia univerſa. Conati ſunt, & non datum eſt ultrà. Dum adhuc ordirentur, ſucciſi ſunt. Quis enim loquetur potentias has Domini? Auditas faciet omnes laudes ejus? Etſi dignè nullus, quiſque tamen pro viribus. Libenter & ego (*c*) ubi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo, quo vel ex vaſculorũ pulchritudine gratiora fiant, quæcunque in eis Lectori appoſuerim. Ut autem nunc à propheticis verbis incipiam: Væ mihi, non quidem (ſicut Prophetæ Eſajæ) quia tacui, ſed quia locutus ſum, quoniam Vir pollutus labiis ego ſum. Heu! quot vana, quot falſa, quot turpia per hoc ipſum ſpurciſſimum os meum evomuiſſe me recolo, in quo nunc Cæleſtia revolvere verba præſumo. Vehementer timeo, ne jam jam audiam ad me dictum: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Inter ſæculares nugæ (*d*) nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Conſecraſti os tuum Euangelio: talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt. Terribilis ſermo (*e*) & qui poſſit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Utinam & mihi (*f*) de ſuperno Altari non quidem carbo unus, ſed ingens globus & igneus afferatur, qui videlicet multam & inveteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere ſufficiat, quatenùs Angeli ad Virginem, & Virginis ad ipſum grata invicem ac caſta colloquia dignus habear meo qualicumque replicare ſermone. O quam (*g*) te memorem Virgo! quibus laudibus efferam! Infandiſſima lingua mea, quæ coninquinata eſt cum mortuis, incircumciſa labijs, nec purgata igne Altaris: inquietum malum habens in naribus ſpiritum, rimis effluens undique, quid dignum

c *Ser. 3. ſup. miſſus n. 1.* d *Lib. 2. de conſid. cap. 13.* e *Ser. 76. in Cant. n. 8.* f *Ser. 3. ſuper miſſus n. 1.* g *Ser. 2. ſup. Sal. Reg. n. 7.*

dignum laudis laudibus tuis poterit immolare? Nec tamen (*b*) cessare debet à laudibus Virginis humana mortalitas, cùm de ejus gloria nec silere devotio patitur, licèt nihil dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Si verò (*i*) peccavi, quòd propriam magis ex hoc excitavi deuotionem, quàm communem quæsierim utilitatem: potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque. Opusculum devotissimè destinavi. Libet proindè (*k*) Sacratissimo huic interesse colloquio, & intima cordis aure percipere, quæ dicuntur. Est enim (*l*) tàm suave ad gratiam, tàm fecundum ad sensum, tàm etiam profundum ad mysteria.

2. Sed (*m*) quid ego tento in Mariæ laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Euangelista? Non ergo laudo, quia non audeo: sed tantùm replico devotus, quod jam explicavit per os Evangelistæ Spiritus Sanctus. (*n*) Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Quid sibi voluit Evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tàm signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tàm diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem Nuncium qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur: Sponsum quoque Virginis, amborumquè genus, Civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Ad quid hoc? Putasne aliquid horum supervacuè positum sit? Nequaquam. Ego enim (*o*) vt verum fatear, jam olim mihi persuasi in sacri pretiosiquè eloquii textu nec modicam vacare particulam. Si enim (*p*) nec folium de arbore sine causâ, nec unus ex passeribus sine Patre cælesti cadit super terram: putem ego de ore Sancti Euangelistæ superfluum difluere verbum, præsertim in Sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippè sunt omnia supernis mysteriis, ac cælesti singula dulcedine redundantia: Si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit sugere mel de pe-

h *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 1.* i *S. Bern. in conclusi. sermon. super missus.* k *Tract. de Vit. & Mor. Cleric. cap. 1. n. 1.* l *Ser. 1. sup. Sal. Reg. n. 1.* m *Ser. 4. sup. missus num. 1.* n *Ser. 1. super missus n. 1.* o *Ser. 72. in Cant. n. 7.* p *Ser. 1. sup. missus nu. 1.*

tra, oleumquè de saxo durissimo. Nempè in illa die stillarunt Montes dulcedinem, Colles fluxerunt lac & mel, quando rorantibus Cœlis desuper, nubibusquè pluentibus iustum, aperta est terra læta germinans Saluatorem: quando Domino dante benignitatem, & terrâ nostrâ reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum & pinguem, & misericordia & veritas obviaverant sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Illo quoque in tempore unus iste inter cæteros montes non modicus, Beatus videlicet Lucas Evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mellifluo commendavit eloquio, veluti perflante Austro, atque è vicino Sole radiante justitiæ, quædam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. Utinam & nunc Deus emittat verbum suum, & liquefaciat ea nobis, perflet Spiritus ejus, & fiant nobis intelligibilia verba Evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: fiantquè dulciora super mel & favum. Sunt enim *(q)* quàm suavia ad gratiam, tàm fæcunda ad sensus, tàm etiam profunda ad mysteria. Non enim parvum *(r)* latet hic mysterium, nec vilipendenda simplicioris Scripturæ manifesta positio. Ad Virginem quippe loquens Angelus, verba de cælestibus scrinijs sumpta, nec alterius nisi ipsius Dei Spiritu fabricata, noua salutatione portat. Nulli dubium quin omnium verborum excellant altitudinem, utpotè de melioribus disciplinis Sancti Spiritus euoluta: quorum annunciatione considerandum erat illud unicum Sacramentum Verbi & Hominis, Divinitatis & Carnis. Sed *(s)* cui similabo ea? Uni interim alicui epularum, quæ triplici quadam emineat gratia, deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia ad medicinam. Sic inquam, sic singula quæque verba & ex eo quòd suaviter sonant, affectum mulcent: & de sensuum ubertate mentem impinguant & nutriunt: & de altitudine mysteriorum, dum intellectum quò plùs exercent, plùs terrent, miro modo tumorem sanant inflantis scientiæ. Considerate quoque *(t)* in solemnitate hodierna Dominicæ Annunciationis, velùt amœnissimam quandam planiciem, simplicem

nostræ

---

q *Ser. 67 in Cant. num. 1.* r *Ser. de Sancto Stephano num. 2. tom. 6. pag. 626.* s *Ser. 67. in Cant. num. 1.* t *Ser. 2. in Annunc. B. M. num. 1.*

noſtræ reparationis hiſtoriam. Injungitur nova legatio Angelo Gabrieli, & novam Virgo profeſſa virtutem, novæ ſalutationis honoratur obſequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam,quæ concupiſcentiam neſcit,ut Spiritu ſuperveniente Altiſſimi pariat Filium, quæ virum dedignatur admittere. Dies diei (u) eructat Verbum. Dies diei Angelus Virgini. Dies Angelus propter beatitudinem: Virgo dies propter integritatis virtutem. Quam (x) Deus amaverat, quam ſibi elegerat,cujus decorem concupierat. Quanta (y) dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite matres,currite filiæ, currite omnes quæ poſt Evam & ex Eva & parturimini cum triſtitia, & parturitis. Adite Virginalem thalamum, ingredimini ſi poteſtis pudicum Sororis veſtrę cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurem parieti, aſcultate quid nunciet ei, ſi fortè audiatis unde conſolemini. His etiam dicitur (z) qui dimidiaverunt dies ſuos, in quibus periit dies, in qua nati ſunt, quæ eſt dies Adæ, dies peccati, cui Hieremias quoque maledicebat dicens: Maledicta dies in qua natus ſum. Omnes enim in illa naſcimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus qui dixit: Aperientur oculi veſtri. Ecce verò illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Lætare (a) pater Adam, ſed magis tu ò Eva mater exulta: quia ſicut omnium parentes, ità omnium fuiſtis peremptores. Ambo, inquam, conſolamini ſuper filia, & tali filia: ſed illa ampliùs de qua malùm ortum eſt priùs, cujus opprobrium in omnes pertranſiit mulieres: Inſtat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid cauſetur adversùs fœminam: qui utique dum ſe impudenter excuſare conaretur, crudeliter eam accuſare non cunctatus eſt, dicens: Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam: filia pro matre reſpondeat, ità matris opprobrium

u Ser. 49. int. div. n. 1. x Ser. 3. ſuper miſſus n. 2. y Ser. 2. ſuper miſſus num. 2. z Ser. 2. in vig. Nat. Dom. num. 2. & 3. A Ser. 2. ſuper miſſus num. 3.

brium auferat: ipſa Patri pro matre ſatisfaciat: quia ecce ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur niſi per fœminam. Intrat (*b*) ad nos eadem portâ ſalutis antidotum, quâ venenum ſerpentis ingrediens, univerſitatem generis humani occuparat. Sed jam (*c*) tempus eſt ut ipſo qui inſpiravit, opitulante, opus aggrediar, exordiumquè ſumam ab illis verbis Euangeliſtæ, quæ ſequuntur.

3. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Miſſus eſt (*d*) coluber tortuoſus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem. Miſſus eſt interim Gabriel Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipſius eructaret, ut eadem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Dignum quippe fuerat (*e*) per ſuperiores oculorum feneſtras veritatem intrare ad animam: Sed hoc nobis, ô anima, ſervatur in poſterum, cùm videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepſit morbus, inde remedium intret: & per eadem ſequatur veſtigia vita mortem, tenebras lux, venenum ſerpentis antidotum veritatis: & ſanet oculum qui turbatus eſt, ut ſerenus videat quem turbatus non poteſt. Auris primò mortis janua, prima aperiatur & vitæ. Auditus qui tulit, reparet viſum. Non arbitror autem (*f*) hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa crebra ſoleant ad terras fungi legatione, quod ex ejus nomine intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur. Putemus (*g*) Angelis præeſſe Archangelos, qui conſcii myſteriorum divinorum nonniſi ob præcipuas & maximas cauſas mittuntur. Ex quibus magnus Archangelus Gabriel miſſus legitur ad MARIAM, ob cauſam utique quâ major eſſe non potuit. Et quia (*h*) non ab alio aliquo fortè excellentiore ſe (ut aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur: propter hoc ergo poſitum eſt, *à Deo*. Qui utique tantæ inter ſuos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur & nuncio. Nec diſcordat nomen à nuncio, Dei quippe virtutem Chriſtum, quem meliùs nunciare decebat quàm hunc, quem

b *Serm.2.in Annunt.B.V.M.n.1.* c *Tract.de ordine Vitæ cap.1.nu.1.* d *Serm.2. in die Pentec.n.3.* e *Serm.28.in Cant.nu.5.* f *Serm.1. ſuper miſſus nu.2.* g *Lib.5.de Conſid. cap.4.nu.8.* h *Serm.1.ſuper miſſus nu.2.*

quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, Dominum, & nuncium communi cenſeri vocabulo: cùm ſimilis in utroque appellationis, non ſit tamen utriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippè Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupativè, Chriſtus autem etiam ſubſtantivè. Chriſtus Dei Virtus & dicitur & eſt, quæ forti armato (qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat) fortior ſuperveniens, ipſum ſuo brachio debellavit: & ſic ei vaſa captivitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus eſt, vel quòd hujuſmodi meruerit prærogativam officii, quòd eiuſdem nunciaret adventum virtutis: vel quia Virginem naturâ pavidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expaveſceret, confortare deberet, quod & fecit, Ne timeas (inquiens) MARIA, inveniſti gratiam apud Deum. Sed & ipſius ſponſum, hominem utique nihilominùs humilem ac timoratum, non irrationabiliter forſitan idem Angelus confortaſſe creditur, quanquàm tunc ab Euangeliſta non memoretur. Joſeph (inquit) fili David, ne timeas accipere MARIAM conjugem tuam. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imò quia tale illi negotium injungitur, rectè tali nomine deſignatur. Vel ideo dictum eſt, *à Deo*, ne cui vel Beatorum ſpirituum ſuum Deus, antequam Virgini, revelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele.

4. Veruntamen nullus moveatur *(i)* ſuper hac mea ſententia, quâ dixi conſilium Dei nulli etiam Beatorum Angelorum, antequam Virgini, revelatum. Primò quidem inde (ut arbitror, quia non ſatis juſtè moverentur) advertere poſſunt, quòd eandem ſententiam non conſtanter affirmo, ſed cum temperamento ſuſpendens ſub diſiunctiva particula; *Vel ideo*, inquam, *dictum eſt à Deo*. Siquidem præmiſſâ una cauſa quæ mihi videbatur, cur Euangeliſta cùm diceret, *miſſus eſt Angelus Gabriel*, nominatim ſubjecerit *à Deo*: Alteram quoque temperatè quidem & ſub diſiunctione ſubjunxi, quo & mihi non incumberet defendendi neceſſitas, & lectori daretur eligendi facultas quam è duabus elegiſſet. Si igitur una quæ-

i *Tract. ad Hugonem de S. Victore, de Quæst. ab ipso propositis, cap. 5. num. 18.*

quælibet illarum ſtare poteſt,de altera quid ſuggillari debeam, quippe qui neutram affirmans, lectoris utramqne magis judicio derelinquo? Quanquàm etſi ex ſententia dixerim ignotum uſque adhuc ſanctis Angelis fuiſſe Dei conſilium, non quidem quia per Incarnandi Verbi Myſterium Dei propoſitum erat quandoque operari ſalutem in medio terræ, hoc enim & multis mortalium & præſcire donatum eſt & prædicere:Sed quod potiſſimùm *tempus*, quemve *locum*,vel *modum*, præcipuèque quam *Virginem* ad implendũ propoſitum ſuum elegiſſet Deus. Si, inquam, hoc Dei conſilium non de opere, ſed de tempore, loco, modo, atque perſona, etiam ſanctos ignoraſſe Angelos ſenſerim & ſcripſerim, profectò non video cur incredibile videatur. Sanè ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod ſentitur non obuiat. *Primò*. Quænam enim me ratio *(k)* ſive auctoritas ſentire cogat etiam *tempus* illud ab antiquo Angelis innotuiſſe, de quo Apoſtolus: Poſtquam venit, inquit, plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege? Credibilius magis fortaſſe videtur, ut ſicut futuri adventus Domini (ipſo teſte) diem prorsùs ignorant, ità quoque prioris tempus adventûs nequaquam præſcierint. Quis ſcit enim ſi modo illo ſpirituali Dei ſapientia de primo adventu ſuo & Angelis illud locuta ſit, quod Apoſtolis per os carnis aſſumptæ de ſecundo adventu legitur reſpondiſse: Non eſt,inquiens, veſtrum noſse tempora vel monumenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate? *Secundò*. Quæ me rursùm *(l)* credere compellat neceſſitas Angelos jam ante advertiſse Civitatem *Nazareth*, quàm illò cernerent miſsum Archangelum Virginem ſalutare, & partum nunciare Divinum? Siquidem quòd præelecta fuerit Bethleem Nativitati, Hieruſalem Paſſioni, etiam ſic apertè præſcitum & prædictum eſt à Prophetis. Quòd autem & Nazareth proviſa ſimiliter eſt Conceptioni, non tamen ſimiliter (ut arbitror) præviſum fuiſſe & à Prophetis, evidens aliquod invenitur de Scripturis teſtimonium. Nam quod legitur: Quoniam Nazarenus vocabitur:profectò Euangeliſta (qui hoc de Propheta ſumit) non tàm ad Conceptionem quàm ad educationem

k *Ibidem cap.5.nu.19.* l *Ibidem dicto nu.19.& 20.*

cationem referri fatis evidenter oftendit, quòd illò videlicet ex Ægypto reportatus fuerit, illicque nutritus. Denique Judæi ad Nicodemum: Scrutare, ajunt, & vide, quoniam Propheta à Galilæa non furgit. Et quidem fcienti legem loquebantur, & qui Magifter erat in Ifrael, nihilque facilè ignoraret ex omnibus: & tamen tota fiducia inftabant monftrantes Scripturas non loqui Chriftum venire à Galilæa, cujus Nazareth Civitas effe cognofcitur. Plùs fanè ad manum fuit eis teftimonium de Propheta, ex quo Regi locum fcifcitanti Nativitatis, incunctanter Bethleem refponderunt. Itaque natus in Bethleem Chriftus eft,& in Hierufalẽ paffus, & utrumque apertè prædixiffe Prophetas manifeftum eft. Conceptus æquè eft & in Nazareth Civitate Galilææ, nec tamen vifum eft occurrere quippiam vel Nicodemo, per quod five Galilæam five Nazareth ad Chrifti adventum undecunque pertinere doceret. Sic quoque Nathanael doctus & ipfe in lege, Philippo nuncianti Jesum filium Jofeph à Nazareth, mox fub interrogatione admirando refpondit: A Nazareth, inquit, poteft aliquid boni effe? Nimirum admirans, quòd à Nazareth Chriftus nunciaretur, quod ex nulla penitùs Scriptura recoleret. Aut fi non interrogando quidem, fed magis affirmando illud refpondiffe contenditur, memor utique præfati teftimonii, quoniam Nazaræus vocabitur: non tamen perinde quòd in Nazareth conceptus fuerit Jesus, eum agnoviffe conftabit, cùm multæ aliæ caufæ occurrere potuiffent cur illud Propheta prædixerit. Potuit ergo & de conceptionis loco ut Prophetas, fic & Angelos divinum latuiffe confilium. *Tertiò*. Modum deinde illum *(m)* tam incomprehenfibilem (quem & Virgo follicita requifivit) unde quæfo docere queam Angelis fuiffe præcognitum? Mihi verò videtur ne ipfi quidem Angelo (ut pace ejus dixerim) qui nunciabat. Quod & ipfe fatetur, fi ejus verba diligenter advertimus. Refpondens quippe: Spiritus Sanctus fuperveniet in te: nonne apertè mittit ad magifterium Spiritus Sancti, cujus unctione doceatur de omnibus (quorum ipfe fibi non præfumit fcientiam) & difcat experiendo, quod audiendo non poterat? Denique fubjungit: Et virtus Altiffimi obumbra- bit

m *Ibidem num. 21. & 22.*

bit tibi: expressiùs profectò significans modum secretissimum arcani incomprehensibilis & ineffabilis Sacramenti, quo quasi in umbra cum sola & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum. *Quartò*. Sed & ipsam *Virginem* (rogo) unde probabitur ex nomine vel ex facie antè cognitam Angelis, quòd ipsa videlicet esset quam Deus elegerit in Matrē sibi, excepto duntaxat Archangelo, cui & servanda ab initio tradita fuisse credenda est? Porrò autem si Diabolus eam nec post conceptionem agnovit, Joseph utique desponsatione deceptus: credi potest & Sanctis Angelis vel antè minimè innotuisse, quòd ipsa videlicet esset Mater Dei futura. Videsne in quantis (salva fide & veritate Scripturarum) Divinum Angeli consilium poterant ignorasse, præsertim ut horum revelandorum prærogativa Matri Virgini servaretur? Primum equidem est *tempus*, secundum *locus*, tertium *modus*, quartum *electio personæ Virginalis*.

CAPUT II.

De Mysterio Nominis Civitatis Nazareth.

Missus est Angelus Gabriel in Civitatem Nazareth. *Luc.* I.

1. Civitas Nazareth interpretatur flos: quam sibi Christus ex Matre vendicat jure hæreditatis. 2. Hortus est MARIA vernans floribus virtutum, quarum odore traxit ad se Deum. 3. Christus est flos, cujus odorem longè ante præsenserant Prophetæ: quem postea dum ex Virgine prodiit, odoravit Ecclesia, dulcedine ejus excitata.

1. MISSUS est Angelus Gabriel à Deo. (*n*) Quo? In Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Videamus si (ut ait Nathanael) à Nazareth potest aliquid boni esse? Nazareth interpretatur flos. Videntur autem mihi quod-

n *Serm. 1. super missus nu. 3.*

quoddam ſemen fuiſſe divinæ cogitationis tanquam è cœlo jactatum in terras, allocutiones & promiſſiones factæ cœlitùs ad Patres, Abraham ſcilicet, Iſaac, & Jacob: de quo ſemine ſcriptum eſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Floruit autem hoc ſemen in mirabilibus, quæ oſtenſa ſunt in exitu Iſrael de Ægypto, in figuris & ænigmatibus per totum iter in deſerto uſque in terram promiſſionis; & deinceps in viſionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque Regni ac Sacerdotii uſque ad Chriſtum. Chriſtus autem hujus ſeminis & horum florum non immeritò fructus eſſe intelligitur, dicente David: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Et iterum, De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. In Nazareth ergo nunciatur Chriſtus naſciturus: quia in flore ſperatur fructus proceſſurus. Miraris *(o)* quòd Nazareth parva Civitas & tanti Regis nuncio illuſtretur, & tanto? Sed magnus latet in hac parva Civitate theſaurus: latet inquam, ſed homines latet, non Deum. An non theſaurus de Maria? Ubicunque illa eſt, & cor ejus. Oculi ejus ſuper eam, ubique reſpicit humilitatem ancillæ ſuæ. Novit cœlum Vnigenitus Dei Patris. Si novit cœlum, novit & Nazareth. Quidni ſciat patriam ſuam? Quidni noverit hæreditatem ſuam? Cœlum ex Patre, Nazareth ex matre vendicat ſibi, ſicut ipſe ſe & filium David, & Dominum eſſe teſtatur: Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Cedat ergo ei utrumque neceſſe eſt in poſſeſſionem, qui non modò Dominus, ſed & filius hominis eſt. Audi etiam quomodo terram ſibi tanquam filius hominis vendicat, ſed & communicat tanquam ſponſus. Flores, inquit, apparuerunt in terra noſtra. In terra, inquit, noſtra. *(p)* Non planè principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſed familiaritatem. Tanquam ſponſus hoc dicit, non tanquam Dominus. Quid? Conditor eſt, & conſortem ſe reputat? Amor loquitur, qui Dominum neſcit. Inde terram noſtram vendicat ſibi, ſed quaſi patriam, non quaſi poſſeſſionem. Quidni vendicet? Inde illi ſponſa, inde ſubſtantia corporis. Inde ſponſus ipſe, inde duo in carne una. Si

B 2 caro

o *Serm. 3. in Annunc. B. V. M. n. 7.* p *Serm. 59. in Cant. n. 1. & 2.*

caro una, cur & non patria una? Cœlum Cœli Domino (inquit) terram autem dedit filiis hominum. Ergo ut filius hominis hæreditat terram, ut Dominus subiicit, ut conditor administrat, ut sponsus communicat. Dicendo nempe, *in terra nostra*, proprietatem profectò abnuit, societatem non respuit. Neque hinc (q) discrepat quòd Nazareth interpretatur flos. Amat florigeram patriam flos de radice Jesse, & libenter inter lilia pascitur flos campi, & lilium convallium. Apud Mariam (r) utique pascebatur, idque copiosiùs præ multitudine liliorum. An non lilia Virginitatis decus, humilitatis insigne, supreminentia charitatis? Sed prodeunte fructu (s) flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Vnde & Nazareth Civitas *Galilææ* dicitur, idest transmigrationis: quia nascente Christo omnia illa transierunt, quæ superiùs enumeravi, quæ (ut ait Apostolus) in figura contingebant illis. Hos ergo flores & nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: & dum adhuc florere videbantur, transituri prævidebantur. Vnde David: Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat: Vespere decidat, induret & arescat. Vespere enim, idest, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Vnigenitum suum factum ex muliere, factum sub lege, dicente ipso: Ecce nova facio omnia: Vetera transierunt & desparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt & arescunt. Vnde rursus scriptum est: Fœnum aruit, & flos decidit: Verbum autem Domini manet in æternum. Credo non ambigis quia Verbum fructus sit: Verbum autem Christus est. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum. Sed ubi est fœnum quod aruit? Vbi est flos qui decidit? Propheta Esaias respondeat: omnis caro fœnum: omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si omnis caro fœnum: Ergo carnalis ille populus Judæorum ut fœnum aruit. An non fœnum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, siccæ literæ adhæsit? An non etiam flos decidit, quando gloriatio quam habebant in lege, non remansit? Si flos non decidit, ubi ergo Regnum, ubi Sacerdotium, ubi Prophetæ, ubi templum? Vbi (t) Altare illud, quod

solum

q *Serm. 3. in Annunc. B. V. M. n. 7.* r *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 18.* s *Serm. 1. super missus n. 3. & 4.* t *Tract. de IESV puer. duoden. n. 14.*

ſolum Judæis in ſola Hieroſolyma conceſſum eſt? Vbi ignis ille perpetuus, quo extincto omnia pariter holocauſta perierunt, quæ non poſſunt alieno igne conſumi? Vbi denique (*u*) magnalia illa, de quibus gloriari ſolebant, & dicere: Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis? Et iterum: Quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis? In his omnibus (*x*) ſecundùm prophetica myſteria Chriſtum aliquando habebant: ſed apparente eo quem prænunciabant, ipſa prænuncia ſublata ſunt: de quibus fruſtra poſt ejus adventum præſumunt Judæi.

2. Hortus (*y*) concluſus eſt Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introjvit. Hortus inquam concluſus (*z*) fons ſignatus. Quod utique clauſtrum pudoris ſignat in Virgine, & inviolatæ cuſtodiam ſanctitatis. Flos eſt Virginitas. In horto Virginitas. Et benè in horto Virginitas, cui familiaris verecundia eſt fugitans publici, latibulis gaudens, patiens diſciplinæ. Mariæ Virgini (*a*) in propoſito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, nè vel orantis perturbaretur ſilentium, vel continentis caſtitas tentaretur. Vt igitur (*b*) quæ ſanctum Sanctorum conceptura erat pariter & paritura, ſancta eſſet corpore, accepit donum Virginitatis: Vt eſſet & mente, accepit & humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoquè mentis pariter & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua & pulchritudine ſua in cœleſtibus cognita, Cœli civium in ſe provocavit aſpectus, ita ut & Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cœleſtem nuncium ad ſe de ſupernis educeret. Nec mirum. (*c*) Nam cum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus Virginis dedit odorem ſuum, & aſcendit in conſpectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumſtabant: Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. Statimque Rex egrediens de loco ſancto ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam: & licet à ſummo cœlo egreſſio ejus, nimio tamen per-

vola-

u *Serm. 1. ſuper miſſus n. 4.* x *Tract. de puer. duoden. n. 14.* y *Serm. 3. de Virg. Deip. nu. 4.* z *Serm. 47. in Cant. nu. 4.* A *Serm. 3. ſuper miſſus nu. 1.* b *Serm. 2. ſuper miſſus num. 2.* c *Serm. 3. ſuper miſſus num. 2.*

volans desiderio prævenit suum nuncium ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Transiliit, inquam, Gabrielem *(d)* & pervenit ad Virginem, eodem Archangelo testante cùm ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Apis *(e)* Christus est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde & ad Civitatem Nazareth (quod interpretatur flos) advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Amat quippè *(f)* florigeram patriam flos de radice Jesse, & libenter inter lilia pascitur flos campi, & lilium convallium. Ubicumque illa est, & cor ejus. Oculi ejus super eam, ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. Sancta Maria *(g)* sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit. Et ideò concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit. Quanta verò *(h)* & quàm pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta. Vnde tibi humilitas, & tanta humilitas, ò Beata Virgo? Digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret Rex, cujus decorem concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ Canticum, & Nuptiale carmen: nimirum cujus uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Euangelio: *Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ*. Audi eandem in Epithalamio: *Cùm esset Rex, inquit, in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum*. Nardus quippè herba humilis est, & pectus purgat, ut manifestum sit humilitatem Nardi nomine designari, cujus odor & decor invenerit gratiam apud Deum. Ita tu Domina, *(i)* Virginitate & humilitate tua de cœlo eduxisti Filium Dei. Tu *(k)* Sanctorum areola aromatum à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus vernas: inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te, ò excellentissima. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Domini reples ò Maria, Viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de tali areola flos ille spe-

d *Serm.54.in Cant.n.2.* e *Serm.2.de adv.Dom.n.3.* f *Serm.3.in Annunc.B.V.M. n.7.*
g *Serm.45.in Cant.n.2.* h *Serm.4.in Assumpt.B.M.n.7.* i *Serm.4.super Sal.Reg.n.1.*
k *Serm.3.de Virg Deip.n.4.*

ſpecioſus præ filiis paradiſi electus eſt, ſuper quem requievit ſpiritus Domini. Bonus profectò *(l)* flos viola, qui Florem cœleſtem Verbum æterni Patris in uterum terreni floris Beatiſſimæ Virginis mirifica dulcedine ſui odoris attraxit, ipſa atteſtante quæ ait: Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Quid dicis? nunquid non alios flores habes? Habeo inquam. Tota enim florea, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cùm tota ſpecioſa ſim, & macula non ſit in me. Habeo lilium caſtitatis, quia prima Votum conſervandæ Virginitatis vovi Domino. Habeo roſam charitatis, quia ſi non uſque adeò dilexiſſem Dominum, unde mihi tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera & verecunda, & adhuc ſub parentum jure & præceptis legis conſtituta inchoarem? Sed (ut verum fatear) audacem faciebat amor, coegit roſa ardens ſervilem timorem devorans, ut facerem novum votum, & ſingulare lilium, ut poſſem quandoque dicere dilecto meo: Candida ſum & rubicunda, ſicut & tu candidus & rubicundus. Formoſus planè *(m)* quem circumdant flores roſarum, & lilia convallium, hoc eſt, martyrum virginumquè chori. Habeo & alios *(n)* quoſcumque flores: ſed nullum horum tantâ dignatus prærogativâ reſpexit Dominus ut florem violæ: Reſpexit enim humilitatem ancillæ ſuæ. Et vultis videre omnes, cui mutuavi flores meos, quantùm ex flore ſim conſecuta? Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ex hoc, dico, quia reſpecta ſum à Domino. Flos violæ meæ: quia Nardus mea dedit odorem ſuum, quæ idem ſignificat quod Viola, ideſt humilitatis virtutem: qua fragrantia delectatus eſt Rex, filius Regis: Deus Dei Filius cùm eſſet in accubitu ſuo, ideſt in ſinu Patris, & odore tam delectabili quaſi quadam illius violentia tractus eſt in me, & voluit concipi Flos in flore intra florem, ideſt intra Nazareth, quod interpretatur Flos, ut fieret ipſe Flos florens, hoc eſt Nazarenus. Concordant omnia flori. Concipitur Flos manens in flore, hoc eſt in Nazareth. Bonus ergo omninò & optimus violaceus flos, qui odoris ejus fragrantia, quaſi quodam delecta-

l Tract. de Vite Myſt. cap. 17. nu. 67. m Serm. 28. in Cant. nu. 9. n Tract. de Vite Myſt. cap. 17. num. 67.

lectabili vinculo Florem Cœli in uterum nostri floris humilis Virginis inclinavit. Etsi placuit *(o)* ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat quia etiam ut placeret Virginitas, humilitas proculdubio fecit. O Virgo *(p)* Virga sublimis, in quàm sublime verticem sanctum erigis? usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum Majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis.

3. Ex his *(q)* manifestum jam arbitror, quænam sit Virga de radice Jesse procedens, quisvè Flos super quem requievit Spiritus Sanctus. Quoniam Virgo Dei Genetrix Virga est, Flos filius ejus. Flos itaque filius Virginis, Flos candidus & rubicundus, electus ex millibus. Flos in quem prospicere desiderant Angeli: Flos ad cujus odorem reviviscunt mortui: & sicut ipse testatur, Flos campi est, & non horti. Putasne *(r)* jam tibi videris advertere quisnam ille sit campus nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus: Venustatus tamen nihilominus nobili illo Flore, super quem constat requievisse spiritum Domini? Non se proinde debuit florem *thalami* protestari, qui Flos est perpetuò vigens: sed neque item *horti*, nè humano videretur opere generatus. Pulchrè autem & convenientissimè, *Flos campi sum*, ait, qui absque humana industria prodiit, & semel prodeunti nulla est deinceps dominata corruptio, ut sermo impleatur, quem dixit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Campus enim *(s)* sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis alvus floruit: sic inviolata, integra, & casta MARIÆ viscera tanquam pascua æterni viroris Florem protulêre: cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat. Ipse est enim *(t)* de quo præcinit Esajas: Egredietur virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. In hoc *(u)* Esajæ testimonio Florem Filium, Virgam intellige Matrem,

---

o *Serm. 1. super missus n. 5.* p *Serm. 2. de Adv. Dom. n. 4.* q *Ibidem.* r *Serm. 47. in Cant. num. 3.* s *Serm. 2. de Adv. Dom. n. 4.* t *Serm. 2. in Annunc. B. V. M. num. 5.* u *Serm. 2. super missus num. 6.*

trem: quoniam & Virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine. Et quia (x) odor in flore, in fructu sapor requiritur. Cernitur & Nazareth (y) quæ interpretatur flos, in qua is, qui natus in Bethleem erat, tanquam fructus in flore coalescens nutritus est Deus infans, ut floris odor fructus saporem præcederet: ac de naribus Prophetarum, faucibus se Apostolorum liquor Sanctus infunderet: Judæisquè tenui odore contentis, gustu solido reficeret Christianos. Christum (z) in carne nasciturum & moriturum adoraverunt quidem Prophetæ & Patriarchæ, sed non dederunt tunc eumdem odorem suum, quia non exhibuerunt in carne, quem in sensu præsenserunt. Non dederunt odorem suum: nec secretum suum publicaverunt, expectantes ut revelaretur in suo tempore. Quis sanè tunc caperet Sapientiam in mysterio absconditam, in corpore non exhibitam? Videamus (*A*) de olfactu Isaac. Loquitur de illo Scriptura sic: Statimquè ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam (haud dubium quin Jacob) Ecce, inquit, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Vestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum & electi filii simul & Sacramenti fraudatus cognitione remansit. Ecce (inquit Isaac) odor filii mei (*b*) sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Necdum speciem suam ille Flos agri (Christus) induerat, & jam dabat odorem suum, quando eum ut præ gaudio exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens Sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Quò (*c*) spectat hoc? Vestimentum profectò spiritus litera est, & Caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judæus in carne Verbum, in homine scit Deitatem: nec sub tegmine literæ sensum pervidet spiritualem: forinsecùsquè palpans hædi pellem (quæ similitudinem majoris, hoc est primi & antiqui peccatoris expresserat) ad nudam non pervenit veritatem. Non sanè in carne peccati, sed in similitu-

x *Epist.125.num.1.* y *Tract.de exhort.ad milit.templ.cap.7.* z *Serm.60 in Cant.nu.8.* A *Tract.exhort.ad milit. cap.7.* b *Serm.47.in Cant. num. 3.* c *Tract. exhort. ad milit.cap.7.*

dine carnis peccati, qui peccatum non facere ſed tollere veniebat, apparuit: ea ſcilicet de cauſa, quam ipſe non tacuit, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Hac ergo ſimilitudine deceptus Propheta cœcus hodie quem neſcit benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat & in miraculis: & quem propriis attrectat manibus, ligando, flagellando, colaphizando; minimè tamen vel reſurgendo intelligit. Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ita *(d)* vineæ tunc quidem (placet referri ad Patres, nam Vinea Domini Sabaoth Iſrael eſt) non dederunt odorem ſuum. Dederunt autem poſtea, cùm per ſucceſſiones generationum naſcentem ex ſe Chriſtum ſecundùm carnem partu Virginali ſeculis ediderunt. Tunc planè, inquam, ſpirituales illæ Vineæ dederunt odorem ſuum, cùm apparuit benignitas & humanitas Salvatoris Dei noſtri, & cœpit præſentem habere mundus, quem pauci adhuc abſentem præſenſerant. Vir ille (verbi cauſa) qui Jacob tangens & Chriſtum ſentiens, Ecce, inquit, odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Cùm hoc dicebat, habebat delicias ſuas ſibi, nec cuiquam illas communicabat. At ubi venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret: tunc prorſus odor ille qui in illo erat, ſeſe ubique ſparſit, adeo ut à finibus terræ ipſum ſentiens clamaret Eccleſia: Oleum effuſum nomen tuum: currerentquè adoleſcentulæ in odore olei. Tanta quippè *(e)* Eccleſiæ nares odoris ſuavitas replevit, ut mox à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine, ſupernum properaret ad Sponſum (Jesum) tanquam verè illa regina Auſtri feſtinans à finibus terræ audire Sapientiam Salamonis, opinionis ſiquidem odore provocata. Senſerat *(f)* hunc Florem Nathanael, quòd ſuper omnia aromata ſuave redoleret. Unde & ajebat: A Nazareth poteſt boni aliquid eſſe? Sed nequaquam ſola contentus fragrantiâ, reſpondentem ſibi, *Veni, & vide*, Philippum ſecutus eſt. Immò verò miræ illius ſuavitatis admodùm reſperſione delectatus, hauſtuquè boni odoris factus ſaporis avi-

d *Serm. 60. in Cant. num. 8.* e *Serm. 22. in Cant. nu. 4.* f *Tract. exhort. ad milit. cap. 7.*

avidior, odore ipſo duce ad fructum uſque ſine mora pervenire curavit: cupiens pleniùs experiri quod tenuiter præſenſerat, præſenſquè deguſtare quod odoraverat abſens. Et hæc dicta (*g*) ſunt pro eo quod poſitum eſt, *in Nazareth Civitatem Galilaæ.*

CAPUT III.

De Electione MARIÆ in Matrem Dei, Myſticis præfiguratæ Miraculis, & Oraculis Propheticis prænunciatæ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem. *Luc. 1.*

1. Virgo MARIA à ſæculo electa, à Deo præcognita, ſibiquè præparata, & præſervata ad purum. 2. Patriarchis repromiſſa, myſticis præfigurata Miraculis, & Oraculis prænunciata propheticis fuit. Et hæc octo teſtimoniis demonſtrantur. 3. Quomodo MARIA ab Angelis, natura, lege, & gratia, ſervata eſſe intelligatur?

1. MIſſus eſt Angelus ad Virginem. (*h*) Virginem (qualem deſcribit Apoſtolus) mente & corpore ſanctam. Nec noviter, nec fortuitu inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam. Priùs enim (*i*) Altiſſimus ſibi eam quaſi mundum ſpecialiſſimum creavit, quam in juſtitia & ſanctitate coram ipſo fundaret, & fluentis Sapientiæ irrigaret, & cœleſtibus deſideriis inſtar ſcilicet aeris ſublimaret, & igne dilectionis accendendo illuſtraret. Hinc in ejus mente tanquam in quodam firmamento Solem poſuit rationis, & Lunam ſcientiæ, & virtutes tanquam Stellas ſpeciei omnimodæ. Solem, qui lucem divinæ cogni-

 tionis

Serm. 1. ſuper miſſus num. 4. h Serm. 2. ſuper miſſus num. 4. i Serm. de B. M. V. Deip. num. 2. tom. 6. p. 760.

tionis faceret: Lunam, quæ cum Stellis noctem actionis splendidam redderet. Et licet (*k*) Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, præelecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum. De qua immaculata (*l*) immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Factor quippe hominum ut homo fieret, nasciturus ex homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Utpotè (*m*) Sanctuarium illud, in quo Deus & Dei Filius carnem fuerat suscepturus. Neque enim (*n*) filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Germinat Virgo (*o*) Virga Jesse de tortuosa radice generis humani, & Patriarcharum arbore, & in altitudinem & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem filiorum, tenebras nescit, fruticosa quædam non habet. Ipsa (*p*) sola totam Spiritus Sancti gratiam possedit: Quæ ipsius (*q*) non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Non est (*r*) in filiis hominum magnus vel parvus tantâ præditus sanctitate, nec tantæ religionis privilegiatas honore: qui non in peccato fuerit conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis: de qua cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs volo habere quæstionem. Arca Testamenti (*s*) typum tenet Sanctæ Dei Genitricis. Illam fecit Bezeleel: istam condidit Emmanuel. Bezeleel, Oliab in opere socium habuit: Et Virgo quoque Virginum condita, præelecta, præservata, præparata, & ornata per Spiritum Sanctum, & ejus omnipotentem Filium fuit. Bezeleel ergo cum socio Arcam Testamenti fabricavit: Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac Templum Sanctissimum consecravit, hospitiumquè mundissimum sibi præparavit, thalamum quoque, de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Turris (*t*) es Libani ò Maria? Libanus Mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat inno-

k *Ibidem num. 11.* l *Serm. 2. super missus num. 1.* m *Serm. de Ioan. Bapt. num. 3. to. 6. pag. 742.* n *Serm. 4. in Assumpt. B. M. num. 5.* o *Serm. 2. de Nat. Dom. nu. 2. to. 6. pag. 614.* p *Serm. 4. sup. Sal. Reg. num. 22.* q *Epist. 174. num. 5.* r *Serm. 13. in vlt. Cœn. num. 102.* s *Serm. de L. M. Deip. nu. 9.* t *Serm. 4. sup. Sal. Reg. num. 21.*

innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ità præter te. Unde (u) auctoritas Augustini: Cùm de peccatis agitur, nullam de B. MARIA volumus fieri mentionem &c. Ex eo enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Eâ ergo solâ exceptâ: Cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Joannes: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ego quoque pia fide opinor, in utero Matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique & rationes & auctoritates inveniuntur ista stipulantes. Te enim Angelus Gabriel pronunciavit gratiâ plenam: quia tu sola totam Spiritus Sancti gratiam possedisti, quam alii habuêre per partes. Tuum odorem longè ante in filio Patriarcha Isaac trahebat dicens: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Tu es ager plenus, plena gratiarum. De te secretorum cœlestium conscius Salamon dicit: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentiâ, obscurum ignorantiâ. Tu ergo processisti ut aurora lucida & rubicunda: quia superatis originalibus peccatis in utero Matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Tu (x) pulchra es ut Luna, imò pulchrior Lunâ, quia tota pulchra es, & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio. Cujus omnia (y) tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in te non dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minùs lucidum liceat suspicari. Cùm igitur (z) tam claræ auctoritates divinæ tuam ab utero testentur innocentiam, quis ultrà dubitet sanctam & immaculatam huic mundo progenitam? Per quam (A) omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit proculdubio Mater Domini ante sancta quàm nata, nec fal-

u *Ibidem num.22.* x *Serm.3.de Virg.Deip.num.5.* y *Serm.1.de Virg.Deip.num.3.* z *Serm.4.sup.Sal.Reg.num.23.* A *Epist.174.num.5.*

fallitur omninò Sanƈta Ecclesia, Sanƈtum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens.

2. Missus est Angelus à Deo Virginem. (b) A Deo, inquit, ad Virginem: ideſt, à Celso ad humilem, à Domino ad ancillam, à Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei! quanta Virginis Excellentia! Quam (c) Deus amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Missus est (inquit) Angelus ad Virginem. Virginem (d) longè antè Patribus cœlitùs repromissam, mysticis præfiguratam miraculis, oraculis prænunciatam propheticis. Desideratam (e) gentibus, Patriarchis Prophetisquè præcognitam, eleƈtam ex omnibus, prælatam omnibus. A Patribus præfiguratam (f) à Prophetis promissam. Scrutare scripturas, & proba quæ dico. Visne ut & ego aliqua ex his testimonia hîc inferam? Pauca loquar de pluribus.

Primum Testimonium. Quam tibi (g) aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, & mulierem? Et si adhuc dubitas an de MARIA dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata viƈtoria est, nisi MARIÆ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum. Tu es profeƈtò (h) Turris Libani cum propugnaculis ædificata ò MARIA! Ab ineunte quippè ætate dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Quare deleƈtatio justitiæ, odiumquè iniquitatis cum quibus crevisti, tua fuêre propugnacula. His quoque visis, hostibus certè suspeƈta fuisti. Non enim parùm formidabant, nè fortè tu esses, quæ & eras, per quam expugnandi erant & damnandi: propter quod & terribilis fuisti eis ut castrorum acies ordinata. Nihil autem omninò profecit inimicus in te, eò quòd mille clypei pependerunt ex te, omnis armatura fortium. Tu es (i) terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem, armatura

b *Serm. 2. super missus num. 2.* c *Serm. 3. super missus nu. 2.* d *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 8.* e *Epist. 174. num. 2.* f *Serm. 2. super missus num. 4.* g *Ibidem num. 4.* h *Serm. 4. super Sal. Reg. num. 23.* i *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 5.*

tura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem & ad bella doctissimam, cujus ensis super femur suum propter timores nocturnos? In circuitu ejus acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium. Nec est *(k)* dubium te benedictam intellectu & affectu & actu super omnes mortales habuisse & observasse Decalogum, scilicet decem legis præcepta. Vnde prorsùs meritò mille clypei ex te dicuntur pendere. Et non solùm clypei, sed & omnis armatura fortiū. Nihil est enim virtutis quod ex te non resplendeat: & quidquid singuli habuêre Sancti, tu sola possedisti. Idcircò *(l)* timor & tremor venerunt super eos (idest principes tenebrarum) itaut dicerent: Ecce plusquam Eva hæc: Castra Dei sunt hæc: fugiamus Israelem. Tu ergo bellatrix egregia primò eum, qui primus Evam supplantavit, expugnare viliter aggressa es. Tu & Spiritum elationis Evæ, vertice humilitatis complosisti: quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ, virtute castitatis in tua carne virginea eatenùs extinxisti, ut is, in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ divinæ puritati agglutinare non despexerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarū militia in fugam conversa est. Immò verò & unicus ille stultus & totius stultitiæ princeps (qui verè mutatus ut Luna sapientiam perdidit in decore suo) sub MARIÆ pedibus conculcatus & contritus miseram patitur servitutem. Nimirùm ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa: Sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem.

Secundum. Quam verò *(m)* aliam Salamon requirebat, cùm dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippè vir sapiens hujus sexus infirmttatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur

k *Serm. 4. sup. Salve Reg. num. 25.* l *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 4. & serm. 1. de Virg. Deip. num. 4.* m *Serm. 2. sup. missus num. 5.*

retur per ipſam, vehementer admirans ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Quod eſt dicere: Si ità de manu fœminæ pendet & noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria: Fortis omnino neceſsè eſt ut provideatur, quæ ad tantum opus poſſit eſſe idonea. Mirabatur inquam *(n)* Salamon, & velut deſperanti ſimilis ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Nimirùm propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod necdum intercederet tam deſiderabilis aquæ ductus, ideſt Maria. Nec mirabere diutiùs expectatum, ſi recordaris quot annis Noë vir juſtus in arcæ fabrica laboravit, in qua paucæ ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt, idquè ſatis ad modicum tempus. At *(o)* nè hoc quæſiſſe Salamon putetur deſperando, ſubdit prophetando: Procul & de ultimis finibus precium ejus: hoc eſt, non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, ſed de cœlo, nec de cœlo proximo terris precium fortis hujus mulieris, ſed à ſummo Cœlo egreſſio ejus. Vehementer *(p)* quidem nobis vir unus & mulier una nocuêre, ſed gratias Deo: per unum nihilominus virum & mulierẽ unam omnia reſtaurantur: nec ſine magno fœnore gratiarũ. Neque enim ſicut delictum, ità & donum, ſed excidit damni æſtimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus & clementiſſimus artifex quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed utiliùs omninò refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. Et quidem ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo: ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum. Congruum magis ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Intuere ò homo, *(q)* Conſilium Dei, agnoſce conſilium Sapientiæ, conſilium pietatis. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium univerſum contulit in Mariam. Ut quid hoc? Fortè ut excuſaretur Eva per filiam, & querela viri adversùs fœminam deinceps ſopiretur. Ne dixeris ultrà ò Adam: Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vetito. Dic potiùs: Mu-

---

n *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 4.* o *Serm. 2. ſup. miſſus num. 5.* p *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 1.* q *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.*

Mulier, quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Mulier inquam (r) quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! O fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

Tertium. Rubus (s) qui visus est ardere sine sui incendio, Virginem significavit concepturam de Spirito Sancto absque Virginitatis suæ detrimento. Rubus, ad quem non est Moyses ausus calceatus accedere, Virginem docuit sine maritali opere mirabiliter parere. Quid deinde (t) rubus ille quondam Mosaicus portendebat, flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi MARIAM parientem, & dolorem non sentientem. Putasne (u) ipsa est Sole amicta Mulier? Esto siquidem ut de præsenti Ecclesia intelligendum propheticæ visionis serias ipse demonstret: Sed id planè non inconvenienter MARIÆ videtur attribuendum. Nimirum ea est, quæ velut alterum Solem induit sibi. Jure quippè MARIA Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Divinæ Sapientiæ ultrà quam credi valeat, penetravit abyssum: Vt quantùm sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter MARIA meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Sed fortè (x) miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam Sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omninò vicinitas Solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tàm fragilis natura subsistit? Meritò quidem admiraris Moyses Sancte, & curiosiùs desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. Vado, inquit, & videbo visionem hanc magnam.

r *Serm 2. super missus num. 3.* s *Serm. de B. M. Deip. num. 5. num. 5. 4. 762.*
t *Serm. 2. super missus num. 5.* u *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 3.*
x *Ibidem num. 5.*

gnam. Magna planè visio rubus ardens sine combustione: Magnum signum mulier illæsa manens amicta Sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat Solis amictum. Non est Virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria. Spiritus Sanctus, inquit, superveniet in te. Et tanquam respondeat Angelus: quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est: Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus. Traditio Hebræorum (y) visionem in humili arbusculo (scilicet rubo Mosaico) asserit traditam, nè populus occasione aliqua laberetur in idolatriam. In humili Virguncula mirabilis nobis exhibita est visio, in qua nullimoda fornicationis vel minima fuit occasio. Fornicatio siquidem triplex est. Alia est humana, quædam est mundana, nonnulla est Divina. Humana fit illicito actu. Mundana perverso affectu. Divina scelerato cultu. Primâ peccatur in proximum, secundâ in seipsum, tertiâ in Deum. Prima facit carnis immunditiam: Secunda mundi concupiscentiam: Tertia idolatriam. MARIA contra hæc tria singula adhibuit remedia. Contra carnis immunditiam, Virginitatem: contra mundi concupiscentiam, perfectam humilitatem: contra idolatriam, perfectam charitatem. Fuit enim MARIA mundissima carne, humillima corde, devotissima mente.

Quartum. Quid rogo, (z) Virga Aaron florida nec humectata portendebat, nisi MARIAM concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni Miraculi majus mysterium Esajas edisserit, dicens: Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: Virgam Virginem, florem Virginis partum intelligens. Sed (A) si tibi (quòd nunc in flore Christus intelligi dicitur) Superiori videtur adversari sententiæ, quâ non Virga flore, sed floris fructu designari dicebatur; noveris in eadem Aaronica Virga (quæ non solùm floruit, sed & fronduit, & fructum emisit) non solùm

---

y *Serm. de B. M. Deip. num. 5.* z *Serm. 2. super missus num. 5.*
A *Ibidem num. 6.*

lùm flore vel fructu, sed etiam ipsis frondibus eumdem Christum significari. Noveris & apud Moysen nec fructu Virgæ, nec flore, sed ipsâ Virgâ demonstrari. Illâ utique Virgâ, qua feriente, aqua vel dividitur transituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari: & in Virga quidem potentiam, in flore verò fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem: in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive à facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona & desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. In hoc tamen Esajæ testimonio, Florem Filium, Virgam intellige Matrem: quoniam & Virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine. Nec Virgæ virorem floris legis emissio: nec Virginis pudorem Sacri partus editio. Mariam ergo Sacerdotalis Virga (*b*) dum sine radice floruit, præsignabat. Hanc denique præcæteris Isajas nunc Virgam de radice Jesse orituram promittebat: nunc evidentiùs Virginem parituram. Proferamus (*c*) & alia Virgini Matri, Deoquè Filio congrua de Scripturis testimonia.

Quintum. Quid illud (*d*) Gedeonis Vellus significat (quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere Carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur) nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento Virginitatis? Cui utique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo Divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes accepimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus. Quia (*e*) nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret. Nimirum (*f*) tanto tempore humano generi fluenta gratię defuerunt, quod necdum intercederet tam desiderabilis aquæductus, scilicet Maria. Intuere ò homo (*g*) consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum Vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus,

 pre-

b n *Serm.1.de Virg.Dep.nu.8.* c *Serm.: sup.missus nu.7.* d *Ibid.a.nu.7.* e *Serm.3. vig.Nat.Dom.num.10.* f *Serm.2.de Virg.Deip.nu.4.* g *Ibidem num.6.*

precium universum contulit in MARIAM: ac totius boni plenitudinem posuit in MARIA: Vt quid hoc? Vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Huic quoque (*h*) Gedeonico facto propheticum dictum pulchrè satis convenire videtur, ubi legitur: Descendet sicut plvvia in Vellus. Nam per hoc quod sequitur: & sicut stillicidia super terram: idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia quippe voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, placidè priùs & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu Virgineum demisit in uterum: postmodum verò ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non jam sicut pluvia in Vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu Verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cùm mitterentur: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod & fecerunt. Etenim in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Denique (*i*) & hæc ipsa pluvia est, quam accipitis per os meum, si quando de flumine, cujus impetus lætificat Dei Civitatem, & torrente voluptatis illius, aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare contigerit, MARIAM ergo (*k*) Gedeonis Vellus dum in medio siccæ areæ maduit, præfigurabat.

Sextum. Audiamus (*l*) & Hieremiam nova veteribus vaticinantem, & quem præsentem monstrare non poterat, venturum & ardenter desiderantem, & fidenter promittentem. Novum, inquit, creavit Deus super terram: fœmina circumdabit Virum. Quæ est hæc fœmina? Quis verò iste Vir? Aut si Vir, quomodo à fœmina circumdatus? Aut si à fœmina circumdari potest, quomodo Vir? Et ut apertiùs dicam, quomodo potest simul & Vir esse, & in Vtero Matris? Hoc est enim Virum à fœmina circumdari. Novimus Viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam, atque juventutem transeuntes ad gradum usque senectuti proximum spe-

h *Serm.2.super missus num.7.* i *Serm.1.in festo ss.Petri, & Pauli num.2.*
k *Serm.3.de Virg.Deip.num.8.* l *Serm.2.sup.missus num.8.*

pervenerunt. Qui ergo jam adeò grandis eſt, quomodo à fœmina circumdari poteſt? Si dixiſſet: Fœmina circumdabit infantem: vel, Fœmina circumdabit parvulum: nec nouum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale poſuit, ſed dixit *Virum*: Quærimus quæ ſit hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut fœmina circumdaret Virum, & Vir intra fœminei unius corpuſculi membra ſeſe cohiberet? Quid eſt hoc miraculi? Nunquid poteſt homo (ut ait Nicodemus) in Ventrem Matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Sed verto (*m*) me ad conceptum partumquè Virginalem, ſi fortè inter plurima nova ac mira, quæ ibi profectò inſpicit qui diligenter inquirit, etiam hanc quam de Propheta protuli, reperiam novitatem. Porrò ibi agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur Lux non lucens, Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens, Videas ſi attendas, potentiam regi, Sapientiam inſtrui, Virtutem ſuſtentari. Deum denique lactantem, ſed Angelos reficientem: Vagientem, ſed miſeros conſolantem. Videas ſi attendas, triſtari lætitiam, pavere fiduciam, ſalutem pati, Vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum eſt, ipſa ibi cernitur triſtitia lætificans, pavor confortans, paſſio ſalvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Nunquid non facilè tibi eſt inter hæc fœminam agnoſcere Virum circumdantem, cùm MARIAM videas Virum approbatum à Deo JESUM ſuo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuiſſe JESUM, non ſolùm jam cùm diceretur Vir propheta potens in opere & ſermone: ſed etiam cùm tenera adhuc infantis membra Dei mater blando, vel foveret in gremio, vel geſtaret in utero. Vir igitur erat JESUS necdum etiam natus, ſed ſapientiâ, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate ſenſuum, non corpulentiâ membrorum. Neque enim minùs habuit Sapientiæ, vel potiùs non minor fuit Sapientia JESUS conceptus, quàm natus, parvus quàm magnus. Sivè ergo latens in præſepio, ſivè jam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſivè jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profe-

m *Ibidem num. 9.*

profectò plenus fuit Spiritu Sancto. Non fuit hora in quacumque ætate sua, quâ de plenitudine illa quam in sui Conceptione accepit in Vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiiceretur: sed à principio perfectus, à principio inquam plenus fuit Spiritu Sapientiæ & intellectus, Spiritu Consilii & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Constat ergo *(n)* quia semper Jesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore Vir non apparuit. Cur deniq; dubito Virum fuisse in Vtero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minùs quippè est esse Virum, quàm esse Deum. Sed vide *(o)* si non etiam hanc Hieremiæ novitatem Esajas lucidissimè aperit, qui novos superiùs Aaronicos flores exposuit: Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet filium. En habes fœminam, scilicet Virginem. Vis & de Viro audire quid sit? Et vocabitur (ait Esajas) nomen ejus Emanuel, idest nobiscum Deus. Fœmina itaque circumdans Virum, Virgo est concipiens Deum.

Septimum, & octavum testimonium. In lege scriptum erat, *(p)* ut mulier, quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circumcideretur puer: dehinc absolutioni, & purificationi intenta abstineret ab ingressu Templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matrem Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiserit, *suscepto semine?* Alioquin nisi parituram prævidisset sine fine semine Virginem, quæ necessitas de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quòd lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictam fuit per Hieremiam: Quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit, circumdabit Virum. Non ab altero Viro Virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem: sed intra viscera intacta & integra Virum claudet: ità sanè ut intrante & exeunte Domino

n *Ibidem num. 10.* o *Ibidem num. 11.* p *Serm. 3. in Purificat. B. M. num. 1.*

no, iu xta alium Prophetam, *Porta Orientalis clausa* iugiter perseueret. MARIAM *(q)* in Ezechielis visione, Orientalis porta quæ nulli unquam patuit, præsignabat. Christo namque *(r)* nasciturō clausus patuit Virginis Uterus. Constat proindè *(s)* clauso exiisse tumulo redivivum Corpus Christi, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam. Et ut *(t)* breviter concludam de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est: & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est. Vides *(u)* quàm pulchrè & concorditer Sanctorum mira facta, & mystica dicta sibi invicem concinant? Vides quàm stupendum sit hoc unum de Virgine & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt? Unus nimirùm fuit spiritus Prophetarum; & licet diversis modis, signis, & temporibus eamdem rem diversi, non diverso spiritu & prævidérunt & prædixerunt. Quod Moysi monstratum est in rubo & igne, Aaroni in Virga & flore, Gedeoni in vellere, & rore: hoc apertè Salamon prædixit in forte muliere, & ejus precio: apertiùs Hieremias præcinit de fœmina, & viro: apertissimè Esajas declaravit de Virgine & Deo. Gabriel tandem exhibuit ipsam salutando. Ipsa namque est de qua nunc Evangelista, Missus est, ait, Angelus Gabriel à Deo ad Virginem.

3. Missus est Angelus ad Virginem, Virginem *(x)* ex Regibus ortam, ex semine Abrahæ, generosa ex stirpe David. Virginem *(y)* à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam: ab Angelis servatam. Innumerabilium quippè *(z)* Beatorum Spirituum Militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse nullatenùs ambigimus: vtpotè qui custodirent lectulum Salamonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Lectulus es *(A)* Salamonis, ò MARIA, de quo in Canticis: Et lectulum Salamonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Tu terribilis *(b)* ut castrorum acies ordinata. Quid enim

q *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 8.* r *Serm. 1. de s. Andr. Apost. num. 6.* s *Serm. 1. in die Paschæ num. 5.* t *Serm. 3. super Sal. Reg. num. 13.* u *Serm. 2. super missus num. 11.* x *Serm. 1. de Virg. Deip. n. 8.* y *Serm. 2. sup. missus n. 4.* z *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 5.* A *Serm. 4. super sal. Reg. num. 25.* b *Serm. 3. de Virg. Deip. nu. 5.*

1. Virgo MARIA prima fuit, quæ Virginitatem Deo vovit. 2. Ipsa obtinet primatum inter Sanctas Virgines, etiam in cantando Canticum novum in Regno Dei. 3. MARIÆ Nomen comparatum oleo, est Lux, Cibus, Medicina.

1. MIssus (*d*) est Angelus ad Virginem. Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione. Nascitur MARIA (*e*) & ad nubiles annos egrediens, speciem induit speciosam, quâ ipsum alliciat Deum, & Divinitatis oculos in se convertat. Meritò autem (*f*) concupivit Rex decorem Virginis. Fecerat enim quidquid longè anteà præmonita fuerat à patre suo David, dicente sibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populũ tuum, & domum patris tui. Et si hoc feceris, concupiscet Rex decorem tuum. Audivit quippe & vidit, audivit & credidit, vidit & intellexit: & inclinavit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam: & oblita est populum suum, & domum patris sui: quia nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit hæredem: sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret. De cætero sanè (*g*) & Virginitatem carnis, & propositum Virginitatis, & ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat, quòd videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta trascendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vovit. Si (*h*) rerum precia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Quidni (*i*) visitet Angelus Vitæ sociam? Quidni salutem Civem Sanctorum, & domesticam Dei? Angelica planè vita, Virginitas: & qui non nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. O Virgo (*k*) prudens, ò Virgo devota, quis te docuit Deo placere Virginitatem? Quæ Lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? Ubi legeras Beata Virgo: Sapientia carnis mors est? Et, Curam carnis nè perfeceritis in desiderio? Vbi legeras

d *Serm. 2. super missus num. 4.* e *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 2. tom. 6. pag. 614.* f *Serm. 3. super missus num. 3.* g *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 9.* h *Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 6.* i *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 8.* k *Serm. 3. super missus num. 7.*

ras de Virginibus, quia cantant Canticum novum, quod nemo alius cantare poteſt, & ſequuntur Agnum quocunque ierit? Vbi legeras laudatos eſſe, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum? Vbi legeras: In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. Et, Qui matrimonio jungit Virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit, meliùs facit? Vbi audieras: Volo vos omnes eſſe ſicut & me ipſum? Et, Bonum eſt homini, ſi ſic permaneat ſecundùm meum conſilium? De Virginibus, inquit, præceptum non habeo, conſilium autem do. Tu verò non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum: niſi quòd unctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei vivus & efficax ante tibi factus eſt magiſter, quàm filius: priùs inſtruxerit mentem, quàm induerit carnem. Dedit Deus *(l)* Virgini partum, qui ei jam ante & Virginitatis inſpiraverat votum: & humilitatis prærogaverat meritum. Chriſto ergo *(m)* devoves te exhibere Virginem, & neſcis quòd ipſi exhiberi te oportet etiam Matrem? Eligis in Iſrael eſſe contemptibilis, &, ut illi placeas cui te probaſti, maledictum incurrere ſterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur, ſterilitas fœcunditate recõpenſatur. Nec fefellit *(n)* Virginem intentio, quando & Chriſtum ſibi filium vendicavit, nec propoſitum pudicitiæ violavit. Quibus itaque *(o)* laudibus te efferam ò Virginalis candor? Prorſus neſcio. Atqui neſcientem me doceat ſingulare illud Lilium, increata Dei Sapientia Dominus JESUS Vnigenitus Patris Filius, & unicus filius Lilii ſingularis, ideſt Caſtiſſimæ Virginis Matris, quæ in confinio utriuſque legis votum conſecravit perpetuæ & integerrimæ Virginitatis. Habuit profectò *(p)* Lilium Caſtitatis, quia prima votum conſervandæ Virginitatis vovit Domino. Habuit & Roſam charitatis, quia ſi non uſque adeo dilexiſſet Dominum, unde ei tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera & verecunda, & adhuc ſub parentum jure & præceptis legis conſtituta inchoaret? Sed ut verum fatear: Audacem faciebat amor, coegit Roſa ardens ſervilem timorem devorans, ut faceret novum votum, & ſingulare Lilium.

2. In Laudibus Virginum *(q)* ſingulariter canitur, quòd ſe-

l *Serm. 2. ſuper miſſus nu. 1.* m *Serm. 3. ſuper miſſus nu. 7.* n *Ibidem nu. 3.* o *Tract. de Vite Myſt. cap. 18. num. 74.* p *Ibidem cap. 17. num. 67.*

ſequuntur Agnum quocunque jerit. Quibus ergo laudibus judicas dignam Virginem MARIAM, quæ etiam præit? Sola enim eſt (r) de qua dicitur: Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Offerantur Regi Virgines, ſed poſt eam: nam primatum ſola vendicat ſibi. Quòd videlicet (s) in libertate ſpiritus legis Moſaicæ decreta tranſcendens, illibatam Deo corporis ſimul & ſpiritus Sanctimoniam vovit. Harum (t) pincerna tu, Vexillifera tu: quæ prima (u) in terris Angelicam propoſuiſti ducere vitam: Et (x) ſoli Deo in Virginitate vivere propoſuiſti. Novum proindè Canticum illud (y) quod ſolis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus, ipſam Virginum Reginam cum cœteris, imò primam inter cœteras eſſe cantaturam nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod ſolis licet, cum omnibus tamen Virginibus ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori Carmine lętificaturam eſſe Civitatem Dei. Cujus utique dulciſonos depromere vel exprimere modulos ne ipſarum quidem Virginum ulla digna invenietur: quia ſoli meritò decantandum ſervabitur, quæ ſola de partu, & partu Divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu non in ſe, ſed in ipſo quem peperit. Omni laude plùs laudabilis (z) Regina Cœlorum, Mater Sponſi in veſtitu deaurato, Virginum varietate velut gemmis lucidiſſimis adornata, comes itineris Filii ſui eſſe dignatur. Beatiſſimus Joannes Evangeliſta (A) in Apocalypſi ſua vidit duodecies duodena millia Sanctorum Citharædorum illibatæ Virginitatis in corpore, viriditatis inviolatæ in corde, quòd ſequantur Agnum Sponſum Virginum quocunque jerit. Ecce Virginum præmium ſingulare, quia ſequuntur Agnum quocunque jerit. Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo ſequi eum vel audeat vel valeat, niſi Virgines? Quò, inquam, putamus eum ire? In quos ſaltus? In quæ prata? Illuc æſtimo, ubi ſunt vera gaudia, non gaudia huius mundi vana, inſana, mendacia, nec gaudia, qualia in ipſo Regno Dei cœteris præſtantur: ſed à cœteris ſorte diſtincta gaudia Virginum Chriſti, de

 Chri-

---

q *Ser. 1. ſuper miſſus n. 7.* r *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 10.* s *Ibid. num. 9.* t *Ser. 4. ſuper Sal. Reg. n. 19.* u *Serm. 4. in Aſſumpt. B. V. M. num. 6.* x *Serm. 52. de diver. num. 3.* y *Serm. 2. ſuper miſſus num. 1.* z *S. Bernard. in ſoliloquio ſuo num. 5. tom. 6. pag. 1017.* A *Tract. de Vite Myſt. cap. 31. num. 122.*

Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, gaudia propria Virginum Chriſti. Virgines ſequuntur Agnum quocumq; ierit, quia Agni caro utiq; Virgo eſt. Hoc enim in ſe retinuit cùm eſſet in corpore, quod non abſtulit Matri. Virgo enim ex Virgine conceptus eſt: & natus Virgo de Virgine, & poſt nativitatem cum Virgine Matre permanſit Virgo, Auctor & Cuſtos, & amator Virginitatis ac remunerator largiſſimus Dominus JESUS Chriſtus. Propterea enim *(b)* Virginitas eſt appetenda, quia cantabunt Canticum novum ante thronum Dei & Agni, quod prẹter Virgines nemo poteſt dicere. O felices Virgines, & cœteris feliciores Virgines, quæ affertis ad illas Agni nuptias æternales Canticum novum, quod cantabitis in Citharis veſtris, non utique tale, quale cantat univerſa terra, ut dicitur: Cantate Domino Canticum novum, cantate Domino omnis terra: Sed tale, quale nemo poteſt dicere niſi Vos. Audiet tamen & delectabitur omnis multitudo fidelium veſtro proprio & tam excellenti dono. Vos autem quæ & dicetis & audietis, quia illud dicetur à vobis, feliciùs exultabitis & iucundiùs regnabitis. Quis iſtam felicitatem poterit explicare? Imò quis humana mente concipiet tantæ exultationis jubilum? Jam ſi omnes Virgines Canticum iſtud cantabunt, nunquid illa Virgo Virginum primiceria non cantabit? Cantabit utique & tantò jucundiùs, quantò caſtior cœteris. Præbebitq; toti Choro Virginum in cantando exemplum, quas ad Virginitatis amorem ſuo incitavit exemplo. Cantabunt ergo Virgines in illa jucunditate feſtiva canticum ſuum in cor Agni Virginis Sponſi ſui, à quo ut tale canticum poſſent cantare, acceperunt. O feliciſſimum Canticum! ò feſtivitatem jucundiſſimam comparatione & fine carituram! Quis ad illud non anhelet? Quis laborare contemnat, ut illuc perveniat, ubi tantarum Vrrginum Canticum novum audiat? ubi mirabiliter præ cœteris Virginibus redundantem vocem Matris Agni percipiat? Vbi & ipſum Agnum piiſſimum & dulciſſimum melos totum melleum audiat concinentem?

3. Et nomen Virginis MARIA. *(c)* Loquamur pauca ſuper hoc Nomine. Eſt enim *(d)* tam ſuave ad gratiam, tam fœcundam ad ſenſum, tam etiam profundum ad myſteria. Tale enim

b *Ibidem cap. 32. num. 125.* c *Serm. 2. ſuper miſſus n. 17.* d *Serm. 1. ſuper Sal. Reg. n. 1.*

enim eſt quòd à nobis conſiderari & diſcuti, prout dignum eſt, non valeat. Totum me (*e*) trahit affectio, ſed oratio deficit. Dives cogitatio, vocis paupertate confunditur. Fervent interiora, & in undoſam ebulliuut altitudinem: ſed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. Quid eſt ò Beatiſſima? Nunquid ita ſenſu taciturnus obdormiam, ut ibi mutus ſim, ubi omnis loquitur creatura. Nimirum ((*f*) cùm MARIA dicitur vel nominatur, Cœlum ridet, Angeli gaudent, mundus exultat, dæmones fugiunt, infernus contremiſcit. Libet quidem (*g*) dulciter contemplari in ſilentio, quod laborioſa non ſufficit explicare locutio. Veruntamen (*h*) non tacebo, & non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor vultus tuus, & ſermo de te conceptus, ſi non ut lampas ſaltem ut ſcintilla accendatur. O magna (*i*) ò pia, ò multùm amabilis MARIA, Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Sed (*k*) ex quo eſt cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, & in ſanguine Agni conſerva, & in latere filij colloca: tunc aſſequar quod intendo, & poſſidebo quod ſpero, quia tu es ſpes noſtra. Non ſum (*l*) homo profundi ſenſus, non poſſum vobis quod non guſtaverim, eructare. Dicam tamen quid interdum in me ſentiam actitari, ut ſi quis fortè ſibi utile judicaverit, imitetur. Exultate fratres in Domino (*m*) quia de Domina illa ſermo ſuccedit, quæ ſingularem in cordibus veſtris vendicat principatum: ad cujus nomen humiliter inclinatis: cujus horis reverenter aſſiſtitis: cujus memoriam jugiter frequentatis. Hæc eſt, quæ veſtris affectibus ſuaviter indulceſcit, quia magna multitudo dulcedinis ejus: Spiritus enim ejus ſuper mel dulcis, in quam dulcis Dominus cum omni dulcedine ſupervenit. Spiritus (*n*) Sanctus (ait Angelus ad MARIAM) ſuperveniet in te, & precioſum illud balſamum tantâ tibi copiâ, tantaque plenitudine influet, ut copioſiſſimè effluat circumquaque. Ita eſt jam ſentimus, jam exhilarantur facies noſtræ in oleo, jam clamamus: Oleum effuſum nomen tuum. In univerſa

e *Ser. 2. de Nat. Dom. n. 1. to. 6. pag. 614.* f *S. Bern. in Liberculo de Contempt. D. N. I. C. pag. 40. impreſſ. Romæ 1640.* g *Serm. 2. ſuper miſſus num. 17.* h *Serm. 2. de Nativ. Dom. num. 2. tom. 6. pag. 614.* i *Serm. 3. Virg. Deip. num. 6.* k *Serm. 5. ſuper Sal. Reg. num. 2.* l *Serm. 5. de Dedic. Eccleſ. num. 2.* m *Serm. 2. de Nativit. Domini num. 1. tom. 6. p. 613.* n *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 5.*

versa siquidem terra *(o)* jam celebre est Nomen tuum. Hoc est nomen *(p)* quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupet Cœlum, contremiscit terra, infernus exhorret. Fœcundæ Virginis *(q)* amplectitur Cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hîc tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hîc Nomen. Et quidem *(r)* in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: Lux, cibus, medicina.

Primò. Lux est Nomen MARIÆ. Loquamur pauca *(s)* super hoc nomine, quod interpretatum maris Stella dicitur. Ipsa namquè est nobis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat: cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras & perlustrans & calefaciens, magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Tolle corpus *(t)* hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle MARIAM hanc maris Stellam, Maris utique magni & spaciosi (quod est *(u)* sine dubio sæculum nequam) quid nisi caligo involuens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Luna *(x)* transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat. MARIA virtutum à Deo sibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem sui nos provocat. Sicquè noctem nostram illuminat. Quicumque enim vias ejus consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen vitæ inveniet. Ut *(y)* Scriptnra impleatur, quæ dicit: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Hoc enim impletum est per MARIAM, quæ in carne visibilem edidit, quem invisibilem nec de carne, nec cum Carne suscepit. Ipsa est inquam *(z)* præclara & eximia Stella super hoc mare magnum & spaciosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare: ne avertas oculos tuos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.

---

o *Serm. 1. in vig. Nativ. Dom. num. 4* p *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 613.* q *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 1.* r *Serm. 15. in Cant. nu. 5.* s *Serm. 2 super missus n. 17.* t *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 6.* u *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 6.* x *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 5.* y *Serm. 29. in Cant. nu. 8.* z *Serm. 2 sup. missus num. 17.*

cellis. In periculis, in rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. O lampas (*A*) luculentissima, quantos lætificasti, quando splendore Dei illustratum illud Lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris & umbra mortis protulisti. Te nimirum ille divini Epithalamii præcentor à longè intuitus est, cùm in admirationis vocem ità prorupit: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? In quibus verbis (*b*) triplex virtus MARIÆ ostenditur, humilitas, castitas, charitas. Aurora finis est noctis, & initium lucis. Sicut aurora. (*c*) valdè rutilans in mundum progressa es ò MARIA, quando veri Solis splendorem tantæ Sanctitatis jubare præcurristi, ut verè diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuncia extitisti: talis dies talem auroram diei decuit. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum quas Eva produxerat, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus Solem mundo invexisti. Ex hoc ergo (*d*) beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.

Secundò. Cibus est Nomen MARIÆ. Cujus me totum (*e*) jure sibi devotio vendicans, nihil aliud cogitare finit. Quid æquè (*f*) mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet actiones, O dulcis (*g*) Domina? Cujus sola memoria affectum dulcorat: cujus magnitudinis medi-

---

A *Serm.3.de Virg.Deip.num.5.* b *Serm.91.de divers. num.3.* c *Serm. 3. de Virg. Deip.num.5.* d *Serm.2.in die Pent.num.4.* e *Epist.86.nu.1.* f *Serm.15.in Cant.n.6.* g *Serm.5.sup.Sal.Reg. num.2.*

meditatio mentem elevat: cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat: cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat. Tu nunquam (*b*) sine dulcedine divinitùs tibi insita, piæ memoriæ portas ingrederis. Tu quippè (*i*) Maria es rosa, omnium affectus mulcendo. Igitur (k) non erit abs re, sed valdè optimum, si teipsam Reginam misericordiæ, vitam & dulcedinem nostram dicamus. Quia (*l*) tu es vita. Vita verè, quæ mortem superbiæ humilis vicisti, & vitam gratiæ impetrasti. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis. O vita, quæ nutris tuos cœlestibus alimentis. Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat: & qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit. Tu es verè dulcedo, quæ amaritudinem peccati impetrando gratiam expellis: quæ nobis gratiæ dulcorem acquiris: quæ ad suavitatem patriæ cœlestis contemplantes introducis. O clemens (*m*) ò pia, ò dulcis Maria. O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus. O clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus. O clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando. O clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando. Clemens es subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis. Nimius ergo (*n*) amor, quo erga te sumus inebriati intrinsecùs, cogit nos ad te Domina suspirare. Quia omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis: sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius deitatis: nec est qui se abscondat à calore tuo. O Domina (*o*) quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meũ Domina rapuisti? Plena es (*p*) gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant: nec puero Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hidria tua. Cibus (*q*) excitat sitim, potandus est. Hîc (*r*) nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet devotionis, & fervoris charitatis. Calix (*s*) in manu tua Vini meri: in manu tua, in potestate tua calix vini meri, amoris Divini.

h *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* i *Serm. de 12. M. nu. 10.* k *Serm. 1 sup. Sal. Reg. num. 5.* l *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 1. & 2.* m *Ibid. nu. 6.* n *Ibid. nu. 5.* o *Ibidem num. 2.* p *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 16.* q *Serm. 18. in Cant. nu. 6.* r *Serm. 2. in Dom. 1. post Epiph. num. 4.* s *Serm. 4. sup. Sal. Reg. nu. 19.*

ni. Dic Domina rerum, dic pro nobis Filio tuo: Vinum non habent. Calix hujus vini inebrians quàm præclarus eſt. Inebriat amor Dei ad contemptum mundi. Orando (*t*) bibitur vinum lætificans cor hominis: vinum ſpiritus (quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem) humectat interiora arentis conſcientiæ: eſcas bonorum actuū digerit, & deducit per quædam animæ membra:) fidem roborans, ſpem confortans, vegetans ordinanſquè charitatem, & impinguans mores. Hoc, inquam, vinum (*u*) lætificat cor hominis. Hoc à te, & per te ſperamus, ò Domina rerum, non ſolum vinū, ſed & panē. Panis enim cor hominis confirmat. Panis ille de quo Scriptura: Panem Angelorum manducavit homo. Omnes (*x*) nobis cauſarum deeſſe gratiam, ſed juſtiùs forſitan ipſa ſibi queritur gratia deeſſe nonnullos. Nempe res cordis eſt gratia devotionis iſta quam quærimus: & hoc munere ipſe ſe fraudat, qui internum ei diſſimulat receptaculum exhibere. Quæramus ergo (*y*) gratiam iſtam, & per MARIAM quæramus: Quia (*z*) nihil nos Deus habere voluit, quod per MARIÆ manus non tranſiret. Et ipſa (*A*) dico vobis, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ: quoniam miſericors eſt, & Mater miſericordiæ. Aſcendens (*b*) in altum Virgo Beata, dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit nec voluntas. Data eſt ei (*c*) poteſtas in Cœlo & in terra, quæ poſſe poteſtas eſt: & in manibus ejus vita & ſpiritus noſtri: & oculi omnium Chriſtianorum in eam ſperant, & ipſa dat eis eſcam gratiæ, quā plena eſt, in tempore opportuno. Sperent (*d*) ergo in te omnes, qui noverunt Nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domina. Certè qui ſperant in te, mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ut aquilæ; volabunt & non deficient. Ego opinor (*e*) non incongruè pennas iſtas agnitionem & devotionem intelligi poſſe. Ubi verò intelligentiam Charitas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecurè quiſquis ejuſmodi eſt, volet ſine

F fine,

t Serm. 18. in Cant. num. 6. u Serm. 4. ſup. Salve Reg. nu. 20. x Serm. 17. de diverſ. num. 1. y Serm. 3. de Virg. Deip. nu. 8. z Serm. 3. in Vig. Nat. Dom. nu. 10. A Serm. 2. in Dom. 1. poſt Epiph. n. 4. b Serm. 1. in Aſſump. B. M. n. 2. c Serm. 1. ſup. Sal. Reg. n. 3. d Serm. 5. ſup. Sal. Reg. nu. 2. e Serm. 4. de verb. Eſaiæ num. 2.

fine, quia volat in æternitatem. Nemo (*f*) repentè fit summus: ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio siquidem docet quid desit: Oratio ne desit obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit.

Tertiò. Medicina est Nomen MARIÆ. Sicut enim (*g*) Christus quinque vulneribus suis contulit plenè remedia mundo: Sic MARIA suo Sanctissimo Nomine, quod quinque literis extat, confert quotidie veniam peccatorum in hoc mundo. Intuere ò homo (*h*) consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium universum contulit in MARIAM: nimirum totius boni plenitudinem posuit in MARIA: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Et quidem (*i*) sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Jam itaque ne ipsa mulier benedicta in mulieribus videretur ociosa, invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem: nec alter nobis utilior quàm MARIA. Ad MARIAM proinde (*k*) sicut ad mediũ terræ, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur: & qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Nomen MARIÆ (*l*) interpretatum maris Stella dicitur. Ipsa namque est nobis illa Stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat: cujus splendor

f Serm. 1. de S. Andr. nu. 10. g S. Bern. citat. apud Pelbartum in Stellario lib. 6. par. 1. art. 1. h Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6. i Serm. 1. de Virg. Deip. nu. 1. & 2. k Serm. 2. in die Pent. num. 4. l Serm. 2. sup. missus num. 17.

dor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras & perlustrans & calefaciens, magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara & eximia Stella super hoc mare magnum & spaciosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas, quàm per terram ambulare: nè avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice MARIAM, voca MARIAM. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice Stellam, voca MARIAM. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita MARIAM, MARIAM invoca. Nimirùm (m) ea est, quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque prænterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus Clementissimam præbet: omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu. Sic (n) potentissima & piissima ejus charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Et in hoc (o) convenienter vocatur Regina misericordiæ, quòd Divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii sui suffragia præstat. Te ergo (p) inæstimabilis benignitatis fœminam, & venerandam Matrem esse cognoscimus ex eo, quòd tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, nō despicis, si ad te suspiraverit, tuumquè interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mi-

 rum

m *Serm. 1. de Virg. Deip. n. 3.* n *Serm. 4. in Assumpt. B. M. n. 8.* o *Serm. 1. super Sal. Regina num. 3.* p *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2.*

rum ò Domina, ſi tam copioſo miſericordiæ oleo tui cordis perfuſum eſt ſanctuarium, cùm illud inæſtimabile opus miſericordiæ (quod prædeſtinavit Deus ante ſæcula in redemptionem noſtram) primùm in te à mundi artifice ſit fabricatum. O laudabilis (q) clementia Salvatoris, qui ſic afflictis tam nobile ſubſidium dignatus eſt elargiri: & ideo non eſt timendum, quin miſerearis miſeris, ad illam partem inclinans ſententiam quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam quam peperiſti, ò benedicta (r) inventrix gratiæ, genetrix vitæ, mater ſalutis, Domina noſtra, mediatrix noſtra, Advocata noſtra. Advocatam (ſ) præmiſit peregrinatio noſtra: quæ tanquam Judicis mater, & mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Itaque (t) in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, MARIAM cogita: MARIAM invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias: ipſam rogans non deſperas: ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis: ipſa protegente non metuis: ipſa duce non fatigaris: ipſa propitia pervenis: Et ſic in temetipſo experiris quàm meritò dictum ſit: Et Nomen Virginis MARIA.

CAPUT V.

De Virginitate, & humilitate MARIAE, ex ejus deſponſatione reſultantibus: & de modeſtia ejus, ſive verecundia.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph.
Luc. 1.

1. De

q *Serm. 3. ſuper Sal. Reg. num. 6.* r *Serm. 2. de Adv. Dom. n. 5.* ſ *Serm. in Aſſumpt. B. V. M. num. 1.* t *Serm. 2. ſup. miſſus num. 17.*

1. De pulchra connexione Virginitatis & humilitatis Mariæ. 2. Quanta prærogativa Virginem esse simul & Matrem, Matrem autem Dei. 3. Humilitas MARIÆ proponitur cuique imitanda. 4. Necnon modestia ejus, sive verecundia.

1. MISSUS est Angelus Gabriel à Deo. (u) Ad quem? Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Quæ est hæc Virgo tam venerabilis,ut salutetur ab Angelo? tam humilis,ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio Virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet illa anima, in qua & humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Quæramus (x) geminam animæ pulchritudinem: hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ humilitas est. Non à meipso hoc dico, cùm Propheta prior dixerit: Asperges me hyssopo, & mundabor: humili herba & pectoris purgativa humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum Rex & Propheta lavari confidit, & sic niveum quendam innocentiæ recuperare candorem. Verùm in eo qui graviter peccavit, etsi amanda,non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinuit,& nihilominus humilitatem jungit: nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta MARIA sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit. Et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit. Denique Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Ergo beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis & innocentiæ, si tamen & decorem induere humilitatis adiiciant. Profectò audiet qui ejusmodi invenitur: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Ecce (y) admirantis vox est, reliquum laudis. Meritò admiranda, cui sanctitas amissa humilitatem non attulit, sed servata admisit. Meritò pulchra repetitur, cui neutra defuit pulchritudo. Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimoniâ non excludi: & ideo

u *Serm. 1. super missus num. 6.* x *Serm. 45. in Cant. num. 2.*
y *Ibidem num. 3.*

ideo beata quæ utramque retinuit. Si autem (z) Virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. Quod si & Virgo & humilis es: quisquis es, magnus es. Hæc duo (A) duæ olivæ sunt, & duo candelabra lucentia ante Deum. Sunt hæc duo luminaria, duo altaria, duo exploratores, duo Cherubim, duo ostiola: duo ubera: testamenta duo, hirci duo, leones duo, minuta duo, tabulæ duæ, columnæ duæ, sorores duæ, manus duæ, & si qua sint binaria, quæ his consonantia opinionaliter queant inveniri. Ut igitur (b) quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter & paritura, Sancta esset corpore, accepit donum Virginitatis: ut esset & mente, accepit & humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoquè mentis pariter & corporis decore præfulgida, specie sua & pulchritudine sua in cœlestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Quanta verò (c) & quàm preciosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia absque delicto, immò cum tantæ gratiæ plenitudine, quis investiget (d) quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hauriam non est mihi. Quæ enim (e) vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei? Unde tibi (f) humilitas & tanta humilitas ò beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Sicut ipsa (g) prohibet, Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm Virginitatem: & si placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat quia etiam ut placeret Virginitas, humilitas proculdubiò fecit.

2. Felices (h) qui non coinquinaverunt vestimenta sua, & cum Regina nostra Virginitatis privilegio gloriantur. Sed

felix

z *Serm. 1. super missus num. 6.* A *Serm. 3. super Sa.. R. g. num. 18.* b *Serm. 2. super missus num. 2.* c *Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. nu. 7.* d *Serm. 2. in Annunc. B. M. n. 1.* e *Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 6.* f *Ibidem num. 7.* g *Serm. 1. sup. missus n. 5.* h *Serm. 46. de div.*

felix MARIA (*i*) cui nec humilitas defuit, nec Virginitas. Et quidem singularis Virginitas, quam non temeravit sed honoravit fœcunditas: & nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit sed extulit fœcunda Virginitas: & incomparabilis prorsùs fœcunditas, quam Virginitas simul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum verò si non hæsitas in eorum ponderatione? quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potiùs stupenda sit fœcunditas in Virgine, an in matre integritas? sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas? nisi quòd indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, & incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse, quàm aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur & cernitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Miraculum fuit (*k*) quòd Virgo peperit. A sæculo enim (*l*) non est auditū, ut aliqua simul Mater esset & Virgo. A sæculo, inquam, (*m*) non est auditum, quòd Virgo esset, quæ peperit: quòd Mater esset, quæ Virgo permansit. Nunquam juxta rerum ordinem Virginitas, ubi fęcunditas prædicatur: nec fęcunditas, ubi Virginitas integra conservatur. Sola hæc est MARIA, in qua Virginitas & fœcunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factū est, quod factum nō fuerat, nec fiet in ęternum: quia nec primam similē visa est, nec habere sequentem. Offerantur Regi Virgines (*n*) sed post eam. Unum est enim (*o*) in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi MARIA. Optimam planè, quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas Virginalis: prorsùs autem optima est fœcunditas Virginea, seu fœcunda Virginitas. MARIÆ privilegium est, non dabitur alteri; quia non auferetur ab ea. Singulare est, sed continuò etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quanta (*p*) putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat Virginitatem? Quid si (*q*) & cujus Mater

atten-

---

i *Serm. 1. super missus num. 9.* k *Serm. de B. M. Deip. num. 1. tom 6. par. 760.* l *Serm. 1. super missus num. 7.* m *Serm. 3. in vig. Nat. Dom. num. 9.* n *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 10.* o *Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 5.* p *Serm. 1. super missus num. 5.*
q *Ibidem num. 7.*

attendas: quò te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nam quòd verum Deum, *(r)* & Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis Filius unus omninò Deus & homo prodiret ex MARIA, abyssus est luminis: nec facilè dixerim, quòd vel Angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. Sola proinde *(s)* Virgo Mater de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu non in se, sed in ipso quem peperit. Deus enim est quem peperit. Sed *(t)* quæ poterit lingua etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virgininem Matrem: Matrem autem non cujuscunque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa: duplex miraculum, sed dignè prorsùs aptissimèque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Profectò *(u)* Deum hujusmodi decebat nativitas, quâ non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.

3. Audis Virginem *(x)* audis humilem: si non potes imitari Virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus Virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur: ista præcipitur. Ad illam invitaris: ad istam cogeris. De illa dicitur: Qui potest capere, capiat. De ista dicitur: Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum Cœlorum. Illa ergo remuneratur: ista exigitur. Propter quod *(y)* JESUS dicebat: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Corde dixit *(z)* cordis affectu, idest voluntate. Potes denique *(A)* sine Virginitate salvari: sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ Virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem (audeo dicere) nec Virginitas MARIÆ placuisset. Super quem (inquit) requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? super humilem dixit, non super Virginem. Nam *(b)* Virginitas sine humilitate habet fortassè gloriam, sed non non apud Deum. Scimus quippe *(c)* quòd illis Virginibus dictu-

r *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 9.* s *Serm. 2. super missus num. 1.* t *Serm. 4. in assumpt. B. V. M. num. 5.* u *Serm. 2. super missus num. 1.* x *Serm. 1. super missus num. 5.* y *Serm. 4. de Adv. Dom. num. 4.* z *Serm. 42. in Cant. num. 7.* A *Serm. 1. super missus num. 5.* b *Serm. 46. de diver.* c *Tract. de vite Myst. cap. 32. num. 135.*

dicturus sit Sponsus Christus (quæ lampades habebant sine oleo) verbum horribile non solùm auditu sed & cogitatu: Nescio vos. Sola *(d)* gratiam Dei meretur læta & absoluta humilitas. Sola inquam *(e)* placet Deo humilitas sive in Angelis, sive in homine: & qui sedet in throno, solos eligit subditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe est: Quis sicut Dominus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Si MARIA *(f)* humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requievisset: si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia ut de Spiritu Sancto conciperet (sicut ipsa perhibet) Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm Virginitatem. Quid dicis Virgo superbe? MARIA Virginem se oblita, gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de Virginitate? Respexit (ait illa) humilitatem ancillæ suæ. Quæ illa? Virgo utique Sancta, Virgo sobria, Virgo devota. Nunquid tu castior illâ? nunquid devotior? Aut nunquid tua fortè pudicitia gratior castitate MARIÆ? ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua pudicitia, quòd illa non potuit ex sua. Denique quantò honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tantò tibi tu majorem iniuriam facis, quòd ejus in te decorem fœdas permixtione superbiæ. Alioquin expedit tibi Virginem non esse, quàm de Virginitate insolescere. Non omnium quidem est Virginitas, multò tamen paucorum est cum Virginitate humilitas. Rara avis *(g)* in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimoniâ non excludi. MARIA *(h)* quantò major erat, tantò magis humiliabat se non modò de omnibus, sed etiam præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infrà viduas & pœnitentes, infrà eam de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Vade *(i)* & tu fac similiter. Neque

G [illegible] enim

d *Serm. 34. in Cant. nu. 7.* e *Serm. 2. de verbis Esaiæ num. 3.* f *Serm. 1. super missus n. 5. & 6.* g *Serm. 45. in Cantic. num. 3.* h *Serm. 4. de Virgin. Deipar. num. 11.* i *Serm. 2. de Ascens. Domin. num. 6.*

enim aſcendere potes, niſi deſcenderis: quia ut æterna lege fixum eſt, Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potiùs quàm aſcendit: quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat: ſola, quæ ducit ad vitam. Non eſt periculũ(*k*) quantumcunq; te humiles, quantũcunq; reputes minorem quàm ſis, hoc eſt, quàm te veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumquè periculum, ſi vel modicè plùs vero te tollas, ſi vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas judicat: aut etiam ſuperiorem. Quemadmodum enim ſi per oſtium tranſeas, cujus ſuperliminare (ut intelligentiam loquar) nimiùm baſſum ſit, non nocet quantumcunque te inclinaveris: nocet autem ſi vel tranſverſi digiti ſpatio plùs quàm oſtii patitur menſura, erexeris ita ut impingas, & capite quaſſato collidaris: Sic in anima non eſt planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiùmquè pavenda vel minima temerè præſumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, nolĩ uni. Humilitatis virtus maxima(*l*) maximèquè neceſſaria eſt, ut honore prævenìamus invicem: necmodò priores ſed & ipſos juniores ſibi quiſque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio eſt, & juſtitiæ plenitudo. Abiit MARIA (*m*) in montana cum feſtinatione, & ſalutavit Eliſabeth, & in miniſterio ejus erat quaſi menſibus tribus, ut jam tunc poſſet dicere Mater matri, quod tantò poſt filio dixit Filius: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Planè montana conſcendens, cujus juſtitia ſicut montes Dei. Vade & tu (*n*) ad minorem, ſi vis in juſtitia eſſe perfectus, defer inferiori, juniori te inclinato. Sic enim decet nos (inquit JESUS) omnem implere juſtitiam. Eſt autem juſtitia (*o*) quædam ſtricta & anguſta valdè (ita ut quàm citò pedem verteris, in peccati foveam cadas) nec præponere ſe æquali, nec æquare præpoſito. Hujus definitio eſt reddere unicuique quod ſuum eſt. Altera latior & amplior juſtitia, nec æquare ſe ſuperiori, nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & gravis eſt ſuperbia præferre

ſe

k Serm. 37. in Cant. nu. 6. l Serm. 2. in Purific. B. M. num. 3. m Serm. 2. de Virg. Deip. num. 9. n Serm. 42. in Cant. num. 9. o Serm. 4. in Epiph. Dom. num. 4.

se æquali, aut æquare prælato: ità magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena justitia est se inferiorem exhibere etiã ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est, superiori se præponere: ità inferiori se subdere, summa & plena justitia est. Si igitur (p) Virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. Humilitas (q) Deo nos reconciliat: Deo facit subjectos: Deo placet in nobis, sicut ait Virgo Beata: Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Humilitas intantùm est necessaria (r) ut absque ista aliæ virtutes nec esse virtutes videantur: Nempe ut castitas seu charitas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam: servat acceptas, quia non requiescit spiritus Domini, nisi super quietũ & humilem: servatas consummat, nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate perficitur. Inimicam omnis gratiæ, omnisquè initium peccati debellat superbiam humilitas: & tam à se, quàm à cæteris virtutibus superbam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cùm ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere solet incrementum superbia; sola hæc humilitas omniũ propugnaculum quoddam turisquè virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. Per humilitatẽ (s) nonnulli possidêre etiã portas inimicorũ. Quæ enim virtutum æque potest dæmonum debellare superbiam, tyrannidem hominum? Sola denique humilitas (t) quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis Divinæ. Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Non contendit judicio, nec prætendit justitiam qui verè humilis est, sed dicit: Non intres in judicium cum servo tuo Domine. Recusat judicium, & postulat misericordiam: faciliùs sibi veniam impetrare posse quàm justitiam vendicare confidens. Novit naturam divinam naturaliter piam, quæ nostram nequaquam humilitatem abhorreat. Non despicit illa maiestas cor contritum & humiliatum in nostro genere, quæ corpus ex eo humili-

p *Serm. 1. super missus num. 6.* q *Serm. 4. in Nat. Domin. num. 2.*
r *Tract. de offic. & mor. Episc. cap. 5. num. 17.*
s *Lib. 2. de consil. cap. 6. num. 13.*
t *Tract. de offic. Episc. cap. 6. num. 24.*

militatis assumere non dedignata est. Hac se humilitate *(u)* post gravem lapsum Rex & Propheta lavari cofidit, & sic niveum quendam innocentiæ recuperare candorem, cùm dixerit: Asperges me hyssopo, & mundabor: humili herba & pectoris purgativâ humilitatem significans. Nec latuit Prophetam *(x)* quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus: & ideo ait, Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam justificationes tuas. Vides quia humilitas justificat nos? Humilitas dixi, non humiliatio: quoniam non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Tu ergo *(y)* cùm te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omninò argumentum gratiæ appropinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sanè utrumque legis, Deum scilicet & superbis resistere, & humilibus dare gratiam.

4. Collectaneæ *(z)* sunt humilitas & mansuetudo, in eo confæderatæ germaniùs qui dicebat: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. Gratissima sanè *(A)* gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quòd hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit MARIA: ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui Filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum non nisi quater MARIA loquens auditur. *Primò* quidem ad Angelum, sed cùm jam semel atque iterum allocutus eam fuisset. *Secundò* ad Elisabeth, quando vox salutationi ejus Joannem exultare fecit in utero: & ea magnificante MARIAM, ipsa magis Dominum magnificare curavit. *Tertiò* ad Filium, cùm jam esset annorum duodecim, quòd ipsa & pater ejus dolentes quæsissent eum. *Quartò* in nuptiis ad Filium & ministros. Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & Virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippè vere-

u *Serm. 45. in Cant. num. 2.* x *Serm. 34. in Cant. num. 3.* y *Ibidem num. 1.*
z *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 12.* A *Ibidem num. 10.*

verecundiam ſuam repùtans, ſuſtinere non potuit, non potuit vini diſſimulare defectum. Vbi ſanè increpata eſt à Filio (tanquam mitis & humilis corde) nec illi reſpondit, nec tamen deſperavit, miniſtros admonens facere quod diceret eis. Obſecro vos filioli (*b*) æmulamini hanc virtutem: ſi Mariam diligitis, ſi contenditis ei placere, æmulamini modeſtiam ejus. Nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Chriſtiano, maximequè monachum nihil adeo decet. Verecundia enim (*c*) eſt maximum decus in Religioſo, præcipuè in juvenibus: itaut qui eam poſtponit, vix aliqua ſpes ſit de eis, quòd bnoni fiant & virtuoſi. Non quia (*d*) non ſit & in provectiori ætate omni ſtudio retinenda, quæ eſt certè omnium ornatus ætatum, & quâ neſcio an quidquam gratius adverti in moribus hominū queat: ſed quòd teneræ gratia verecundiæ in teneriori ętate ampliùs pulchriùſquè eniteat. Quid amabilius verecundo adoleſcente, quàm pulchra hęc & quàm ſplendida gemma morum in vita & vultu adoleſcentiis? quàm vera & minimè dubia bonæ nuncia ſpei, bonæ indolis index? Virga diſciplinæ eſt illi, qui pudendis affectibus imminentes lubricæ ætatis motus actuſq; leves coerceat, comprimat inſolentes. Quid ita turpiloquii & omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiæ eſt. Nullum æquè manifeſtum indicium columbinæ ſimplicitatis, & ideo etiam teſtis innocentiæ. Lampas eſt pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum reſidere attentet, quod non verecundia illicò prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, & famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti. Rubor ipſe genarum, quem fortè invexerit pudor, quantùm gratiæ & decoris ſuffuſo afferre vultui ſolet? O quàm decenti (*e*) rubore genas ſuffundit virgineas ingens gemma pudoris. Quàm pulcha (*f*) virtus verecundia, & ſuavis gratia, quæ non ſolùm in factis, ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus, nè modum progrediaris loquendo, nè quid indecorum ſermo reſonet.

b *Ibidem num.11.* c *Opuſc. Ad quid veniſti cap.17.* d *Serm.86. in Cant. num.1.* e *Epiſt.113. num.5.* f *Tract. de Ord. vitæ, ſive morum inſt. cap.2. num.3. tom.5. pag.452.*

ſonet tuus. Speculum enim mentis plerumquè in verbis refulget. Ipſum ſonum vocis libret modeſtia, nè cujuſquam offendat aurem vox incompoſita. Denique in ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt: immò etiam in omni uſu loquendi, ut ſenſim quis aut pſallere, aut legere, aut poſtremò loqui incipiat, ut verecunda principia commendent proceſſum. Eſt enim in oculis verecundia, quâ prohibetur boni adoleſcentis pudica anima intueri & alloqui fœminas: non ut execretur ſexum, ſed ut fugiat vitium. Plurimùm autem proficit ad tuitionem caſtitatis cuſtodia oculorum. Multi verò perierunt propter ſpeciem carnis. Vnde Dominus: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mechatus eſt eam in corde ſuo. Quapropter (g) tenenda eſt in omnibus verecundia pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa tutior erit. Bonus enim regendæ caſtitatis pudor eſt comes, qui ſi repellat prima pericula, pudicitiam vulnerari non ſinit. Etenim inverecundis oculis, & laſcivis ſermonibus libidinoſus animus deprehenditur. In ipſa etiam oratione noſtra multùm verecundia placet, multumquè conciliat gratiæ apud Dominum noſtrum. Nonne hæc prætulit Publicanum,& commendavit eum qui nec oculos ſuos audebat ad cœlum levare? Ideò iuſtificatur Domini judicio pluſquàm ille Phariſæus, quem deformavit præſumptio. Oremus & nos inquantùm poſſumus in incorruptione quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt ante Deum locuples. Paulus quoque cùm orationem deferri præcipit cum verecundia & ſobrietate,primam hanc & quaſi præviam vult eſſe orationis futuræ, ut non glorietur peccatoris oratio: ſed quaſi colore pudoris obducta, quò plùs defert verecundia de recordatione delicti, eò uberiorem mereatur gratiam. Eſt inſuper (h) in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior æſtimatur. Itaque vox quædam animi eſt corporis motus. Sæpè enim per inceſſum proditur qualis ſit animus. Sicut (i) timor Domini componit homines, & ordinat interiùs omnia ad beatitudinem: ita verecundia componit exteriùs

g *Ibidem nu.4.& 5.* h *Ibidem nu.6.* i *Opuſc. Ad quid veniſti cap.17.*

rius ad disciplinam. Nemo sit tibi ità familiaris, coram quo verecundiæ obliviscaris. Incessus tuus sit maturus: non leviter curras sine necessitate: nec vagus sis oculis: nec brachia multùm ventiles: nec more sæcularium incomposito gradu incedas, sed plano & humili gestu. Sedens, non pigrè te in latus inclines, nec crura longè extendas, maximè præsentibus aliis. Exterior enim incompositio corporis indicium est indevotæ mentis. Vsque adeò (k) genuinum animi bonum verecundia est, ut qui malè agere non verentur, videri tamen verecundentur, dicente Domino: Omnis qui malè agit, odit lucem. Sed & qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt: opera nimirùm tenebrarum & digna latebris, tenebris occultantes. Teneamus ergo (l) verecundiam, vel eam quæ ad totius vitæ ornamentum nos attollit modestiam. Magna autem est modestia, individua verecundiæ socia: quæ cùm sit sui juris remissior, nihil usurpans, nihil vendicans, & quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum. Verecunda modestia, & modesta verecundia est, quæ nulli insidias machinatur: læsa non irascitur: & cunctos simpliciter respiciens, de nullo sinistrum aliquid suspicatur. Hanc teneamus, hanc diligamus.

CAPUT VI.

De Mysteriis Desponsationis MARIAE cum Joseph.

Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro Joseph, de domo David. *Luc.* 1.

Afferuntur rationes, Cur MARIA desponsata fuit viro Joseph.

1. Ut

k *Serm.86.in Cant.num.2.* l *Tract.de ordine Vitæ cap.3.num.11.*

1. Ut ejus testimonio & famæ Virginis provideretur, & comprobaretur Christum de Virgine natum esse. 2. Ut Sacramentum Divini consilii calaretur à diabulo, partus videlicet Virginalis, & Divinitas in humanitate. 3. Ut diabolus, qui seduxit Evam, à Virgine MARIA seduceretur, desponsatione utique Joseph. 4. Ut MARIA & JESUS adijuvarentur ministerio Joseph: qui proinde summis laudum præconiis extollitur. 5. Ut Prosapia generationis MARIÆ & JESU describeretur, procedens de domo David, cujus filius erat Joseph.

1. MISSUS est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam. (m) Quare desponsatam? Cùm esset Virgo electa & (ut ostensum est) Virgo conceptura, Virgo paritura: mirum cur desponsata fuerit, non nuptura? nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valdè utilis & necessaria, & divini prorsùs adinventione consilii digna. Dicam quod mihi, immò quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis MARIÆ, quæ & dubitationis Thomæ. Mos siquidem Judæorum erat, ut à die desponsationis suæ usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, quatenus earum ipsi eò sibi pudicitiam curiosiùs servarent, quò sibi ipsi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est Dominicæ confessor Resurrectionis: ita & Joseph MARIAM sibi desponsando, ejusquè conversationem in tempore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia: & dubitatio Thomæ, & desponsatio MARIÆ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa: veritatem in suspicionem adducere: sed valdè prudenter & piè factum est per contrariũ; ut unde metuebatur suspicio, firma fit certitudo. Nam & de Filii Resurrectione citiùs quidem ego (qui infirmus sum) credi-

(m) *In Serm. 2. super missus num. 12.*

crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de Matris continentia faciliùs Sponſo ejus cuſtodienti & experienti, quàm ipſi quoque Virgini de ſola ſua conſcientia ſe defendenti. Dic quæſo, quis eam videns deſponſatam & gravidam, non potiùs diceret corruptam quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabiliùs verò atque honeſtiùs fuit putari ad tempus Chriſtum de conjugio fuiſſe natum, quàm de fornicatione. Quid ſapientius (n) quid dignius divinâ providentiâ? Uno tali conſilio ſecretis cœleſtibus & admittitur teſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris. Alioquin quando peperciſſet juſtus adulteræ? Sciptũ eſt autem: Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Benè cùm eſſet juſtus, noluit eam traducere: quia ſicut nequaquàm juſtus eſſet, ſi cognitam ream conſervaſſet; ſic nihilominus juſtus non eſſet, ſi probatam innoxiam condemnaſſet. Cum ergo juſtus eſſet, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Quare (o) voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum: propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cùm diceret: Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ita ergo & Joſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & à tanta non debere ſibi ultrà familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem. Videbat & horrebat divinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiæ magnitudinem: expavit Centurio præſentiæ majeſtatem. Exhorruit nimirum & Joſeph (ſicut homo) hujus tanti miraculi novitatem, myſterii profunditatem: & ideo occultè voluit dimittere eam. Miraris quòd Joſeph prægnantis ſeſe conſortio Virginis judicabat indignum, cùm audias & Sanctam Eliſabeth ejus non poſſe ferre præſentiam, niſi cum tremore quidem & reverentia? Ait namque: Vnde hoc mihi, ut veniat

n *Ibidem num.*13. o *Ibidem num.*14.

niat Mater Domini mei ad me? Ideo itaque Joseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Nè videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo nō credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat; nonne mox increduli & crudeles Judæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, qui postmodùm impias manus injecerunt etiam miraculis corruscanti? Meritò ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam. Sin verò *(p)* aliter quis sentiat, & Joseph sicut hominem dubitare contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & ideo voluerit occultè dimittere eam: breviter respondeo etiam sic dubitationem illam Joseph fuisse necessariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: Hæc autem eo cogitante (scilicet quod occultè dimitteret eam) apparuit ei Angelus in somnis dicens: Joseph fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Itaque propter istas rationes desponsata est MARIA Joseph.

2. Sed *(q)* non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique: sed non poterat latere dœmones, quod scirent homines. Oportebat autem à principe mundi aliquandiù celari divini Consilii Sacramentum: non quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solùm potenter sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerū vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita & in hoc quoque tàm magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Necessariò igitur desponsa-

p *Ibidem num.15.* q *Serm.2.super missus num.13.*

ponſata eſt MARIA Joſeph, quando per hoc & à canibus Sanctum abſconditur, & à ſponſo Virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid ſapientius, quid dignius divinâ providentiâ? Uno tali conſilio ſecretis cœleſtibus & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris. Quæ generat *(r)* & Mater & Virgo eſt: qui generatur & Deus & homo eſt. Sed numquid dabitur Sanctum canibus, aut margaritæ porcis? Abſcondatur certè theſaurus noſter in agro, & pecunia noſtra in ſacculo reponatur. Operiatur conceptus ſine ſemine, Matris deſponſatione: partus ſine dolore, vagitibus paruuli, & mœrore. Abſcondatur & parturientis incorruptio legali purificatione: infantis innocentia ſolita Circumciſione. Meritò flebat. Joannes *(s)* non inveniri qui aperiret librum, qui ſolveret ſignacula ejus: dum enim clauſus ſtaret, nemo ex nobis divinam illam attingere Sapientiam prævaleret. Septem *(t)* ſignacula ſunt: temporalis Nativitas, legalis Circumciſio, Matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis neceſſitudo, baptiſmus, paſſio. Hæc ſiquidem ſunt veræ quædam humanitatis inſignia, quibus ſe teneri ac ligari voluit incarnata Dei Sapientia. Ipſa quippe eſt ſecunda in Trinitate Perſona. Et quòd ipſe Filius Dei erat, ideſt, Sapientia, occultavit per illa prædicta ſignacula. Diſcant qui non legerunt *(u)* Apocalypſis verba: recolant, qui noverunt. Vidi (inquit Joannes) in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſignatum ſigillis ſeptem, & non erat qui legeret vel aperiret. Ego (ait) flebam multùm, quòd nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David. Et vidi, & ecce in medio throni Agnum ſtantẽ tanquam occiſum: & veniens accepit librum de dextera ſedentis in throno, & aperuit librũ: factaquè eſt lætitia magna, & gratiarum actio. Leonem Joannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occiſus eſt: Agnus accepit Librum: Agnus aperuit, & apparuit leo. Denique dignus eſt (ajunt Seniores) Agnus qui occiſus eſt, accipere fortitudinem. Non manſuetudinem amittere, ſed accipere

 fortitu-

r *Serm.4.in Nat.Dom.n.6.* s *Serm.2.in Nat.Dom.n.5.* t *Serm.57.de diverſ.n.1.* u *Serm.1.in die Paſchæ num.9.*

fortitudinem, ut & Agnus maneat, & leo fit. Plùs dico ut mihi videtur, idem etiam liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc librum? Indignum se profitetur & ipse Baptista Ioannes, quo inter natos mulierum major nemo surrexit. Non sum, inquit, dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Venerat enim ad nos calceata Majestas, Divinitas incarnata: venerat Dei Sapientia, sed in libro clauso utiq; & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant signacula libri. Sed quid (x) dicimus super his septem? An humanitas Salvatoris sit intelligēda? Ipse enim est liber: & quęrenda sunt signacula septem. Septē enim quædam arbitror inveniri, quibus maximè celebatur in carne præsentia majestatis, ut non posset aperiri liber, & Sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim. Primum. *Matris desponsatio*, quâ partus Virginis, & conceptionis puritas valabatur: itaut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. Secundum. *Infirmitas corporis*, quâ nimirum plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cœteris subjacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus Divinitatis. Tertium. Sic & *Circumcisionis signum* suscipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam: qui morbum omnem tollere venerat & peccatum. Quartum. Et item *in Ægyptum fugiens* à facie Herodis reguli: nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex Cœli. Quintum. Quid trina illa tentatio inimici in *deserto*, in *pinnaculo*, supra *montem?* Si filius Dei, inquit, es: dic ut lapides isti panes fiant. Et item, Mitte te deorsum. Neutrum Christus fecit: ut signaretur liber: ut falleretur astutùs. Denique eousque seductus est diabolus, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum: & in tantam vesaniam superbia cœca proruperat, ut non diceret ultrà: Si filius Dei es: sed, Omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Sextum est signaculum *Crucis*, ubi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus Majestatis. Septimum. Clausit & *Sepultura* librum hunc: nec ullum signaculum omninò sic obstruxit, sic occultavit magnum pietatis Sacramentum. Sepulto nimirum Domino sola restare desperatio videbatur, adeo ut discipuli dice-

x *Ibidem num.* 10.

dicerent: Quia nos ſperabamus. Quis non in illo fleret tempore clauſum arctiùs librum, & non eſſe qui aperiret? Chriſtus profectò (*y*) in univerſali hominum miſeria preſſiùs & profundiùs ſe immerſit, nè ſubtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideò habitu & omni habitu inventus eſt ut homo: nec in eo quantùm ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit. Quia enim inventus eſt, ideò crucifixus eſt. Paucis autem revelavit ſeipſum, ut eſſent qui crederent: reliquis autem abſconditus eſt: Quia ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Et princeps mundi (*z*) ſi intelligeret, nunquam Dominum gloriæ crucifigeret. Per omnia ergo Virtutem ei divinitatis occultans Chriſtus, & ſolam ei carnis infirmitatem præferens: per juſtitiam vitæ ſuæ invidiam ſuſcitavit hoſtilis nequitiæ: per infirmitatem ſuæ carnis ſpem illi contulit victoriæ: ad faciendam invidiam accedentibus miraculis, quibus reconciliandi ſui fidem in ſe roborabat, deceptus antiquus deceptor, pœnam peccati, mortem ſcilicet atrociſſimam ei inflixit qui nullo peccato erat obnoxius. Siquidem (*A*) adversùs Dominum poſt ternam illam confuſionem, non jam ſerpentina calliditate, ſed crudelitate uſus eſt leonina, uſque ad contumelias, ad flagella, ad alaphas, ad mortem, & mortem Crucis. Verumtamen (*b*) dolebat venenati ſerpentis aſtutia exaltatum in deſerto ſerpentem æneum, cujus intuitu ſanarentur vulnera quæ inflixit. Alioquin quonam alio inſtigante miſiſſe credimus uxorem Pilati ad ipſum dicentem: Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum? Timebat ergo jam tunc, ſed poſtea maximè virtute Crucis enervari ſe ſentiens inimicus, ſerâ ducebatur pœnitentiâ: & quos inſtigavit ad crucifigendum, inſtigavit ad ſuadendum ut de Cruce deſcenderet. Vnde, Si Rex Iſrael eſt, inquiunt, deſcendat de Cruce, & credimus ei. Hæc planè ſerpentis aſtutia: hæc adinventio nequitiæ ſpiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis: Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael: & noverat, quantùm pro ſalute illius populi

y Ser. fer. 4. Hebd. Sanctæ num. 10. z *Lib. 2. de amore* Dei *cap. 12. num. 37. tom. 5. pag. 519.* A *Serm. 14. ſuper Pſalm. 90. num. 8.* b *Ser. 1. in die Paſchæ num. 3.*

puli zelum gerere videretur: propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum, suggerebat, ut diceret: Descendat, & credimus ei. Itaque (*c*) propter istam rationem desponsata est MARIA Joseph. Diabolus quippè (*d*) eam nec post conceptionem agnovit, Joseph utique desponsatione deceptus. Sanè etenim reprobi spiritus etsi destituti sunt participatione gratiæ spiritualis, non tamen vivacitate industriæ naturalis.

3. Et quanquàm (*e*) Deus illud tam magnificum opus, nostræ videlicet reparationis aliter quomodo vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potiùs modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodùm virum per fœminam vicit: ità priùs à fœmina Virgine seduceretur, & post à viro Christo apertè debellaretur. Vehementer quidem (*f*) nobis vir unus, & mulier una nocuêre, sed gratias Deo: per unum nihilominus virum, & mulierem unam omnia restaurantur. Et quidem sufficere poterat Christus (siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est) sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Cungruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non fregit, sed utiliùs omninò refecit: ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in MARIAM. Crudelis Eva (*g*) per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit. Sed fidelis MARIA, quæ salutis antidotum & Viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis: hæc propitiationis. Illa suggessit prævaricationem: hæc injecit redemptionem. Missus est (*h*) coluber tortuosus à Diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret, ut eadem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat:

c *Serm.2. super miss. num.15.* d *Tract. ad Hugon. cap.5. nu.21.* e *Serm.2. sup. missus num.13.* f *Serm.1. de Virg. Deip. num.1.* g *Ibidem num.2.* h *Serm. 2. in die Pent. num.3.*

rat. Intuere ò homo *(l)* consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis, cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium universum contulit in MARIAM. Vt quid hoc? *Primò*: ut excusaretur Eva per Filiam MARIAM, & querela Viri adversùs fœminam deinceps sopiretur. Secundò: *(k)* ut de plenidine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam: ut non sit qui se abscondat à calore eius. Si ità *(l)* de manu fœminæ pendebat & nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria: fortis omninò necessè erat, ut provideretur mulier, quæ ad tantum opus posset esse idonea: nempe ut diabolus qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam: & post *(m)* à Viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam, spiritualem vincere malitiam, quo non solùm attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter. Attingit autem à fine usque ad finem, id est, à Cœlo vsq; ad Infernum. Si ascendero (inquit Dauid) in Cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Vtrobique verò fortiter, quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia cœlestia scilicet & terrena disponeret, quatenus & illinc deiiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hìc debellaturus invidum, nobis priùs suæ humilitatis & mansuetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret: sicquè mirabili fieret moderamine Sapientiæ, ut & suis suavis, & hostibus fortis appareret. Itaque *(n)* propter istam rationem desponsata est MARIA Joseph, vel potiùs (sicut ponit Evangelista) Viro, cui nomen erat Joseph. Virum nominat, nonq uia maritus, sed quòd homo virtutis erat. Vel potiùs quia, juxta alium Evangelistam Matthæum, non Vir sim-

l Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6. k *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 2.* l *Serm. 2. sup. missus num. 5.* m *Ibidem num. 13.* n *Ibidem num. 15.*

ſimpliciter, ſed Vir ejus dictus eſt: meritò appellatur quod neceſſariè putatur. Debuit ergo Vir ejus appellari, quia neceſsè fuit & putari: ſicut & pater Salvatoris non quidem eſſe, ſed dici meruit, ut putaretur eſſe, dicente hoc ipſo Evangeliſta: Et ipſe JESUS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph. Nec Vir ergo Matris, nec filii pater extitit, quamvis certa (ut dictum eſt) & neceſſaria diſpenſatione utrumque ad tempus & appellatus ſit & putatus.

4. Quis & qualis *(o)* homo fuerit iſte homo Joſeph, conjice ex hac appellatione, qua (licet diſpenſatoria) meruit honorari à Deo, ut pater Dei & dictus & creditus ſit. Coniice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſius iſtum non ſolùm vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum & gratiam. Siquidem ille Joſeph fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Chriſti venditionem præfiguravit: Iſte Joſeph Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægyptum portavit. Ille Domino ſuo fidem ſervans, Dominæ noluit commiſceri: Iſte Dominam ſuam Domini ſui Matrem Virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum: Iſti datum eſt conſcium fieri atque participem cœleſtium Sacramentorum. Ille frumenta ſervavit non ſibi, ſed omni populo: Iſte panem vivum è cœlo ſervandum accepit tàm ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iſte Joſeph, cui Mater deſponſata eſt Salvatoris. Fidelis inquam ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium: ſolum denique in terris magni conſilii coadiutorem fideliſſimum. Ad Joſeph *(p)* veniens Angelus non ſolùm nomen JESU protulit, ſed & cauſam ejus interpretans edocuit, dicens: Et vocabis nomen ejus JESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et *(q)* Invenietis (inquit Angelus ad paſtores) infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et poſt pauca: venerunt (ait Evangeliſta) feſti-

o *Ibidem num.16.* p *Ser.1.in Epiph.num.3.* q *Ser.4.in Nat.Dom.num.2.*

festinantes, & invenerunt MARIAM & Joseph, & Infantem in præsepio. Invenerunt ergo MARIAM & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam prætendit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum (cujus laus est in Evangelio) non incongruè designatur. Templi Dominum *(r)* in templum Domini Virgo Mater inducit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed ejus Filium dilectum, in quo ei benè complacuit. Fuit *(s)* in oblatione illa Joseph Sponsus Matris Domini, cujus filius putabatur, fuit & ipsa Virgo Mater, & puer JESUS qui offerebatur. Hic est Joseph *(t)* locum quidem obtinens Sponsi, re autem vera seruus & dispensator: qui sanè pater vocatur, magis autem nutritius est. Joseph *(u)* in humero portavit JESUM, in Ægyptum scilicet iens, & indè rediens. Egregius planè *(x)* titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi: nempe cui servire regnare est: gestare hunc non onerari est, sed ornari. An verò timendus ei aut luporum incursus, aut raptorum incursus, vel præcipitium seu periculum aliquod sub tanto præside metuendum? Felix qui sic tulerit Christum. Non erat omninò quòd timeret, ne in via aliquod offendiculū pateretur, vel sub illa tali sarcina deficere posset in via. Joseph *(y)* cui fuerat desponsata Mater Domini, cùm esset justus, erat tamen pauper, itaut victum & vestitum artificio quæreret. Certè faber fuisse legitur. Vnde *(z)* hominis fabri filius, fabricator hominis putabatur. Et *(A)* erat, inquit Evangelista, subditus illis. Quis quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat MARIÆ. Nec tantùm MARIÆ, sed etiam Joseph propter MARIAM. Nam *(b)* cùm remansisset JESUS in Hierusalem, & dixisset in his quæ Patris sui erant, oportere se esse. Non acquiescentibus parentibus ejus, sequi illos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabrum & fœminam.

5. Huc accedit *(c)* quòd Joseph dicitur fuisse de domo David.

 Verè

r *Ser. 1. in Purif. B. M. n. 3.* s *Ser. 3. in Purif. B. M. n. 3.* t *Ser. 1. in 4. circumc. Dom. n. 4.* u *Ser. 51. de diuers. n. 1.* x *Serm. 7. super psal. 90. n. 4.* y *Lib. de* S[illegible] *de modo viven. cap. 46. n. 111.* z *Serm. 1. in die Pascha n. 10.* A *Serm. 1. super missus n. 7.* b *Ser. 19. in Cant. n. 9.* c *Serm. 2. super missus num. 16.*

Verè enim de domo David, verè de regia ſtirpe deſcendit Vir iſte Joſeph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius David non degenerans à patre ſuo David. Prorsùs, inquam, filius David non tantùm carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione, quem tanquam alterum David, Dominus invenit ſecundùm cor ſuum, cui tutò committeret ſecretiſſimu atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum: cui tanquam alteri David, incerta & occulta Sapientiæ ſuæ manifeſtavit, & dedit illi non ignarum eſſe myſterii, quod nemo principum hujus ſeculi agnovit. Non tantùm autem Joſeph, ſed & MARIA deſcendiſſe credenda eſt de domo David. Alioquin non eſſet deſponſata viro de domo David, ſi non eſſet & ipſa de domo David. Planè (*d*) ex Regibus orta, ex ſemine Abrahæ, generoſa ex ſtirpe David. Ambo igitur (*e*) erant de domo David: ſed in altera completa eſt veritas, quam juravit Dominus David: altero tantùm (ſcilicet Joſeph) conſcio & teſte adimpletæ promiſſionis. Poſt peccatum Adæ (*f*) ac illius diluvii vaſtationem ſolemnem, electa eſt juſtorum infinita propè pluralitas, cum quibùs Deus facie ad faciem locutus fuiſſe dignoſcitur. Transfertur Enoch, eligitur Noe, vocatur Abraham, Iſaac diligitur, Jacob Deum facie ad faciem contemplatur, Joſeph ſalvator mundi vocatur. Sed quod (*g*) multi Reges & Prophetæ cùm vellent videre, non viderunt; audire, non audierunt: Joſepho Sponſo MARIÆ datum eſt non ſolùm videre & audire: ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & nutrire, & cuſtodire. Moyſes aſſumitur (*h*) in ducem populo Judæorum, Pharaoni in Deum conſtituitur: facit Deus per ipſum in Ægypto magnalia, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Aſcendit Moyſes in caliginem, in qua erat Deus, & datur ei in monte multiplex præceptorum auctoritas: loquitur cum Deo quaſi homo ad vicinum ſuum: non eſt occultatum à Moyſe quod fecit Dominus in occulto, & glorioſum nomen Adonai (quod omnibus fuerat obvelatum) ei revelatur. Sed quod multi (*i*) Reges & Prophetæ cùm vellent videre, non viderunt; audire, non audierunt: Joſepho Sponſo MARIÆ datum eſt non ſolùm videre,

d *Serm.1.de Virg. Deip.n.8.* e *Sec.2.ſuper miſſus num.16.* f *Serm.de Nativ.s.Ioan. Bapt.num.7.tom.6.pag.746.* g *Serm.2.ſuper miſſus num.16.* h *Serm.de Nat.s.Ioan. Bapt.dicto num.7.* i *Serm.2.ſup.miſſus n.16.*

dere, & audire: ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & nutrire, & cuſtodire. Aſtat (*k*) Aaron ſummus Sacerdos potentis virgæ geſtarius, unctus & delibatus cœleſtium Sacrariorum unctione: ſuccedit Joſue, & omnis illa Judicum multitudo. Sed quod (*l*) multi Reges & Prophetæ cùm vellent videre, non viderunt; audire, non audierunt: Joſepho Sponſo MARIÆ datum eſt non ſolùm videre, & audire: ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & nutrire, & cuſtodire. Invenit Dominus (*m*) David virum ſanctum ſecundùm cor ſuum: Salamonem filium ejus ſapientiâ cumulat ſingulari: & omnem illum prophetalem Chorum Spiritus Sanctus ordinat & infundit. Claudit Helias Cœlum annis tribus, & menſibus ſex. Heliſæus etiam mortuum vitæ reſtituit. Sed quod (*n*) multi Reges & Prophetæ cùm vellent videre, non viderunt; audire, non audierunt: Joſepho Sponſo MARIÆ datum eſt non ſolùm videre, & audire: ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & nutrire, & cuſtodire. Ergo ne(*o*) credendum eſt quod illa Virgo erit, quæ lactat puerum? Cui maritus continuus comes eſt, in convivio, in thalamo? Qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & ſolus cum ſola tam longinquam, tam ſecretam conficit viam? Quomodo potuit hoc perſuaderi generi humano, univerſo Orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter perſuaſum eſt, ut id mihi credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & Virgines, ſenes cum junioribus elegerunt potiùs mille mortibus mori, quàm ad momentum ab iſta fide deficere.

CAPUT VII.

De Salutatione MARIAE, quâ fuit honorata ab Angelo Gabriele.

Et ingreſſus ad eam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. *Luc.* 1.

k *Serm. de Nat. s. Io. Bapt. d. n. 7.* l *Ser. 2. ſup. miſſus n. 16.* m *Ser. de Nat. s. Ioan. Bap. d. n. 7.* n *Ser. 2. ſup. miſſus n. 16.* o *Ser. 3. in vig. Nat. n. 9.*

1. Pudica Virgo vacans contemplationi in pudico cubiculo, salutationis Angelicæ honoratur obsequio. 2. Quomodo Angelus ingressus est clausum ejus cubiculum? Traditur regula volentibus vacare meditationi in secreto. 3. Verba salutationis, Ave gratia plena, *exponuntur. 4. Quomodo Deum fuisse cum MARIA perhibeat Angelus?*

1. AIT Evangelista: (*p*) Et ingressus Angelus ad eam (haud dubium quin ad MARIAM) dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Anima mea (*q*) liquefacta est in sermone isto: sed & spiritus meus in præcordiis meis æstuat, jucunditatem hanc & exultationem solito vobis desiderio eructare festinans. Quis mihi (*r*) dignè hujus sermonis reserabit Sacramentum? Quis mihi dignè explicet tam insolitæ salutationis exordium? Est enim (*s*) tam suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria. Ex eo autem quòd suaviter sonat, mulcet affectum, & de sensuum ubertate mentem impinguat, & in Sanctam Sanctorum, Advocatam scilicet nostram, dum eam quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitùs inflammat. Oportet enim ut nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus: & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Levemus ergo cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris. Amplectamur (*t*) MARIÆ vestigia, & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe (*u*) ipsa dat omnibus escam gratiæ (qua plena est) in tempore opportuno. Domina, labia mea aperies. Dominus tecum, & tu mecum. Dignare me laudare te, Virgo (*x*) sacrata, Sub tuam protectionem confugio (*y*) ubi virtutem acceperunt infirmi. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Te nostra vox primùm sonet. Et ora solvamus tibi. O magna, (*z*) ò pia, ò multùm amabilis MARIA. Jam in eo (*A*) quòd tam reverenter

p *Serm. 3. super missus n. 1.* q *Ser. 6. in Vig. Nat. Dom. n. 1.* r *Serm. 1. super Sal. Reg. num. 2.* s *Ibidem n. 1. & 2.* t *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 5.* u *Ser. 1. super Sal. Reg. n. 1.* x *Ser. 3. in Purificat. B. M. n. 1.* y *Ser. 1. sup. Sal. Reg. n. 1.* z *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* A *Serm. 1. de Virg. Deip. n. 8.*

ter atque officiosissimè ab Archangelo salutata est (ut jam in regali solio supra omnes cœlestium Ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulominùs adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenùs æquanimiter adorari) excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur. Quidni (*b*) visitet Angelus vitæ sociam? Quidni salutet Civem Sanctorum, & domesticam Dei? Angelica planè vita est Virginitas. Novam (*c*) Virgo professa virtutem, novę salutationis honoratur obsequio. Ait enim Evangelista: (*d*) Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Quò ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Nec enim (*e*) est fatua Virgo, cui non modò oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo disposuit, conversatione pariter & oratione ascendens. Sicut (*f*) scriptum est: oratio justi penetrat Cœlos. Et quis justus, si non MARIA justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit Majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Illius ergo (*g*) desiderium flagrans, & piæ expectationis affectum spirat mihi vox ista: osculetur me osculo oris sui. Senserat nimirum in spiritu quanta foret gratia diffusa in labiis illis: propterea loquens in desiderio animæ ajebat: Osculetur me osculo oris sui: nimirum omnimodis cupiens tantæ suavitatis participio non fraudari. Dicebat enim: Quò mihi ora hæc seminiverbia Prophetarum? Ipse potiùs speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio jam Moysen, impeditioris siquidem linguæ factus est mihi. Esajæ labia immunda sunt. Hieremias nescit loqui, quia puer est: & Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis jam aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aëris: sed ipse me osculetur osculo oris sui, cujus gratiosa præsentia, & admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Quem (*h*) unxit Pater oleo lætitiæ præ consor-

b *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 8.* c *Serm. 2. in Annunciat. B. M. num. 1.* d *Serm. 3. super missus num. 1.* e *Serm 2. de Virg. Deip. num. 9.* f *Ibidem num. 5.* g *Serm. 2. in Cant. num. 1.* h *Ibidem num. 2.*

ſortibus ſuis, nunquid non ex ipſo mihi uberior infunditur gratia, ſi tamen dignetur me oſculari oſculo oris ſui? Cujus utique ſermo vivus & efficax oſculum mihi eſt, non quidem conjunctio labiorum (quæ interdum pacem mentitur animarum) ſed planè infuſio gaudiorum, revelatio ſecretorum, mira quædam & quodammodò indiſcreta commixtio ſuperni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo, unus ſpiritus eſt. Meritò proinde viſiones & ſomnia non recipio, figuras & ænigmata nolo: ipſas quoque Angelicas faſtidio ſpecies. Quippè & ipſos longè ſuperat Jesus meus ſpecie & pulchritudine ſua. Non ergo alium ſive Angelum ſive hominem, ſed ipſum peto oſculari me oſculo oris ſui. Nec ſanè præſumo me oſculatum iri ab ore ipſius (eſt enim hoc aſſumpti hominis unicæ felicitatis & prærogativæ ſingularis) ſed humiliùs ab oſculo oris ſui peto me oſculari: quod commune utique eſt multorum, qui dicere poſſunt: Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus. Intendite. Sit os oſculans Verbum aſſumens, oſculatum Caro quę aſſumitur. Oſculum verò quod pariter ab oſculante & oſculato conficitur, perſona ipſa ex utroque cõpacta, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jesus. Vita æterna (i) fons indeficiens, qui univerſam irrigat ſuperficiem paradiſi. Non modò irrigat, ſed inebriat, fons hortorum puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano: & fluminis impetus lætificat Civitatem Dei. Quis verò fons vitæ, niſi Chriſtus Dominus. Derivatus eſt fons uſq; ad nos, in plateis derivatæ ſunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Deſcendit per aquæductum vena illa cœleſtis, non tamen fontis exhibens copiam, ſed ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundens, aliis quidem plùs, aliis quidem minùs. Plenus equidem aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſam. Advertiſtis jam niſallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens nobis edidit illum, ſed non prout eſt, prout capere poteramus. Noſtis etiam cui dictum ſit: Ave gratia plena. Sed (k) quomodo noſter hic aquæductus fontem illum attigit tam ſublimem? Quomodo putas, niſi vehementia deſiderii,

i Serm. 2. de Virg. Deip. num. 3. & 4. k Ibidem num. 5.

rii? nisi fervore devotionis? nisi puritate orationis?

2. Solent Angeli *(l)* astare orantibus, & delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantùm placuerint in conspe. Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam, eam reverenter salutavit. Nec fuit difficilè Angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Verginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, ut nec feris ferreis ejus arceatur ingressus, quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt: cuncta æquè corpora quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Cæterum *(m)* Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint sicut hominibus sua, & sint animalia sicut homines, immortalia tamen, quod non dum sunt homines? porrò an ipsa corpora mutent & versent in forma & specie qua volunt quando apparere volunt, densantes vel solidantes ea quantùm volunt, cùm tamen in sui veritate præ subtilitate naturæ atque substantiæ suæ impalpabilia sint, & nostris omnino inattingibilia visibus? an verò simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cùm opus est sumant, rursùmquè expleto opere ponant in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda? Nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse: nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam: & nescire me fateor. Sed & vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. Suspicandum autem *(n)* non est, quòd apertum invenerit Angelus ostiolum Virginis: cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: nè vel orantis perturbaretur silentiū, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illâ horâ suū super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus: sed nulli hominum facilis patebat accessus. O sancta anima *(o)* sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge

l *Serm. 3. super missus num. 1.* m *Serm. 5. in Cant. num. 6.* n *Serm. 3. super missus n. 1.* o *Serm. 40. in Cant. num. 5.*

ge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Tenes etiam in hoc & mandatum Sponsi Jesu & formam: Tu, inquit, cùm oraveris, intrà in cubiculum tuum, & clauso ostio ora. Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat: non modò se abscondens à turbis, sed nec ullum quidem discipulorum, nec ullum domesticorum admittens. Denique tres secùm intimos sibi adduxerat, cùm ultrò properaret ad mortem, auulsus est & ab ipsis orare volens. Ergo & tu fac similiter, quando orare volueris. Quærit (p) Sponsa Verbum verecundè quidem, quia in lectulo, quia per noctes: sed hæc verecundia habet gloriam, non peccatum. Quærit hoc ad purificationem conscientiæ: quærit ad testimonium, ut possit dicere: Gloria mea hæc est testimonium conscientiæ meæ. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Verecundia tibi si advertis, & loco signatur & tempore. Quid tam amicum verecundo animo quàm secretum? Porrò secretum & nox, & lectulus habet. Denique orare volentes jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratia. Id quidem ad cautelam: nè forràm orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ quàm proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet quòd signanter & ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris Filius & minister. Necmodò locum (q) sed & tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusquè, maximè autem cùm profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc planè liberior puriorquè exit oratio: Consurge in nocte, inquit, in principio vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Quàm secura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, Sanctoque Angelo qui illam superno Altari suscipit præsentandam. Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore. Quàm serena & placida nullo interturbata clamore vel strepitu. Quàm denique munda atque sin-

p *Serm. 86. in Cant. num. 2.* q *Ibidem num. 3.*

sincera nullo respersa pulvere terrenæ solicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata. Propter hoc ergo sponsa non minùs verecundè quàm cautè & lectuli secretum petebat & noctis, orare, hoc est Verbum quærere volens. Pudibunda (r) fuit MARIA: Cui nimirum (s) in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: nè vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Obsecro vos, filioli, (t) æmulamini hanc virtutem: si MARIAM diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus. Nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximequè Monachum nihil adeò decet.

3. Ingressus ergo (u) Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Legimus in Actibus Apostolorum & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto, sed longè dissimiliter à MARIA. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in MARIA: nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodò MARIA. Ave, inquit, gratia plenâ, Dominus tecum. Quid mirum si gratiâ plena erat, cum qua Dominus erat. Quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Est sagitta electa (x) amor CHRISTI, quæ MARIÆ animam non modò confixit, sed etiam pertransixit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret: sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratiâ plena. Aut certè pertransivit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa acciperemus: & fieret mater charitatis, cujus Pater est charitas Deus. Spiritus Sanctus (y) cùm sit dator gratiarum, in MARIA fuit per multam gratiam, quæ ejus mentem repleverat. Ergo tu MARIA (z) Genitrix Dei sola totâ Spiritus Sancti gratiam possedisti, quâ alii Sancti habuêre per partes. Te enim Angelus Gabriel pronunciavit gratiâ plenam. Nihil enim est (A) virtutis quod ex te non resplendeat: & quidquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti. Mensa (b) propositionis duodecim panum numerum duodenarii

r *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 10.* s *Serm. 3. super missus num. 1.* t *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 11.* u *Serm. 3. super missus num. 2.* x *Serm. 29. in Cant. num. 8.* y *Serm. 4. super missus num. 3.* z *Serm. 4. super sal. Reg. num. 22.* A *Ibidem num. 25.* b *Ibidem num. 20*

narii dedicans. Duodecim panes, duodecim ſunt prærogatiuæ gratiarum, in quibus gratiâ repleta es, & Dominus tecum. Porrò nè de corde meo videar prophetare, tuas has prærogativas Paulus Apoſtolus & nominat pariter & enumerat, dicens: Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Panes certè admodùm ſplendidi ſapidiquè: Splendidi in ſua natura, ſapidi in animorum experientia. Denique ſummæ ſpirituales deliciæ hæ ſunt. Plùs quippè his confirmatur & delectatur animus, quàm ullis carnalibus deliciis corpus. Neque verò proveniũt homini à ſeipſo, immò fructus ſunt Spiritus Sancti. Proinde ò Virgo Beata, poſtquam nuncius cœleſtis te prædictâ gratiarum prærogativâ perhibuit plenam, mox gratiarum cauſam ſubjungens, inquit: Dominus tecum. Dominus autem Spiritus Sanctus eſt. In qua ſola (c) quæſitam in omnibus requiem invenit, atque in tuum ſinum omnes theſauros ſuos abſque menſura transfudit. Plena es gratiarum (d) plena rore cœleſti, innixa ſuper dilectum, deliciis affluens. Quæ quidem deliciæ mentis ſunt, (e) non ventris: animi, non corporis: ſpiritus, non carnis: rationis, non ſenſualitatis: interioris, non exterioris hominis. Quidni delicias dixerim (f) Virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis. Tu ſanctorum (g) areola aromatum à cœleſti conſita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernas, quorum odore ſuaviſſimo totam domum Domini reples ò Maria. Hinc (h) in tuis laudibus legitur: Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu ſola ſupergreſſa es univerſas. Meritò denique (i) Cantor ille divinus in tuiipſius admiratione præcinens, ajebat: Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Aſcendiſti planè ſuper omne humanum genus: aſcendiſti uſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcen-

c *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2.* d *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 16.* e *Serm. 91. de div. num. 5.* f *Serm. 4. in Aſſumpt. B. M. num. 1.* g *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 4.* h *Serm. de B. M. Deip. num. 2. tom. 6. pag. 760.* i *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 9.*

ſcendiſti, & cœleſtem omnem ſupergreſſa es creaturam. Nimirum ſupra Angelos haurias neceſſe eſt, quam refundas hominibus aquam vivam. Quis nimirùm vacuam dixerit (k) quã ſalutat Angelus gratiâ plenam? Neque hoc ſolùm: ſed adhuc quoque in eam ſuperventurum aſſerit Spiritum Sanctum. Ad quid putas, niſi ut etiam ſuperimpleat eam? Ad quid, niſi ut adveniente jam Spiritu plena, ſibi eodem ſuperveniente, nobis quoque ſuperplena & ſuperfluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, chariſmata ſcilicet gratiarum: ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Altiùs intueamini (l) quanto devotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: ut proindè ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, ſed & perflaverit ſuperveniens Auſter ille divinus, ut undique fluant & effluant aromata ejus, chariſmata ſcilicet gratiarum. Quia nihil (m) nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. Deniq; benè, inquit, (n) gratiâ plena, quæ & Virginitatis gratiã tenuit, & inſuper fœcunditatis gloriam acquiſivit. Benè gratia plenâ (o) quia Deo, & Angelis, & hominibus grata. Hominibus per fœcunditatem: Angelis per Virginitatem: Deo per humilitatem.

4. Ave (inquit Angelus) gratia plena, Dominus tecum. (p) Non dixit, Dominus in te, ſed, Dominus tecum. Deus enim (qui ubique æqualiter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quàm in cæteris: & ipſarum aliter in bonis, quàm in malis eſt per efficaciam) ita ſanè eſt in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipſis. A rationalibus autem omnibus quidem capi poteſt per cognitionem, ſed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In ſolis ergo bonis Deus ita eſt, ut etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis. Nam dùm ſuas voluntates ità juſtitiæ ſubdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipſi volunt: per hoc quòd ab ejus voluntate non diſſentiunt,

 Deum

k *Serm. 2. in Aſſumption. B. M. num. 2.* l *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* m *Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 10.* n *Serm. 3. ſuper miſſus num. 3.* o *Serm. 47. de diverſ.* p *Serm. 3. ſuper miſſus num. 4.*

Deum sibi specialiter jungunt. In quo? (q) In charitate. Ait enim Paulus Apostolus: Estote imitatores mei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione sicut & CHRISTUS dilexit vos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundiùs? quid optabiliùs charitate? qua fit ut humano magisterio non contenta, per temet ò anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris consultesquè de omni re, quantùm intellectu capax, tantùm audax desiderio. Verè spiritualis sanctiquè connubii contractus est iste. Parùm dixi contractus, complexus est. Complexus planè, ubi idem velle, & nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Nec verendum, nè disparitas personarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret sanè qui horret, qui stupet, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit & captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud novit nihil. Ipse qui honori meritò, meritò stupori & miraculo est, amari tamen plus amat. Sponsus & sponsa sunt. Adde quòd iste (r) Sponsus non modò amans, sed amor est. Nunquid honor? Contendat quis esse, ego non legi. Legi autem quia Deus charitas est, & non quia honor est, vel dignitas legi: non quia honorem non vult Deus, qui ait: Si ego Pater, ubi est honor meus? Verùm id Pater. Sed si Sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet: Si ego Sponsus, ubi est amor meus? Nam & antè ità locutus est: Si ego Dominus, ubi est timor meus? Exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Quid in his præstat, qui eminet? Nempe amor. Absque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor & gloria: sed horum neutrum acceptabit Deus, si

melle

q *Serm. 83. in Cant. num. 2. & 3.* r *Ibidem num. 4.*

melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo: amo, ut amem. Felix anima (s) quæ meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis. Felix, cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud, quàm amor sanctus & castus, amor suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ sinceritatis, amor mutuus, intimus, validusquè, qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Unus spiritus dicitur (t) & est cum Deo adhærens Deo: nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confusio naturarũ, sed voluntatum consensio. Propter hanc quoque multa corda unum, & multæ animæ una dicuntur, sicut scriptum est: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Et hæc unio (u) ipsis communio voluntatum, & consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaveris. Vox experti: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Bonum planè si ex omni parte adhæseris. Quis est qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in se traxit vicissim diligendo? Ergo cùm undique inhærent sibi homo & Deus, inhærent autem undique intima mutuaque dilectione in viscerati alterutrum sibi: per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubiè dixerim. Sed cùm ita (x) sit Deus cũ omnibus Sanctis, specialiter tamen cum MARIA, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem conjungeret, ac si de sua Virginisquè substantia unum CHRISTUM efficeret, vel potiùs unus CHRISTUS fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque Filius. Plenitudo divinitatis (y) in MARIA, sicut & in multis Sanctorum spiritualiter habitabat. In hac enim MARIA (z) habitavit Pater & Filius, ut creator in mundo, imperator in regno, paterfamilias in domo, Pontifex in templo, spon-

---

s *Ibidem num.6.* t *Serm.71.in Cant.n.7.* u *Ibid.n.11.* x *Serm.3.super missus n.4.* y *Serm.4.super missus num.3.* z *Serm.de B.M.Deip.num.2.tom.6.pag.761.*

ſponſus in thalamo. Priùs enim Altiſſimus ſibi eam quaſi mundum ſpecialiſſimum creavit. Et Spiritus Sanctus(*A*)cum ſit dator gratiarum, in ea fuit per multam gratiam, quæ ejus mentem repleverat. Hæc dicens (*b*) opera vel dona Trinitatis non divido, ſed fideliter inſeparabilia aſſero. Sicut enim in eſſentia unitas, ità in operatione identitas. Quod autem (*c*) in Beata MARIA Sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præſentiam Majeſtatis, ubi ſolus Filius erat per ſuſceptionem humanitatis) teſtatur nuncius cœleſtis, qui ei arcana myſteria referans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum. Non tantùm (*d*) Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: ſed & Dominus Spiritus Sanctus tecum de quo concipies: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, qui Filium ſuum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentũ, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat uterum. Bene (*e*) Spiritui Sancto in te complacuit ò MARIA, cùm divinis adeo myſteriis uterum tuũ conſecrare dignatus eſt. Ipſe enim ſanctiſſimam animam tuam totam inflammavit, ſeipſo atque ſplendore divinæ Majeſtatis implevit. Fecitque ut Deum & hominem clauſa conciperes, clauſa pareres, & poſt partum Virgo permaneres. Et (*f*) poſt pauca ait Angelus: Spiritus Sanctus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Ecce habes Dominum, habes Virtutem Altiſſimi, habes Spiritum Sanctum. Neque enim poteſt eſſe aut Pater ſine Filio, aut ſine Patre Filius, aut ſine utroque procedens ab utroque Spiritus Sanctus, ipſo Filio dicente: Ego in Patre, & Pater in me eſt. Et iterum: Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Manifeſtum eſt fuiſſe in corde Virginis fidẽ Sanctæ Trinitatis. Merito ergo (*g*) gratia præmittitur, cùm ab Angelo Virgo ſalutatur: Ave, inquit, gratiâ plenâ. Etenim cujus ſit, & quanta ſit ipſa gratia, ſubjungit dicens: Dominus tecum. Quam amaverat (*b*) quam ſibi elegerat, cujus decorem concupierat.

CA-

A *Serm. 4. ſuper miſſus num. 3.* b *Serm. de B. M. Deip. num. 9. tom. 6. pag. 76.* c *Serm. 52. de div. num. 2.* d *Serm. 3. ſuper miſſus num. 4.* e *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 2.* f *Serm. 52. de div. num. 2.* g *Serm. 87. de diver. num. 3.* h *Serm. 3. ſuper miſſus nu. 2.*

CAPUT VIII.

De singulari benedictione MARIAE, quæ protulit nobis benedictum fructum ventris sui JESUM.

Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

1. *Novam nova Mater Virgo accepit benedictionem.* 2. *Ut antiquam evaderet mulierum maledictionem.* 3. *Ipsa est, quæ nobis protulit fructum salutis, panem Angelorum quem manducet homo.* 4. *Fructus ventris ejus est JESUS benedictus, qui in odore, sapore, & pulchritudine: odorandus, gustandus, & prospiciendus proponitur amantibus JESUM.*

1. BEnedicta tu in mulieribus. (*i*) Libet adjungere quod Elizabeth (cujus hæc verba sunt) prosecuta subjunxit: Et benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Tu (*k*) electa ex millibus fœminarum. Nec noviter (*l*) nec fortuitu inventa, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita, & sibi præparata. Longè antè (*m*) patribus cœlitùs repromissa, mysticis præfigurata miraculis, oraculis prænunciata propheticis. Præelecta (*n*) per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum. Antè sancta (*o*) quàm nata. Sancta (*p*) & immaculata huic mundo progenita. De qua immaculata (*q*) immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Te (*r*) benedixit Dominus. Te inquam benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam processerat maledicta. Ex hoc (*s*) beatam te dicent omnes generationes. Angelicarum namque (*t*) generationum numerus per

i *Serm.3.super missus num.5.* k *Serm.3.de Virg.Deip.num.5.* l *Serm.2.super missus num.4.* m *Serm.1.de Virg.Deip.num.8.* n *Serm.de B.M.Deip.n.11.tom.6. pag.766.* o *Epist.174.num.5* p *Serm.4.super sal.Reg.num.8.* q *Serm.2.super missus num.1.* r *Serm.4.super sal.Reg.num.22.* s *Serm.2.in die Pentecost.num.4.* t *Serm.super magnificat num.3.tom.6.pag.855.*

per generatum reintegrabitur: & hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum fructum ventris tui ad æternam benedictionem regenerabitur. Inter has & super has omnes generationes, beatam te dicent ipsæ generationes. Tu es illa promissa *(u)* illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat, cùm dicebat: Expectabo salutare tuum Domine. In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster antè sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. In utero videlicet *(x)* Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur: & qui in inferno, & eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit. Verè benedictus fructus ventris tui *(y)* in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentiùs à cæteris. Meritò proinde *(z)* Cantor ille divinus in tuiipsius admiratione præcinens, ajebat: Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens. Ascendisti planè supra omne humanum genus, ascēdisti usque ad Angelos, sed & ipsos quoque trascendisti, & cœlestem omnem supergressa es creaturam. Nimirum supra Angelos haurias necesse est, quam refundas hominibus aquam vivam. Propterea *(A)* benedicta tu quidem, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est (ut ait Apostolus) super omnia benedictus Deus. Dicitur benedictus vir, benedictus panis; benedicta

u *Serm. 4. super missus num. 8.* x *Serm. 2. in die Pent. num. 4.* y *Serm. 3. super missus num. 5.* z *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 9.* A *Serm. 3. super missus num. 5.*

cta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur: sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cùm sit super omnia benedictus Deus in sæcula.

2. Benedictus ergo *(b)* fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, quâ dictum est: In tristitia paries filios: nihilominus & illam, quâ secutum est: Maledicta sterilis in Israel: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, & grave jugum super omnes filias Evæ. Et si pariunt, cruciantur: & si non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, malediceris. Quid eliges Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undique: meliùs est tamen mihi maledictū incurrere, & castam manere, quàm priùs quidem concipere per concupiscentiam, quòd meritò post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc verò peccatum simul & cruciatum. Denique hæc maledictio quid est, quàm hominum exprobratio? Neque ob aliud sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobrio & contemptui sit habenda, tanquam inutilis & infructuosa, & hoc in Israel tantùm. Mihi autem pro minimo est, quòd hominibus displiceo, dum me possim Virginem castam exhibere Christo. Nec fefellit *(c)* eam intentio, quando & Christum sibi filium vendicavit, nec propositum pudicitiæ violavit. Ecce *(d)* maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate compensatur. Meritò proinde *(e)* & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: ut longè gloriosior fiat & Virginitas ex fœcunditate, & ex Virginitate fœcunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur. Magnum enim virginem esse, sed Virginem Matrem esse longè ampliùs per omnem modum. Vnum est *(f)* in quo nec

 pri-

b *Ibidem nu.7.* c *Ibidem nu.3.* d *Ibidem nu.7.* e *Serm.1. de Virg. Deip. nu.9.*
f *Serm.4. in Assumpt. B.V.M. num.5.*

primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi MARIA. Optimam planè: quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas Virginalis: prorsùs autem optima est fœcunditas Virginea, seu fœcunda Virginitas. MARIÆ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Jure etiam *(g)* illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimùm cœteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, MARIA tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed & ascendit Bethleem imminente jam partu, portans preciosum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sic & in partu quàm lucidum est, quòd nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena. O nova *(h)* verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ: peperit enim filium sine dolore. Mutata est inquam maledictio in benedictionem, & sicut prædictum est per Angelum Gabrielem: Benedicta tu in mulieribus. O beata, sola inter mulieres benedicta, & non maledicta: sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Et si adhuc *(i)* malediceris ab Israel secundùm carnem, non quia sterilem vident, sed quia fœcundam invident: memento quòd & Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam Matrem benedixit in Cœlis: sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus terræ meritò beata prædicaris. Nec mirum *(k)* si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundùm quod Esajas ait: Quia verè languores nostros ipse tulit. Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor. Utrumque Christus tollere venit, quando (ut cœtera sileam) morte & morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque ut fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis, priùs Matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conce-

ptu

g *Serm. 1. de Virg. Deip. n. 9.* h *Serm. 4. in Vig. Nat. Dom. nu. 3.* i *Serm. 3. super missus n. 8.* k *Serm 4. in Vig. Nat. Dom. n. 3.*

ptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret. Non solùm (*l*) sine pudore conceptus, & sine dolore partus, sed & Mater est sine corruptione. O verè Nativitas inaudita? Virgo peperit, & post partum inviolata permansit: fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium Matris habens cum Virginitatis honore. Jam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facilè erit ei per quem Mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo. O Nativitas (*m*) illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterii, & in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis! Vtpotè quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem. O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans sed consecrans Virginalis uteri templum! Si (*n*) rerum precia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

3. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus namque (*o*) ventris tui, Incarnatio est Verbi. Singulariter quidem (*p*) fructus ventris tui est, sed ad omninm quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit. Intuere ò homo (*q*) consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium universum contulit in MARIAM. Vt quid hoc? Fortè ut excusaretur Eva per Filiam, & querela viri adversùs fœminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultrà ò Adam: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito: dic potiùs, Mulier, quam dedisti

 mi-

l *Ibid. num. 4* m *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* n *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 9.* o *Ser. 87. de div. n. 3.* p *Ser. 3. in Annunc. B. V. M. n. 8.* q *Serm. 2. de Virg. Deip. n. 6.*

mihi, me cibavit fructu benedicto. Quid (r) dicebas ò Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi? Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempè fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ: & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Crudelis (s) nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis MARIA, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: Illa suggessit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Eva (t) spina fuit, quæ & virum suũ ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. Eva, inquam, spina fuit, MARIA Rosa extitit: Eva spina vulnerando, MARIA Rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem: MARIA Rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Muta (u) ergo ò Adam, iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! O fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Quia (x) tu es vita. Vita verè quæ mortem superbiæ humilis vicisti, & nobis vitam gratiæ impetrasti. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis. O vita, quæ nutris tuos cœlestibus alimentis. Tu (y) protulisti frumentum electorum, quod est etiam Angelorum cibus. O verè (z) lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis. Felix (A) mulier, benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus superveniente igne Sancti Spiritus coctus est panis Angelorum quem manducet

---

r *Serm. 2. sup. missus n. 3.* s *Serm. 1. de Virg. Deip. nu. 2.* t *Serm. de B. M. Deip. n. 10. 10. 6. pag. 765.* u *Serm. 2. sup. missus n. 3.* x *Serm. 5. super Sal. Reg. n. 1.* y *Serm. 4. sup. Sal. Reg. n. 22.* z *Serm. 2. de Adv. Dom. nu. 4.* A *Serm. 2. in Nat. Dom. nu. 4.*

cet homo, panis cor hominis confirmans. O venter desiderabilis *(b)* è quo emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvius, gloriæ præmium! ò venter amabilis & dulcedo animæ! ò elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum: Fructus tuus Domina. Hic certè est fructus beatus à principio sui ortus. Hic est JESUS Dei vivi filius. Hic est Salvator noster Dominus Deus. Proinde offer *(c)* Filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem, hostiam sanctam, Deo placentem. Omninò acceptabit Deus Pater oblationem novam, & preciosissimam hostiã, de qua ipse ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Et *(d)* hunc JESUM benedictum fructũ ventris tui nobis post hoc exiliũ ostende, ut videndo ipsũ habeamus, ipsũ videndo beatitudine repleamur. Tu enim prophetasti, dicens: Ecce enim *(e)* ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O dilatatum cor! quàm perlucidis oculis omnem subitò creaturam in vera beatitudine collocandam simul aspexisti. *Ecce*, inquit, intuentis est hoc verbum, & demonstrantis. Ecce video quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me: quot & quanta bona non mihi soli, sed omnibus generationibus prævenient per me. Beatam me dicent omnes generationes. Beatam me non dicerent, nisi de eadem beatitudine quam habeo, aliquid attingerent. Quomodo eructabit qui non manducat? Beatam me dicent, de cujus bono fructum percipient omnes generationes. Ex meo fructu beatificentur: & cùm omnes beatificentur, omnes tamen beatam singulariter me dicent. Omnes inquam generationes, generationes cœli, generationes terræ: Omnes Angeli, & omnes electi. Meritò autem Dominam beatamquè te dicent omnes generationes: quæ omnibus generationibus veram & æternam beatitudinem genuisti. In hoc exilio *(f)* omne penè genus hominum ab initio usque ad adventum Reginæ cœlorum peregrinari delectabatur, & veritatis patriæ suspiriis nullis seu desiderio recordabatur. Ipsa prima viam aperuit ad pa-

b *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 6.* c *Serm. 3. in Purific. B. M. num. 2.* d *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 6.* e *Serm. super Magnificat num. 3. tom. 6. pag. 855.* f *Serm. 2. super Sal. Reg. num. 10.*

patriam: & veritatem, quæ vera patria eſt, mundo generans dedit omnibus manifeſtam. Meritò (*g*) ſponſa illò ſuſpirat, meritò inhiat loco paſcuæ ſimul & pacis, ſed quietis, ſed ſecuritatis, ſed exultationis, ſed admirationis. Quis non illic vehementer cupiat paſci & propter pacem, & propter adipem, & propter ſatietatem? Nihil ibi formidatur, nihil faſtiditur, nihil deficit. Tuta habitatio, *Paradiſus*: dulce pabulum, *Verbum*: opulenta multa nimis *Æternitas*.

4. Benedictus ergo (*h*) fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in ſapore, benedictus in ſpecie.

Primò. Hujus odoriferi fructus fragrantiam ſentiebat, qui dicebat: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? Necdum (*i*) ſpeciem ſuam ille flos agri induerat, & jam dabat odorem ſuum, quando eum ut hoc præ gaudio exclamaret, præſenſit ſpiritu, corpore marcens Sanctus & ſenex Patriarcha, caligans viſu ſed odoratu ſagax. Nempe Iſaac (*k*) qui Jacob tangens, & Chriſtum ſentiens, Ecce, inquit, odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Cùm hoc dicebat, habebat delicias ſibi, nec cuiquam illas communicabat. Veſtimenti (*l*) fragrantiam ſenſit, ſed veſtiti præſentiam non agnovit: ſoloquè veſtis tanquam floris odore forinſecùs delectatus, quaſi fructus interioris dulcedinem non guſtavit, dum & electi filii ſimul & Sacramenti fraudatus cognitione remanſit. At (*m*) ubi venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret: tunc prorsùs odor ille qui in illo erat, ſeſe ubique ſparſit, adeo ut à finibus terræ ipſum ſentiens clamaret Eccleſia: oleū effuſum nomen tuum: currerentquè adoleſcentulæ in odore olei. Hauri ergo (*n*) toto cordis tui affectu hunc odorem vitis verę, JESU Chriſti Nazareni, & delectare in illo, ſicut in illo Pater cœleſtis delectatus fuit, ut verè dicere potuerit: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Hunc tantum (*o*) ac talem odorem ſi toto cordis olfactu odorare non deſieris,

g *Serm. 33. in Cant. num. 2.* h *Serm. 2. ſuſ. miſſus. num. 6.* i *Serm. 47. in Cant. num. 3.* k *Serm. 60. in Cant. n. 8.* l *Tract. de Exhor. ad milit. cap. 7.* m *Serm. 60 in Cant. n. 8.* n *Tract. de vite Myſt. cap. 43. nu. 162.* o *Serm. 4. de verb. Dom. in ult. Cœn. num. 15. tom. 6. pag. 664.*

ris, in æternum proculdubiò non peribis: quoniam est resurrectio & Vita. Qui credit in eum, etiamsi mortuus fuerit vivet. Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Jesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Odor iste omnium suavitatum in se continet monarchiam, quia omnem balsami odorem excedit, & quidquid in odoribus continetur. Felix anima (*p*) quæ gustato salutis fructu trahitur & currit in odorem unguentorum, ut videat gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.

Secundò. De sapore hujus fructus (*q*) quidam quod gustaverat taliter eructabat, dicens: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Et alibi: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Et alius quidam: Si tamen, inquit, gustastis quoniam dulcis est Dominus. Et ipse fructus de se, invitans nos ad se: Qui edit me, ait, adhuc esuriet: & qui bibit me, sitiet. Vtique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Vnde (*r*) ait sponsa: Et fructus ejus dulcis gutturi meo, gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem sublevata. Mel est (*s*) quod sugit Israel de petra, & oleum de saxo durissimo. Gaudium est, quod nemo tollit. Osculum est, de quo scriptum est: Osculetur me osculo oris sui. Internæ suavitatis gustus dulcedo est, & manna absconditum, & thesaurus absconditus in agro: cui comparatum omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne jucundum, triste: omne pretiosum, vile: sordidum omne quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Nam pretiosam margaritam datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta Sanctorum comparavit, & nobis in Filio suo præparavit, & præparat semper interuentu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis hujus. Oleum enim (*t*) effusum nomen tuum. Quare? Quia oleo nutriuntur infirmi, pascuntur famelici, lumina reparantur. Quis enim tam infirmus,

p *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 2.* q *Serm. 3. super miss. nu. 6.* r *Serm. 48. in Cant. nu. 8.* s *Serm. 1. super Sal. Reg. n. 5.* t *Tract. de vit. Myst. cap. 43. n. 159. & 160.*

firmus, qui hoc oleo salutari, nomine scilicet salutiferi Jesu curatus non fuerit, dummodo velit curari? Jam ergo sic cogitanti, sic speranti oleum nominis Jesu tibi effusum est. Unge te ut saneris, idest spera in misericordia Salvatoris, qui salvat omnes sperantes in se. Nihilominus autem & oleum hoc pascit te, si famelicus es: si esuris, verbum est. In hoc verbo Dei optimi Jesu invenis, quod te satiet, si dictis & factis ejus aurem cordis tui velis inclinare. Sanat enim animam esurientem, quidquid dixit vel fecit dulcis Jesus. Quod si esuris & sitis justitiam, satiabit te verbum o is ejus, qui dixit: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Adde quoque ignem ad oleum, quod huic Nomini Jesu optimè convenit: quia hujus nominis virtute fides confirmatur, charitas exardescit. Pauci enim fidem habuerunt ante hujus olei effusionem, id est ante prædicationem nominis tui ò bone Jesu: pauci igniculo charitatis arserunt. Sed ecce illius effusione, quanti fide illuminati? quanti charitate conflagrarunt? Hic est (u) Christus Dei Virtus, & Dei Sapientia, de quo Apostolus: Qui factus est, inquit, nobis Sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. Gustate proinde (x) & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic sapori, huic Sapientiæ, quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem? sed à Deo hæc universa donata sunt: nec dubium quin multò ampliùs reservavit sibi, quàm dederit creaturis. Renuat (y) consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cùm esuris, currere suadet ad panem: at tu potiùs audi dicentem: Non in solo pane vivit homo. Cur enim tanta varietate distraheris, ut modò cibum, modò potum, modò vestem aut lectum, nisi pro sola corporis necessaria sustentatione requiras, qui in uno, idest, in verbo Dei potes hæc omnia invenire? Ibi remedium vulnerum (z) ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi denique quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quid-

u *Serm. 52. de divers. num. 1.* x *Serm. 1. in Festo omn. Sanctor. nu. 4.* y *Serm. 4. super Psal. 90. num. 2.* z *Serm. 85. in Cant. num. 3.*

quidquid oportet. Manna enim (*A*) eſt, omnem ſaporem habens, & odoris delectationem: & requies eſt vera & ſincera, ſuavis & ſalubris, jucunda & ſancta.

Tertiò. Audiſti de odore, (*b*) audiſti de ſapore, audi & de ſpecie hujus fructus. Si enim fructus ille mortis non ſolùm ſuavis fuit ad veſcendum, ſed etiam (teſte Scriptura) delectabilis aſpectu: quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem (teſte alia Scriptura) deſiderant etiam Angeli proſpicere. Cujus pulchritudinem in ſpiritu videbat, & in corpore videre cupiebat David, qui dicebat: Ex Sion ſpecies decoris ejus. Et nè mediocrem tibi videatur commendaſſe decorem, recole quod in alio Pſalmo legis: Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum: In operibus Domini (*c*) & minùs capaces animos exterior conſideratio paſcit: & qui magis exercitatos habent ſenſus, ſolidiorem intùs cibum inveniunt, & ſuaviorem, tanquam adipem medullamquè frumenti. Sunt enim & exteriori ſpecie delectabilia, & interiori virtute multò delectabiliora: quemadmodùm & ipſe Jesus exteriùs quidem ſpecioſus erat formâ præ filiis hominum: interiùs autem tanquam candor lucis æternæ, etiam ipſis ſupereminens vultibus Angelorum. Apparebat enim foris homo ſine culpa, caro ſine peccato, Agnus ſine macula. Non cadit (*d*) in Matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum eſt per Prophetam: Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Ecce Infans ſine ſorde; ſolus inter homines verax, immò & veritas ipſa. Ecce Agnus ſine macula: Jesus Chriſtus (*e*) ſolus de mundiſſimo conceptus ſemine: quia etſi in ſimilitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati: etſi filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ: qui non fuit naturâ filius iræ, ſicut reliqui omnes qui in iniquitatibus ſunt concepti. Quicunque (*f*) de maſſa prævaricante mundum ingredimur longam reſtem originalis peccati nobiſcum trahimus. Solus

M ille

A Serm. 4. ſuper Pſal. 90. num. 2. b Serm. 3. ſuper miſſus nu. 6. c Serm. 2. in 1. Dom. poſt oct. Epiph. num. 1. d Serm. 4. in Vig. Nat. Domn. 5. e Serm. 2. in die Pent. num. 1. f Serm. in Nat. S. Io. Bapt. n. 3. tom. 3. pag. 742.

ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis uteri thalamus ignorantis virum terris effudit. Longè quippè aliter quàm nos, & dissimili modo conceptus est de Spiritu Sancto, tota Majestate Virginem inundante, superans usum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippè decebat, ut peccatum nesciret qui peccatum tollebat: ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Itaque (*g*) solus Agnus est sine macula, solus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum est, nec in eo inventum. Solus planè Summus Pontifex meus Jesus nec in Patre nec in Matre contaminatus est, ut lex dicit. Patrē quippè sed Deum, Matrem quoque sed Virginem habens. Nemo (*h*) mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Unus tamen est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber: unus est, & non æstimabitur alius absque eo. Ipse est de quo legisti: Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est cœlo. Erat enim innocens manibus & mundo corde, qui peccatum non fecit, sed multa bona operatus Judæis liberè ajebat: Quis ex vobis arguet me de peccato. An verò mundissimum cor fuisse quis dubitat unitum personaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, attingit autem ubique propter suam munditiam. Peccatum quippè (*i*) non contraxit, nec commisit: quia & illa ejus nativitas, quâ de Patre Deo ante secula genitus est Deus, est ineffabilis: & illa nihilominus, quâ de Matre Virgine in fine temporum natus est homo, est incomprehensibilis. Ejus quoque vita, quâ in mundo conversatus est, extitit singularis. Prædicantem Dominum (*k*) de Civitatibus & Castellis populi sequebantur (quorum salvabat animas, sanabat corpora) & adhærebant ei affatu pariter & aspectu illius delectati: cujus nimirum vox suavis, & facies ejus decora sicut scriptum est: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Quàm (*l*) speciosi pedes annunciantis pacem, annunciantis bona! sed multò speciosius & pre-

g *Serm. 28. de divers. num. 1.* h *Ser. 33. de divers. num. 3.* i *Serm. de XII. portis Hierusalem n. 4. to. 6. p. 851.* k *Ser. 2. in fest. Omn. Sanct. n. 4.* l *Serm. 2. in 1. Dom. post oct. Epiph. num. 1.*

preciosius caput ejus: quoniam caput Christi Deus. Del e-ctabilis aspectus hominis in quem peccatum non cadit: & beati oculi qui viderunt: sed multò magis beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati planè *(m)* & omninò beati, qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Videbunt, inquam, in fine facie ad faciem; videbunt etiam nunc, sed per speculum & in ænigmate: & nunc cognoscent ex parte, posteà perfectè cognituri. Denique *(n)* cùm pervenisset ad nucleum, testam iam (licet decoram valdè) non reputabat Apostolus, dicens: Etsi cognovimus aliquando Christum secundùm carnem, sed iam non novimus. Nimirum quia Dominus ipse prædixerat: Caro non prodest quidquam, spiritus autem vivificat. Sed hæc est Sapientia quam loquitur Paulus inter perfectos, non inter eos quibus legimus ab eodem dictum: Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum. Totus suavis est, totus salubris est, totus delectabilis, totus denique secundùm sponsæ vocem desiderabilis. Sicut autem in eo ostensum est, sic & in operibus eius reperies. Nam & superficies ipsa tanquam à foris considerata decora est valde: & si quis fregerit nucem, intùs inveniet quod iucundius sit, & multò ampliùs delectabile. Unde Sponsa *(o)* non contenta est semel dicere *pulchrum*, nisi repetat & *decorum*, eminentiam decoris illâ repetitione designans. Aut certè in utraque Christi substantia dignum expressit omni admiratione decorem, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quàm pulcher es *(p)* Angelis tuis Domine Jesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus minimèque fucatus cãdor vitæ æternæ. Quàm mihi decorus es Domine mi in ipsa tui huius positione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti: ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plùs effulsit, ibi ampliùs gratia radiavit. Quàm clara mihi oriris stella ex Jacob! quàm lucidus flos de radice Jesse egrederis! quàm iucundum lumen in te-

 nebris

m *Serm. 1. in fest. Omn. Sanctor. num. 13.* n *Serm. 2. in 1. Dom. post oct. Epiph. num. 1.* o *Serm. 45. in Cant. num. 8.* p *Ibidem num. 9.*

nebris visitasti me oriens ex alto! Quàm spectabilis & stupendus etiam virtutibus supernis in conceptu de spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum! Quàm denique rutilans post occasum Sol iustitiæ de corde terræ resurgis! quàm formosus in stola tua demùm Rex gloriæ in alta cœlorum te recipis! Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui? Hæc ergo similiaquè puta in dilecto intuentem sponsam advertisse, cùm diceret: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Percunctare etiam (q) inter Apostolos eumdem ipsum qualem in monte perspexerint: aut certè inter Angelos, in qualem prospicere concupiscant, & nihilominus formosum mirabere. Quàm formosum & in mea forma te agnosco Domine Jesu, non ob divina tantùm quibus effulges, miracula, sed & propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Beatus, qui te in his hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Non est dubium (r) quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursùm, cùm Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus. Nam si iuxta Salamonem, Filius sapiens gloria est Patris: quantò magis gloriosum est Matrem ipsius effici Sapientiæ.

CAPUT IX.

De Virtutibus per MARIAM elicitis post salutationem Angelicam.

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset illa salutatio. *Luc.* 1.

Quinque sunt MARIÆ virtutes, quas elicuit occasione salutationis Angelicæ. 1. *Timor Virginalis, qui etiam aliis verè Virginibus est innatus.* 2. *Verecundia Virginalis.* 3. *For-*

q *Serm.* 25. *in Cant. num.* 9. r *Serm.* 4. *super missus num.* 1.

3. *Fortitudo Virginalis*. 4. *Prudentia in tacendo Virginalis*. 5. *Humilitas in reputando se indignam salutatione Angelica*.

1. QVÆ cùm audisset (s) turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Solent Virgines, quæ veræ Virgines sunt, semper pavidæ & nunquam securæ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere: scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare preciosum, & nimis arduum esse vivere Angelicè inter homines, & in terris more cælestium conversari, & in carne cælibem ducere vitam. Scio enim (t) quos habeat continentia oppugnatores, & quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit resistere talibus. Primus siquidem continentiæ nostræ hostis *Caro* est adversùs spiritum concupiscēs. Quàm domesticus hostis, quàm perniciosa lucta, quàm intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, nec fugare: circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis: nam quòd periculosius est & miserabiliùs, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. Verumtamen non est hic solus adversarius mihi, alium adhuc habeo qui circumcinxit & obsedit me undique: etsi ignoratis, hostis ille est *præsens sæculum* nequam. Conclusit inimicus vias suas, & per quinque portas, quinque videlicet dorporis sensus, jaculis suis vulnerat me, & mors intrat per fenestras meas. Sufficere nimis poterant isti duo. Sed (heu me) ecce video ventum validum venientem ab Aquilone, à quo panditur omne malum. Et nunc quid superest aliud? Domine salua nos, perimus: Ecce enim malleus universæ terræ: Ecce *serpens callidior* cunctis animantibus. Ecce inimicus ille quem nec videre possum, quantò minùs cavere? Neque enim est colluctatio servare volentibus continentiam non adversùs carnem & sanguinem tantùm, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Et quis est qui eorũ jacula ignea possit extinguere: Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Sed

s *Serm. 3. super missus num. 9.* t *Serm. 3. in 6. Dom. post Pent. num. 5. & 6.*

Sed & narraverunt ut abſconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit nos? Nunc quidem apertè & violenter, nunc occultè & fraudulenter, ſemper autem malitioſè & crudeliter impugnant & perſequuntur nos. Et ad hæc toleranda nè dicam ſuperanda quis idoneus? Ac proinde (u) Virgines quidquid novum, quidquid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas habent inſidias, totum contrà ſe æſtimant machinatum. Idcircò & MARIA turbata eſt in ſermone Angeli. Turbata eſt, ſed non perturbata. Turbatus ſum (inquit David) & non ſum locutus: ſed cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Ita ergo & MARIA turbata eſt, & non eſt locuta: ſed cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. In veritate didici (x) nil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo invenìaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò revertetur: & hoc eſt ſemper pavidum eſſe. Succedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundùm quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterùm placata redire ſentietur. Cùm adeſt, time ne non dignè opereris ex ea: nam hoc monet Apoſtolus: Videte, inquit, ne in vacuum gratiam recipiatis. Et ad diſcipulum: Noli, inquit, negligere gratiam quæ in te eſt. Et de ſemetipſo dicebat, quia gratia Dei in me vacua non fuit. Sic ergo timendum manente gratia. Quod ſi (y) receſſerit? Num multò magis tunc timendum? Planè multò magis, quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quid dator gratiæ dicat: Sine me (ait) nihil poteſtis facere. Time ergo ſubtractâ gratiâ tanquam mox caſurus. Time & contremiſce Deo tibi ut ſentis irato. Time quia reliquit te cuſtodia tua. Jam (z) ſi gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum, nè fortè contingat recidivum pati, juxta illud in Evangelio: Ecce ſanus factus es, vade & ampliùs iam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. Audis recidere quàm incidere eſſe deterius? Proinde invaleſcente periculo, invaleſcat & metus. Beatus es, ſi cor tuum triplici iſto timore

---

u *Ser. 3. ſup. miſſus num. 9.* x *Serm. 54. in Cant. num. 11.* y *Ibidem num. 13.* z *Ibid num. 14.*

more repleveris; ut timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, longè plùs pro recuperata.

2. Quòd (*A*) MARIA turbata est in sermone Angeli, verecundiæ fuit Virginalis. Amatores ergo verecundiæ (*b*) sumant exemplũ de Matre Domini, quæ quamvis esset prudẽtissima, tamen prę verecundia salutantem Angelum non resalutavit. Nunquid (*c*) non ab initio venisse pastores, & primam omnium MARIAM invenisse leguntur? Invenerunt (ait Evangelista) MARIAM & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Sic & Magi quoque si recolis, non sine MARIA Matre ejus puerum invenerunt. Et inducens in templum Domini, templi Dominum, multa quidem à Simeone audivit tam de Deo, quã de seipsa: sed in his omnibus, eam neque de ipso Incarnationis Dominicæ Sacramento quodcumque verbum fecisse reperies. Ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem MARIA conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Ipsa est, quæ (*d*) verba omnia quæ de Filio dicebantur, conservabat conferens in corde suo. Memoriã (*e*) conservabat, meditatione ruminabat. Ita Beatissima Virgo etiam tunc misericorditer providebat nobis, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria verba, aliquã negligentiã laberentur: & propterea ne scriberentur, ne prædicarentur, & sic sequaces hujus spiritualis mannæ deliciis fraudarentur. Sed ipsum (*f*) Filium audite: Si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit. Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? Legi enim alibi: Qui timet Deum, facit bona: sed plùs aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones Dei servabit. Ubi ergo servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quomodo in corde servandi? An sufficit solã eos servare memoriã? At verò sic servanti dicet Apostolus: Quoniam scientia inflat. Denique & memoriam facilè delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo meliùs servare potes cibum corporis tui. Nam & sermo Dei panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate consumi.

A *Ser. 3. sup. miss. n. 9.* b *Tract. de Ord. vit. seu mor. Inst. c. 2. n. 4.* c *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 11.* d *Ser. 2. in Assump. B. M. n. 8.* e *Ser. de Iesu puer. duoden. n. 9.* f *Ser. 5. de adu. Dom. num. 2.*

sumi. Ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati enim qui custodiunt illud. Ergo traiiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Facilè lingua labitur (g) nec minùs facilè illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minùs profuerit quòd propriam cohibuerint; dum non caverint alienam. Vtilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus, ac timens Deum, plus dico, Angelus est & Angelus lucis: etiam sic cave tibi, ne audias unde lædaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. MARIA nè Angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, cogitabat qualis esset ista salutatio. Tu quoque, qui crebris experimētis saltem solerter advertisti quantùm noceant verba, non desipies si sollicitus fueris (quandoquidem interesse necesse est collocutioni) non modò ori circumspectionem, sed & auri nihilominus adhibere cautelam. Vigilemus nihilominus super verba nostra, nè in eis offendere Deum, vel proximo nocere contingat. Felix siquidem, quem in omni confabulatione duplex timor ille solicitat, & duorum consideratio stimulat auditorum: primùm quidem, Divinæ Majestatis, in cujus manus incidere prorsùs horrendum: dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominùs perfacilè est offendiculum dare. Toties(h) MARIA Filium audivit non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsùm regni Dei mysteria revelantem: vidit miracula facientem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem. Sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Væ nobis qui spiritum habemus in naribus. Væ nobis, qui totum proferimus spiritum, qui juxta illud Comici, pleni rimarum effluimus undique. Et ne (i) meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me: Stultus (ait Salamon) profert totum spiritum suum simul, sapiens reservat in posterum. Verùm, canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò

per-

g *Ser. 17. de divers. num. 6. & 7.* h *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 11.* i *Serm. 18. in Cant. num. 3.*

perpaucas. Tantæ charitatis ſunt per quos nobis fluenta cœleſtia emanant, ut ante effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt. Sed enim audi *(k)* quid conſulat cauta vigilque charitas: Non quòd aliis (inquit Paulus) ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate: noli nimiùm eſſe juſtus. Sufficit ut diligas proximum tuum tanquam teipſum, hoc quippè eſt ex æqualitate. Dicit enim David: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum: infundi nimirum priùs volens, & ſic effundere. Nec ſolùm infundi priùs, ſed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de inanitate. Cautè quidem: nè quòd aliis remiſſio, ſibi eſſet tribulatio. Et nihilominus caſtè imitans illum, de cujus plenitudine omnes accepimus.

3. Quòd *(l)* non perturbata eſt Maria in ſermone Angeli, fortitudinis fuit Virginalis. Quæ nimirum virtus fortitudo *(m)* quomodo illi abeſſe potuit, quæ abjectis ſæcularibus pompis, ſpretiſquè voluptatibus carnis, ſoli Deo in Virginitate vivere propoſuit? Firmitas *(n)* robur, & conſtantia, & fortitudo mentis ejus eſt, quia mundi contempſit gloriam, carnis calcavit illecebras. Niſi fallor, hæc Virgo eſt, *(o)* quæ apud Salamonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? Procul & ultimis finibus precium ejus. Quæ adeò fortis fuit, ut illius ſerpentis caput contereret, cui à Domino dictum eſt: Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum. Cui hæc *(p)* ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum. Tu ergo bellatrix *(q)* egregia primò eum, qui primùm Evam ſupplantavit, expugnare viriliter aggreſſas es. Tu & ſpiritum elationis Evæ, vertice humilitatis comploſiſti: quam in te ita reſpexit Dominus, ut ipſius merito ſuper omnes choros Angelorum te ſublimari di-

 gnam

k *Ibidem num.4.* l *Serm.2.ſuper miſſus n.9.* m *Ser.52.de diverſ.n.3.* n *Serm.3. ſuper pſal.Reg. n.12.* o *Ser.52.de diverſ.n.3.* p *Serm.2.ſuper miſſus num.4.* q *Serm.3.de Virg.Deip.num.5.*

gnam æstimaverit. Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ, virtute castitatis in tua carne Virginea eatenùs extinxisti, ut is, in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ Divinæ puritati agglutinare non despexerit. Obsecro vos (r) filioli, æmulamini hanc virtutem, si MARIAM diligitis si contenditis ei placere. Fortitudo (s) est animi magnitudo, contemptus honorum vel divitiarum. Hæc adversis aut patienter cedit, aut resistit fortiter. Nullis illecebris edomatur, malis & adversis non frangitur, non elevatur secundis, invicta ad labores, fortis ad pericula, pecuniam negligit, avaritiam fugit, contra universa pericula animum præparat, molestiis nullis cedit, gloriæ cavet appetitum, metum mortis contemnit. Unde (t) inclytus ille Martyr Vincentius, qui cùm graviter torqueretur, non solùm tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur his verbis: Insurge, inquit, & toto malignitatis spiritu debacchare, videbis me Dei virtute plùs posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques. Sed puto (u) fatebere etiam non minùs esse fortitudinis, cùm vel maximè ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis, & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit & vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedemquè virtutis. Quocirca (x) opus est fortitudine adversùs tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Fortitudinis, (y) mater est prudentia.

4. Quòd (z) MARIA tacuit & cogitavit, prudentiæ fuit. Cogitabat autem qualis esset ista salutatio. Sciebat prudens Virgo, quòd sæpe Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis. An non hoc (A) timuit MARIA, quando ad novam salutationem expavit? An non hoc insinuabat Apostolus, cùm diceret: Non enim ignoramus cogitationes ejus? ipse enim Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis. An non denique hoc ipsum metuebant Discipuli, quando videntes Dominum super mare ambulantem, clamabant putantes phantasma esse?

r *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 12.* s *Tract. de ord. vitæ cap. 7. num. 22.* t *Serm. 96. de divers. num. 4.* u *Lib. 1. de consid. cap. 8. num. 11.* x *Tract. de convers. ad Cleric. cap. 10. nu. 21.* y *Lib. de consid. cap. 8. nu. 9.* z *Ser. 3. super missus nu. 9.* A *Serm. 6. super psalm. 90. num. 6.*

esse? Inimicus *(b) prima tentatione* esurienti Domino suadebat de lapidibus panem facere: sed ille nec posse, nec non posse respondens, cibum alium prætendit, dicens: Non in solo pane vivit homo. *Secunda* verò tentatione præcipitium suadebat, promittens quia non læderetur si filius Dei esset; & sic videns omnis Civitas laudaret eum & magnificaret: & nec esse se, nec non esse respondit. *Tertia* de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. *Quarta* tentatione apud eum abstinuit, cujus nimirum tantam fuit expertus prudentiam ex responsis, ut in nullo unquam posset deprehendere quod quærebat. Quid autem *(c)* adversùs alios faciat, quos videt omnimodò diligere justitiam, & odisse iniquitatem. Quid nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris sed perfecti persuadere conatur, ut citò consentiat qui magnoperè diligit bonum, & facilè qui currit incurrat. Hoc est igitur dæmonium non modò diurnum, sed meridianum: quòd soleat *(d)* maximè insidiari perfectis, qui videlicet tanquam viri virtutum omnia superaverint, voluptates, favores, honores. Quid enim jam superest ei qui tentat, in quo possit pugnare palàm adversùs hujusmodi? Venit proindè occultus, qui manifestus non audet: & quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur. Qui autem dicere possunt cum Apostolo, Non enim ignoramus astutias ejus: quò plùs proficiunt, eò magis sollici[t]i sunt cavere à laqueo isto. Hinc est quòd MARIA Angelica salutatione turbatur, dolum (ni fallor) suspicans. Et Josue non priùs amicum Angelum suscipit, quàm priùs amicum noverit. Denique sciscitatur suus ne sit, an adversariorum? tanquam qui qui expertus sit dæmonii meridiani versutias. Apostoli quoque aliquando cùm laborarent in remigando, vento adversante & jactante naviculam, videntes Dominum ambulantem supra mare, & putantes esse phantasma, ita ut clamarent præ timore: nonne apertam meridiani suspicionem dæmonii prætenderunt? Et recordamini scripturæ dicentis, quia quartâ vigiliâ noctis venit ad eos ambulans supra mare. Quarto igi-

b *Ibidem num.5.* c *Ibidem num.6.* d *Serm.33.in Cant.num.13.*

igitur, id est supremo demùm loco hæc tentatio formidetur, & quò se in summo stare quis viderit, eò sibi vigilantiùs ab incursu & dæmonio meridiano cavendum intelligat. Illis enim (e) unum videtur restare periculum, & omninò timendum eis à dæmonio meridiano, qui ad devotionis gratiam perveniunt, devotionis inquam lumen, diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tanquam emeriti milites, in laboribus universis vivunt absque laborè, dilato nimirum corde currẽtes viam mandatorum Dei, ut, quod priùs cum amaritudine & coactione sui spiritus faciebant, de cætero jam cum summa dulcedine peragant & delectione. Quia verò (f) discipulis verùs se manifestavit meridies in eo quod audierunt: Ego sum, nolite timere: & falsi suspicio ab eis depulsata est. Utinã & nobis quoties palliata falsitas molitur irrepere, emittat lucem suam & veritatem suam ad prodendum illam oriens ex alto verus meridies, & dividat lucem à tenebris, ut non notemur à Propheta tanquam ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.

-15. Denique MARIA (g) usque adeò fidit gratiæ, & non altum sapit, ut salutationem Angelicam vereatur. MARIA (inquit Evangelista) cogitabat qualis esse ista salutio. Nimirum sese salutatione Angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur: Unde hoc mihi ut veniat Angelus Domini meì ad me? Vel (h) quia nimirum humilis & simplex erat, nihil tale penitùs à Sancto Angelo sperabat: & ideò cogitabat qualis esset ista salutatio. Nam (i) quòd non loquitur, non sensus inopia, sed humilitatis esse custodia creditur. Nec (k) in sola tantùm taciturnitate commendatur humilitas MARIÆ: Salutata (l) quippe ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum: non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur: sed siluit, & qualis esset insolita hæc salutatio, secùm cogitavit. Sed etiam (m) evidentiùs resonat in sermone ejus humilitas. Audierat: Quod ex te nascetur sanctũ, vocabitur Filius Dei: & nihil aliud quàm ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elizabeth, & continuò Virginis glo-

e *Serm. 3. in Circum. ej. Dom. num. 10. & 11.* f *Serm. 33. in Cant. num. 13.* g *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 8.* h *Ser. 3. super missus n. 9.* i *Epist. 87. num. 11.* k *Serm. 1. d. Virg. Deip. num. 12.* l *Serm. 52. de div. num. 3.* m *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 12.*

gloria singularis eidem per spiritum revelatur. Denique & mirabatur personam venientis dicens: Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem salutantis, adjiciens: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificat fidem credentis, Beata, inquiens, quæ credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Magna quidem præconia, sed devota humilitas MARIÆ nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas Matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoque tanquam amicus Sponsi gaudet ad vocem Sponsi. Beatam esse dicis quæ credidissem, sed credelitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Sola profectò (n) est humilitas, de qua omnium plena virtutum MARIA gloriandum esse putavit. Audito quippè ab Angelo, Ave gratia plena: quasi solam rependisse ac respondisse memoratur in gratiam, Respexit, inquiens, Deus humilitatem ancillæ suæ. Et vide (o) quia MARIA non fuit contenta dicere, Respexit me, aut respexit ancillam suam, aut respexit humilitatem meam: sed semetipsam depressit valdè, & firmissima locavit fundamenta, ubi tantæ magnitudinis & pulchritudinis firmiter exciperet & servaret ornamenta. Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Singula verba suo pondere libranda sunt. Sunt enim ancillæ sed non humiles. Ancilla fuit Agar, sed superba: Dominam suam despexit. Sunt multæ fatis humiles, sed non usque ad ancillas. Sunt multæ humiles etiam ancillæ, sed non Domini. Humilitas ergo contemptum sui, ancilla famulatum sua devotione commendat. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Respiciendo me per gratiam suam, & humilem me fecit, & ancillam suam. Suam, inquam, n[illegible] fecit, & in me suum speciale opus fecit. Obsecro vos filio[illegible] (p) æmulamini hanc virtutem: si MARIAM diligitis; si conten[illegible] [illegible] ditis.

n *Tract. de offic. & mor. Episc. cap. 5. num. 17.* o *Serm. super magnif. num. 2. tom. pag 854.* p *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 13.*

ditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximèque Monachum nihil adeò decet. Commodum reor (q) indigare aliquid & de superbia, quatenus ex opposito sibi vitio virtutis decor manifestior appareat. Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in species duas dividitur, in *cæcam*, & *vanam* superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt contumacia, & vanitas: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, ex ista voluntatis malæ appetitus efficitur. Quod meliùs ex singularum diffinitionibus demonstrabimus. *Cæca* superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est, in se non in Deo gloriatur. *Vana* superbia seu vanitas est vitium, quo quis tàm de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. His itaque præmissis, aptemus jam contraria humilitati, singula singulis opponentes. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus, duæ nihilominus humilitatis opponuntur. Contra cæcam, ut quis de se noverit sentire humiliter. Contra vanam, nec consentire aliter sentientibus. Nempè qui de seipso sentire humiliter novit, in neutro ipsius de se judicium falli potest: videlicet ut aut majus aliquid putet se esse, quàm sit: aut à se esse quod sit. Et ideò patienter carens quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur. Porrò adversùs hoc (r) ut de se altiùs se aliquid sentiat, solet (ne insolecat) verus humilis illud sibi jugi meditatione revoluere: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et illud: Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Et item: Qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Contra hoc autem ut à se sentiat esse, quod se sentit esse, sollicitè seipsum interrogat: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Item, qui humanas laudes consuevit perfectè contemnere, cùm se laudari percipit de

q *Tract. de offic. & mor. Episc. cap. 5. num. 19.* r *Ibidem num. 20.*

de eo quod in se novit non esse, nullatenùs acquiescens illud sibi commemorat: Qui te beatificant, in errorem te mittunt. Sed & illius nihilominus versiculi recordatur: Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Proinde sollicitè studet imitari Apostolum ita de se loquentem: Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Cùm verò laudari se comperit de bono, quod se fortè habere cognoscit: nihilominus quantùm in se est, scuto veritatis curat à se jaculum favoris repellere, dans gloriam Deo, & dicens: Gratia Dei sum id quod sum. Et propulsans à se omnem suspicionem, ait Domino: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Metuit nimirum, si aliter egerit, ne fortè audiat ab ipso: Recipisti mercedem tuam. Et iterum: Gloriam ab invicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis. Refugiens ergo & de hoc ad consilium Pauli, probat ipse opus suum, ut sic habeat in semetipso gloriam, & non in altero. Fidelis suimet custos, qui sibi oleum favoris sine fraude reservet, ne in adventu sponsi lampas conscientiæ vacua extinguatur. Non in altero, inquam. Nec enim tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam suam: arcæ utique sine clave, & sine sera, nulliquè omninò clausæ nocere volenti. Non tutum planè, sed stultum, ibi thesaurum tuum recondere; unde non valeas resumere cùm volueris. Si ponis in os meum, jam non in tua, sed in mea potestate est, cùm utique pro meo libitu vel laudare te possim, vel derogare tibi.

CAPUT X.

De Verbis Angeli, quibus MARIAM salutatione sua pavidam consolatur.

Et ait Angelus ei: Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium. *Luc.*1.

1.MA-

1. MARIA turbata salutatione Gabrielis confortatur ab eodem. 2. Duplicem gratiam invenit MARIA: Unam generi humano, nimirùm Dei & hominum reconciliationem. & hæc gratia est generalis. 3. Alteram sibi, nimirùm ut esset Mater Dei: & hæc gratia est singularis.

1. PRIMO quidem (s) prudenter tacuit, cùm adhuc dubia cogitabat qualis esset ista salutatio: malens nimirùm humiliter nō respondere, quàm temerè loqui quod nesciret. Tunc Angelus (t) intuitus Virginem, & varias eam secùm voluere cogitationes facillimè deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, & familiariter vocans ex nomine, benignè ne timeat persuadet; Ne timeas (inquit) MARIA, invenisti gratiam apud Deum. Nihil hîc doli, nihil hic fallaciæ est. Nullam circumventionem, nullas hîc suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus, & Dei Angelus, non satanæ. Ne timeas MARIA, invenisti gratiam apud Deum. O si scires quantùm tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec alloquio judicares, nec obsequio! Ad quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum? Ne timeas, inquam, (u) MARIA, nec mireris Angelum venientem, & major Angelo venit. Postremò quidni videas Angelum, cùm jam Angelicè vivas? Quidni visitet Angelus sociam? Quidni salutet civem Sanctorum, & domesticam Dei? Tu (x) verè puella es præelecta, & præparata Altissimi Filio & tuo: A Patribus (y) præfigurata, à Prophetis promissa: reverenda (z) Angelis, desiderata gentibus, Patriarchis, Prophetisq; præcognita, electa ex omnibus, prælata omnibus, Quid (A) igitur times? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Immò tu ipsa, non alia. Tu inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans, vitam sperabat æternam, cùm dicebat: Expectabo salutare tuum Domine. In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster

ante

s Serm. 4. super missus num. 3. t Serm. 3. super missus num. 10. u Serm. 2. de Virg. Deip. num. 8. x Serm. 1. de Virg. num. 16. y Serm. 2. super missus num. 4. z Epist. 174. num. 2. A Serm. 4. super missus n. 8.

ante ſecula diſpoſuit operari ſalutem in medio terræ. Angelus (*b*) fortitudo Dei appellatus eſt, quòd Virginem naturâ pavidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expaveſceret confortare deberet: quod & fecit, Ne timeas (inquiens) MARIA, inveniſti gratiam apud Deum. Didici (*c*) jam ex hoc ipſo non ad carnalem ſive caducam recurrere conſolationem, ſed ad Angelicam, ſed ad ſpiritualem, ſed ad cœleſtem. Quoties ergo (*d*) graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Angelum tuum Cuſtodem, ductorem tuum, adiutorem tuum, in opportunitate, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine ſalva nos perimus. Ipſe eſt (*e*) qui in omni loco ſedulus quidam pediſſequus animæ non ceſſat ſollicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rurſum: Expecta Dominum, & cuſtodi viam ejus. Item, Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ad Dominum autem: Sicut cervus, inquit, deſiderat ad fontes aquarum; ita deſiderat anima iſta ad te Deus. Deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritus tuus in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te. Et iterum: Tota die expandit ad te manus ſuas, dimitte eam, quia clamat poſt te. Convertere aliquantulùm, & deprecabilis eſto ſuper eam. Reſpice de cœlo, & vide, & viſita deſolatam. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non invidus, non ſuam quærit, ſed Domini gratiam: diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat iſtam, placat illum. Angelis ſuis (*f*) mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula (videlicet cui adſunt Angeli ſicut eis mandatum eſt) in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Veruntamen etſi Deus mandavit, ipſis quoque (qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis ſubveniunt in tanta neceſſitate) ingratos eſſe non licet. Simus

O ergo

---

b *Serm.1.ſup.miſſus n.2.* c *Serm.1.de S.Andr.n.7.* d *Serm.12.ſup.Pſal.90.n.9.*
e *Serm.31.in Cant.nu.5.* f *Serm.12.ſup.Pſal.90.nu.6.& 7.*

ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantùm possumus, quantùm debemus. Ipsi (g) enim amant nos, quia nos Christus amavit. Triplex funiculus est, quo de excelso Cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (ut dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirùm propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. Nonne (h) de vermiculis istis, & de puluere isto restaurandi sunt muri cœlestis Hierusalem? Putatis quantùm desiderant Cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur, ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri. Quod si (i) tàm necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione, Attamen super omnia hæc, unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis.

2. Ne timeas MARIA (k) invenisti enim gratia apud Deũ. Quantam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Utramque sine dubio, quia plenam & eò singularem quò generalem. Ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eò inquam singularem quò generalem: nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem, quòd sola hanc inveneris plenitudinem: Generalem, quòd de ipsa plenitudine accipiant universi: Captivus (l) redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, pèccator veniam, Ange-

g *Serm. 1. de S. Mich. Archang. num. 3. & 4.* h *Serm. 2. in Vig. Nativ. Dom. num. 6.*
i *Serm. 1. de S. Mich. Archang. num. 5.* k *Serm. 3. in Annunt. B. Mariæ num. 8.*
l *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 2.*

Angelus lætitiam. Denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. Invenisti *(m)* quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Quomodò *(n)* MARIA inaccessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat invenit, cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum. Quid plena gratia, & gratiam adhuc invenit? Digna prorsùs invenire quod quærebat, cui propria non sufficiebat plenitudo, nec suo poterat esse contenta bono: sed (quemadmodum scriptum est: Qui bibit me adhuc esuriet) petebat superfluentiam ad salutem universitatis: Vt *(o)* ex hac plenitudine omnes accipiamus, qui verè sine illa nō aliud quàm terra arida sumus. Propterea *(p)* tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederet tàm desiderabilis aquæ ductus, nempè MARIA. Nec mirabere diutiùs expectatum, si recordaris quot annis Noè vir justus in arcæ fabrica laboravit, in qua paucæ ideſt octo animæ salvæ factæ sunt, idque satis ad modicum tempus. Numquid *(q)* non hoc est, quod quærebat, quod gemebat, quod diebus & noctibus suspirabat MARIA? Nec vacui gemitus *(r)* quibus è Cœlo misericorditer respondetur: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Prudens Virgo *(s)* non sapientiam sicut Salamon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia quâ salvamur. Gratia *(t)* non solùm peccata lavat, sed & merita donat. Hæc est *(u)* illa gratia, quam nobis commendat Beatus Joannes Euangelista dicens: Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus: & gratiam pro gratia. Ex quibus scilicet verbis innuitur, quòd triplicem gratiam divinitùs accepimus: *Unam*, quâ convertimur: *alteram*, quâ in tentationibus adjuvamur: *tertiam*, quâ probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda provehit, quâ justificamur: tertia consummat, quâ glorificamur. Et

 pri-

m *Serm. 3 super missus num. 10.* n *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 4.* o *Serm. 2. super missus num 7.* p *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 4.* q *Serm. 4. super missus num. 8.* r *Serm. 59. in Cant. num. 5.* s *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 7.* t *Serm. 2. in 1. Dom. post oct. Epiph. num. 3.*

prima quidem beneplacitum eſt: ſecunda meritum: tertia præmium. De prima dictum eſt: Et de plenitudine ejus omnes accepimus. De duabus reliquis dictum eſt: Et gratiam pro gratia: id eſt munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Ipſa *(x)* denique gratia liberum excitat arbitriū, cùm ſeminat cogitatum: ſanat, cùm immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem gratia cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat: in cœteris comitetur. Hæc ſunt *(y)* pro quibus inceſſanter & quàm obnixè poterunt, ad Deum clament deſideria tua, ut habeas gratiam ejus bonam, & placere poſſis in oculis pietatis ipſius, & in eo vivas, & moriaris in ipſo, ut gloriam ejus videre, & ipſo frui in perpetuum merearis. MARIA *(z)* non prætendit meritum, ſed gratiam quærit. Quid nos alia concupiſcimus, fratres? Quæramus gratiam, & per MARIAM quæramus: quia quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. Nec dubius dixerim exaudietur MARIA pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem filius. Inveniſti (ait Angelus) gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & ſola eſt gratia quâ egemus. Sileat *(A)* miſericordiam tuam Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſeruuli tui cœteris in Virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potiùs nobis ipſis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur: ſed miſericordia miſeris ſapit dulciùs, miſericordiam amplectimur chariùs, recordamur ſæpiùs, crebriùs invocamus. Hæc eſt enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetravit. Conſtat enim pro univerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: Ne timeas MARIA, inveniſti gratiam, utique quam quærebas. In te enim *(b)* Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Quis ergo *(c)* miſericordiæ tuæ ò benedicta, longitudinem & latitudinem, ſublimitatem & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus uſque in diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis.

Lati-

x *Tract. de grat. & lib. arb. c. 14.* y *Serm. 25. de div. nu. 6.* z *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 7. & 8.* A *Serm. 4. in Aſſumpt. B. M. n. 8.* b *Serm. 2. in die Pentecoſt. num. 4.* c *Serm. 4. in Aſſumption. B. M. num. 8. & 9.*

Latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus Civitatis supernæ invenit restaurationem. Et profundum ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ Cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas, & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem (MARIAM intelligo) sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat,& dicat: Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo: reis veniam,medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.

3. Hæc est ergo *(d)* gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum: Ecce concipies & paries filium. Intellige prudens Virgo ex nomine filii promissi, quantam & quàm specialem gratiam inveneris apud Deum. Nec suspectam habeas *(e)* prudens Virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia. Nescies virum, & gignes filium. Qualem filium? Illius eris Mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis:Sapientia paterni cordis erit fructus uteri Virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Fons Sapientiæ *(f)* Verbum Patris in excelsis: hoc Verbum mediante te caro fiet: ut, qui dicit, Ego in Patre, & Pater in me: dicat nihilominus, quia ego à Deo processi, & veni. Sic autem *(g)* & quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, & quod nascetur ex te, erit ejus: ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, jam non tamen cujusquè suus, sed unus utriusque erit filius. Cum MARIA *(h)* utique tanta Deo consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua, Virginisquè sub-

d *Serm.3.sup.missus num.10.* e *Ibid. num.8.* f *Serm.2.de Virg. Deip.num.10.*
g *Serm.4.super missus num.4.* h *Serm. 3. super missus num. 4.*

ſubſtantia unum Chriſtum efficeret, vel potiùs unus Chriſtus fieret: qui etſi non totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet: nec duo filii, ſed unus utriuſque filius. An non *(i)* Deum & Dominum Angelorum MARIA ſuum audaſter appellat filium, dicens: Filii, quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quòd cùm ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt & vocati Angeli, teſtante David: Qui facit, inquit, Angelos ſuos ſpiritus. MARIA verò Matrem ſe agnoſcens, Majeſtatem illam, cui Angeli cum reverentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt: Nam paulò poſt ſubdit Euangeliſta: Et erat (inquiens) ſubditus illis. Quis quibus? Deus hominibus. Deus inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus & Poteſtates obediunt, ſubditus erat MARIÆ. Nec tantùm MARIÆ, ſed etiam JOSEPH propter MARIAM. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid ampliùs mireris, ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrinque ſtupor, utrinque miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas ſino ſocio. In laudibus Virginum ſingulariter canitur, quòd ſequuntur Agnum quocunque jerit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit. Magnum eſt Angelo *(k)* ut miniſter ſit Domini; ſed MARIA ſublimius quiddam meruit, ut ſit mater. Fœcunditas Virginis ſuperemines gloria eſt, tantoquè excellentior Angelis facta munere ſingulari, quantò differentius præ miniſtris nomen Matris accepit: hanc invenit gratiam plena jam gratiâ, ut charitate fervida, Virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilominus ſine viri cognitione gravida, ſine muliebri dolore puerpera. Parum eſt, quod eſt ex ea natum eſt, Sanctum vocatur, & eſt Filius Dei. Duplex novitas, *(l)* duplex prærogativa: duplex miraculum, ſed dignè prorsùs aptiſſimequè conveniens. Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Deus *(m)* ſiquidem (Deus enim eſt quem peperit) Matrem

---

i *Serm. 1. ſuper miſſus num. 9.* k *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 12.* l *Serm. 4. in Aſſumpt. B. M. nu. 5.* m *Serm. 2. ſuper miſſus num. 1.*

trem ſuam ſingulari in cœleſtibus donaturus gloriâ, ſingulari in terris prævenire curavit & gratiâ: quâ videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum hujuſmodi decebat nativitas, quâ nonniſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum. Ecce, ait *(n)* nova facio omnia. Quis hoc ait? Agnus utique qui ſedebat in throno. Agnus utique planè totus ſuavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod eſt Chriſtus. Ipſa eſt *(o)* Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum eundemquè cum Deo Patre meruit habere communem. Meritò ſignum *(p)* magnum in cœlo apparuiſſe ſcribitur, quod tantò antè de cœlo noſcitur fuiſſe promiſſum. Dominus (ait Eſajas) ipſe dabit vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet. Magnum profectò ſignum dedit: quia & magnus ipſe qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Nec enim *(q)* circa ſuum filium ampliùs potuit elevari, quàm ut Mater Dei vocaretur. Aſcendit proindè *(r)* ſupra omne humanum genus, aſcendit uſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcendit, & cœleſtem omnem ſupergreditur creaturam. Nimirùm *(s)* gaudium Matris habens cum Virginitatis honore. Sola quippè *(t)* Maria de partu, & partu Divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu non in ſe, ſed in eo quem peperit. Magnificat (ait Maria) anima mea Dominum, Magnificat *(u)* omnis creatura Dominum; ſed ampliùs ſuper omnem creaturam, anima mea Dominum magnificat. In omni enim creatura nihil tam magnificè fecit Dominus, ſicut animam meam: ſed ſicut Dominus voluit, ſic factum eſt. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Vide *(x)* qualis ordo, priùs cytharam, poſtea pſalterium tetigit: priùs animam, poſtea ſpiritum poſuit: non enim priùs quod ſpirituale, ſed animale; deinde quod ſpirituale: Et exultavit ſpiritus meus, extra omnem creaturam, extrà ſeipſum etiam gaudio ſaltavit. In quo? Non

n *Serm.4.in Vigil.Nativ.Dom.num.3.* o *Serm.2.in Annunc. B.Mariæ num.2.* p *Serm.1.de Virg.Deip.num.8.* q *Serm.5.ſuper Sal.Reg. num.1.* r *Serm.2.de Virg.Deip.num.9.* s *Serm.1.in Vig.Nat.Dom.nu.4.* t *Serm.2.ſuper miſſus n.1.* u *Serm.ſup.Magnificat n.1.tom.6.pag.854.* x *Ibidem num.2.*

Non in me, ſed in Deo Creatore meo: cognitione & amore ejus fruendo: & hoc non per me, ſed mediante & ſalvante me ſalutari meo Jesu filio meo, ſingulariter meo. Meus eſt Deus, meus ſalutaris, meus eſt filius. Omninm quidem Conditor eſt, ſed mei ſolius filius eſt: & me mediante omnium ſalus eſt. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Hoc inquam, quòd (y) omnes generationes me beatificant, non mihi attribuo, non meis adſcribo meritis, ſed ei qui fecit mihi magna. Ex hoc enim beatificor ab omnibus: quia ab ipſo beatificata ſum, quaſi in ſpeculum beatitudinis omnibus præpoſita ſum. Quia fecit mihi magna. Non enim aliquod magnum fecit mihi, ſed multa magna: magnum eſt per ſe, quòd Virgo ſum: magnum per ſe, quòd Mater ſum: magnum, quòd ſimul utrumque & Virgo & Mater ſum. Et cujus Mater? Dei Vnigeniti, Plaſmatoris & Salvatoris omnium. Fecit mihi magna. Non poteſt narrari, non poteſt cogitari magnitudo & multitudo bonorum, quæ fecit mihi. Et quiſnam eſt ille, qui tàm magna fecit tibi? Qui potens eſt & ſanctum nomen ejus. Nolite mirari, nolite dicere, quomodo poſſunt hæc fieri? Potens eſt ille, qui fecit hæc. Potens eſt, immò omnipotens. Potentiam ejus attendite: quia omnia quæcunque vult, potens eſt facere. Magna ſunt quæ attenditis in me: ſed magna eſt illa potentia, quæ tam magna fecit mihi. Ex magnis & mirabilibus quæ fecit in me, magnam & mirabilem potentiam illius perpendite. Et quare hic tam magna fecit tibi? Quia ſanctum nomen ejus: propter nomen ſuum, non propter meum meritum, tam magna fecit mihi: Nomen ſuum, quod eſt mirabile & ſanctum & ineffabile, voluit in me declarare. Quod eſt hoc nomen: Bonus. Quia nemo bonus, niſi ſolus Deus. Ergo propter ſolam bonitatem ſuam tam magna fecit mihi: quia & potentiam & bonitatem ſuam in me voluit declarare. Potens enim ſingulariter, & ſanctum nomen ejus: ſed ſicut in ipſo ſanctum eſt nomen ejus, ſic ſanctificetur & in nobis: ſicut in ipſo ab æterno prædeſtinatum eſt, ſic compleatur in nobis. Spiritus Sanctus (z) magnificavit facere tecum, Beata

Virgo

y *Ibid. num. 4.* z *Serm. 4. ſuper Sal. Reg. num. 10.*

Virgo. Magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Vnum erat, dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses & parere. Alterum, quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filii Dei formavit. Fecit proinde te magnam & castam. Magnam planè fecit, ut immensum caperes: Castam, quatenus dignè contineres. Magnam te fecit humilitate, castam Virginitate.

CAPUT XI.

De Mysterio & Virtute Nominis IESU, quod annunciatum est MARIÆ ab Angelo.

Et vocabis nomen ejus IESUM. *Luc.* 1.

1. JESUS interpretatur Salvator Mundi. 2. Cur Esajas varia nomina Divina commemorans; non meminit istius nominis? 3. Nomen JESU comparatum oleo in triplici qualitate, quòd lucet, pascit, & ungit: Est lux, cibus, & medicina.

1. ET vocabis (ait Angelus) nomen ejus Jesum. Vocabulum Jesu dulce *(A)* ac gloriosum omni odoratu cultuquè dignissimum, quod non priùs ab hominibus decuit efferri in mundum, sed à quadam sublimiori excellentioriquè natura. Omnes quippè Prophetæ nomen istud aut nescierunt, aut penitùs tacuerunt: & reservata est prærogativæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore Sanctæ Virgini illud primùm evoluit. Et *(b)* vocabis, ait, nomen ejus Jesum. Rationē hujus vocabuli Matthæus Euangelista ponit, Angelo sic interpretante: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Duos Jesus lego in typo hujus quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse: quorum unus populum suum de Babylone

A *Serm. 1. in Nat. Dom. num. 8. tom. 6. pag. 613.*
b *Serm. 3. super missus num. 10. & 11.*

eduxit, alter ſuum in terram promiſſionis introduxit. Et illi quidem illos quibus præerant, ab hoſtibus defendebant, ſed numquid ſalvabant à peccatis eorum? Is autem noſter Jeſus & à peccatis ſalvat populum ſuum, & introducit in terram viventium. Regnum Cœlorum *(c)* terra viventium eſt. Vnde David: Credo, inquit, videre bona Domini in terra viventium. Item: Placebo Domino in regione vivorum. Jeſus ut ſcitis *(d)* Salutaris vel Salvator interpretatur, de quo Pſalmiſta ait: Convertere nos Deus Salutaris noſter. Et iterum: Salvaſti nos de affligentibus nos. Quis autem in afflictione poſitus ſalvari nolit? Si vis ſalvari, & attrahi odore huius nominis ſalutaris, quod effuſum eſt ſicut oleum, incipe delectari in dulciſſimo Jeſu, & confidenter require in vero Salutari ſalutem, non imitando illos qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis, in quibus ſalutem ſuam conſtare putant: ſed potiùs MARIAM, cuius ſpiritus exultavit in Deo Salutari ſuo, quæ nominis huius ſalutaris odorem tantò ſuaviùs attraxerat, perfectiuſquè ſenſerat, quantò illi fide, ſpe, & charitate vicinior fuerat, quæ ipſum de ſuis viſceribus genuerat, nempe verum & perfectum Deum & hominem Salvatorem Jeſum. Ipſe enim *(e)* ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Verè enim beatus populus, cuius iſte Jeſus Dominus Deus eius, quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vereor autem nè multi ſe profiteantur eſſe de populo eius, quos tamen ipſe non habeat pro populo ſuo: vereor nè pleriſque, qui quaſi in populo eius religioſiores eſſe videntur, ipſe aliquando dicat: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Novit enim Dominus Jeſus, qui ſunt eius, novit & quos elegerit à principio. Quid me vocatis (ait) Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? Vis ſcire an pertineas ad populum eius? Vel potiùs vis eſſe de populo eius? Fac quæ dicit Jeſus, & computabit te in populo ſuo. Fac quæ iubet in Euangelio Dominus Jeſus, quæ iubet in lege & Prophetis: Et diſce ab ipſo Jeſu, quia mitis eſt & humilis corde, & eris de beato populo eius quem elegit in hæreditatem

c *Serm. 2. in Nat. Dom. nu. 5. tom. 6. pag. 616.* d *Tract. de Vite Myſt. c. 43. nu. 158.*
e *Serm. 3. ſuper miſſus num. 11.*

tem sibi: eris de laudabili populo eius, quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israel: cui, ne fortè Israel carnalem æmuleris, etiam testimonium perhibet, dicens: Populus quem non cognovi servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi.

2. Sed quid dicimus *(f)* quòd egregius ille Propheta hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod solum (ut præmonuit Angelus, & testatur Evangelista) vocatum est nomen ejus? Exultavit Esajas, ut videret diem hunc; & vidit, & gavisus est. Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. Magna quidem nomina. Sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur? Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodamodò & effusum. Nempè ipsum est, de quo sponsa in Cantico amoris: Oleum, inquit, effusum nomen tuum. Rursùm Propheta *(g)* Vocabitur, inquit, nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. Primum, tertium, quartum, Majestatem sonant: reliqua pietatem. Horum sex nominum *(h)* consequentiam & virtutem breviter atque eleganter comprehendit uno nomine Angelus, loquens ad Mariam: Et vocabis, inquit, nomen eius Jesum. O nomen præsuave *(i)* & prædulce! O nomen præclarum, & præelectum, & superexaltatum in secula! Hoc nomen verè oleū est, quod exhilarat faciem hominis, quod caput jejunantis impinguat, ut oleum peccatoris non sentiat. Hoc nomen novū quod os Domini nominavit, quod & vocatum est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur. Hoc non solùm Judæus, sed quicumque invocaverit salvus erit, intantùm usquequaque effusum est. Habes ergo unum *(k)* ex his omnibus appellationibus Jesum: nec omninò aut vocari posset, aut esse Salvator, si fortè quippiam horum defuisset. I. Nunquid non verè *admirabilem* eum singuli su-

f *Serm. 2. in Circumcis. Dom. num. 4.* g *Serm. 15. in Cantic. num. 2.* h *Serm. 53. de diver. num. 2.* i *Serm. 16. in Cantic. num. 14.* k *Serm. 2. in Circumcis. Dom.* [illegible]

mus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempè est salvationis nostræ principium, cùm incipiamus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur mirabilia. II. Sed nihilominus & *consiliarium* sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione: ne fortè sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonæ prudentia desit. III. Sanè opus est ut *Deum* quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest: & nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. IV. Verùm nè id quidem sufficit ad salutem, nisi *fortem* quoque experiamur in expugnando impugnantes nos: nè ab eisdem rursùm concupiscentiis superemur, & fiant novissima nostra pejora prioribus. V. Videturne jam aliquid deesse Salvatori? Planè deesset quod maximum est, nisi & *Pater esset futuri sæculi*: ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. VI. Neque hoc satis, si non etiam *princeps pacis* Patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum, nè fortè sicut filii perditionis utique non salutis resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur sanè ejus imperium, ut meritò Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum: & pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem, quæ non possit timere defectum. Porrò (l) *Admirabilis* est in nativitate: *Consiliarius* in prædicatione: *Deus* in operatione: *Fortis* in passione: *Pater futuri sæculi* in Resurrectione: *Princeps pacis* in perpetua beatitudine. Hæc etiam nomina possunt ei congruè assignari in operæ nostræ salutis. Nam *primò* dicitur *Admirabilis* in conversione nostræ voluntatis, quæ mutatio est solius dexteræ Excelsi. *Secundò* dicitur *Consiliarius* in revelatione suæ voluntatis, quando revelat quid sequendum sit jam conversis. *Tertiò*. Conversi autem necessè est compungantur pro præteritis delictis, in quorum remissione dicitur *Deus*, cujus tantùm est peccata dimittere. *Quartò* dicitur *Fortis*. Juxta sententiam enim Apostoli necessè est, ut omnes qui piè volunt vivere in Christo.

l Serm. 53. de div.

Christo Jesu, persecutionem patiantur. Sed quis sustineret, nisi ille adiuvaret? Cùm ergo nos in tribulatione protegit, cùm ipsas aerias potestates arcet à nobis ac repellit, quid aliud in hoc opere dici potest nisi fortis? *Quintò*. Et quoniam ipsa conversio, & vita nostra in Christo agenda est non intuitu temporalium rerum, sed spe futurorum bonorum: ideò ponitur *Pater futuri sæculi*. Pater scilicet in regeneratione corporum nostrorum. *Sextò*. Quia verò omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: ut discernat immutationem justorum ab iniquorum resurrectione, ponitur *Princeps pacis*. Qua obtenta, tota perfectio impletur, nec jam ultrà aliud quidquam appetendum relinquitur. Unde suspirat sponsa (m) scilicet anima, & dicit cum Moyse: Ostende mihi teipsum. Nec immeritò. Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione. Verè dulcis in *voce*, de cujus ore lac & mel procedit. Diffusa est enim gratia in labiis suis. Verè dulcis in *facie*: Speciosus enim est non solùm præ filiis hominum, sed etiam præ millibus Angelorum. Verè dulcis est in *nomine*: Dulce enim nomen & suave Jesus, consecratum ab æterno, nunciatum ab Angelo, prophetatum Salamonis oraculo, qui ait: oleum effusum nomen tuum. Non autem aliud nomen est in quo salvari oporteat. Ipse enim salus est, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Dulcis in *opere*, nempè in celebratis miraculis, in peccatoribus conversis, in Sacramento preciosę mortis, quod humanæ blanditur infirmitati. In hoc enim charitas præfulsit, pietas magis enituit, gratia plùs radiavit. Cæterùm longè dulcior erit in *Deitatis visione*, quando manifestabit seipsum residens super solium præ omnibus excelsum. Tunc satiabitur desiderium nostrum, quod Propheta desiderans, ajebat: Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.

3. Oleum effusum nomen tuum. Est proculdubio (n) inter oleum & nomen Jesu similitudo, nec ociosè Spiritus Sanctus alterutrum comparuit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quòd lucet, pascit, & ungit. Fovet

ignem

m *Serm. de excellent. sanctiss. Sacram. num. 7. & 8. tom. 6. pag. 735.*
n *Serm. 15. in Cantic. num. 5.*

ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de nomine Sponsi Jesu. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit. Et percurramus singula. I. *Lux est nomen JESU*. Unde putas in toto Orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique Nomen coram regibus & gentibus & filiis Israel portare jussus est idem Apostolus: & portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuncians in omni loco Jesum, & hunc Crucifixum. Quomodò lux ista insplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit & bases: multosquè spiritualiter cœcos illuminavit? Numquid non ignem sparsit cùm ait: In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula? II. *Cibus est nomen JESU*. An non (o) toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si Scribas, non sapit mhi nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Jesus. Jêsus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. III. *Medicina est nomen JESU*. Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor Jesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet Nomen vitæ, confestìm respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris Nominis, duritia (ut assolet) cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lachry-

o *Ibidem num.6.*

chrymarum, invocato Jesu, non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui quæso, in dubiis æstuanti & fluctuanti, non subitò ad invocationem clari Nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jam jamquè deficienti, si Nomen adiutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animæ isti sunt, illud medicina. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem (p) cùm nomino Jesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, ac omni denique honestate & sanctitate conspicuum: eundemquè ipsum Deum Omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente: illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas: & facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes ò anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius quod est Jesus, salutiferum certè, quodquè nulli unquã pesti tuę inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum & sensus dirigantur & actus. Denique & invitaris: Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. Sed hoc alias. Nunc verò habes unde & brachio medearis & cordi. Habes, inquam, in Nomine Iesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas: itemquè unde tuos sensus aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes. Sit ergo tibi (q) Iesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita, mors, & resurrectio. Cùm ad stratum lassus deveneris, te honesto modo iacendo componas.

Quod

---

p *Ibidem num. 7.* q *S. Bernard. in formula hon. Vit. num. 2. & 13. tom. 6. pag. 1024.*

Quod si fortè luxuriæ te pompa concusserit, recordare dilectum tuum JESUM positum in doloribus, & universum stratum suum versatum in infirmitate eius, hæc dicens in corde tuo: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Sicquè invocato Nomine Salvatoris, ingeminando sæpe Nomen salutis, cessabit tandem (Deo succurrente) quassatio. Quid retribuam Domino (r) pro omnibus quæ retribuit mihi? Ecce autem pro omnibus, quæ ab initio conversionis meæ mihi tribuit, compunctionem videlicet lachrymarum, devotionem meditationum, consolationem in laboribus, dilectationem in meditationibus: pro his inquam, & innumeris aliis beneficiis quid ei rursùm retribuam? Qui totum dedi, quid ulteriùs impendere habeo? Calicem salutaris accipiam, & Nomen Domini invocabo. Quid est calicem accipiam? Anima mea desiderabit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Nomen Salvatoris mei, nomen à sæculis absconditum, sed in fine seculorum revelatum: Nomen mirabile, Nomen ineffabile: Nomen inæstimabile, imò eò mirabilius, quò inæstimabilius: eò magis gratum, quò gratuitum. Hoc inquam Nomen non iam vivente me labiis meis laudabo, sed iam non vivente me, vivente verò in me Christo; sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: ut non solùm exterioribus sed & interioribus labiis invocem nomen Domini. Quicunque enim non vocaverit, sed invocaverit nomen Domini salvus erit. Non solùm autem Nomen, sed & memoriale Passionis eius semper sit in desiderio animæ meæ, ut Passionis eius particeps efficiar, si quo modo cognoscere potero sicut & agnitus sum.

CAPUT XII.

De Verbis Angeli annuntiantis MARIAE JESUM fore Magnum.

Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. *Lucæ* I.

I. *Benè*

r Ser. de verbis Sapientiæ n. 4. tom. 6. p. 769.

1. Benè magnus, quia Filius Altissimi vocabitur. 2. Verba Angeli exponuntur: Hic erit magnus secundùm humanitatem, qui est magnus ab æterno secundùm Divinitatem. 3. De Divinitate & Humanitate Christi simul sumpta.

1. Audiamus (s) quid idem Angelus sentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait namque: Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Benè magnus, qui Filius Altissimi merebitur appellari. An non magnus, cujus magnitudinis non est finis? Et quis magnus (ait Psalmista) sicut Deus noster? Planè magnus, qui tàm magnus quàm Altissimus, quia & ipse Altissimus. Neque enim Altissimi Filius rapinam arbitrabitur esse se æqualem Altissimo. Ille meritò arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cùm de nihilo in Angelicam formam factus fuisset, Factori suo se comparans, usurpavit sibi quod Filii Altissimi proprium est, qui utique in forma Dei à Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus Pater quamvis Omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere Filium. Fecit itaque Angelum magnum, sed nõ quantus ipse: & ideò nec altissimum. Solum autẽ Vnigenitum, quem nõ fecit, sed genuit Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum, Æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec iniuriam. Rectè ergo hic erit magnus, qui Filius Altissimi vocabitur. Verbum est veritas (t) est sapientia, est justitia: & hæc imago. Cujus? justitiæ, sapientiæ, & veritatis. Est enim imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Legimus quia Deus hominem rectum fecit, quòd & magnum, capacitas æternorum probat. Oportet namque id quod ad imaginem est, cum imagine convenire, & non in vacuum participare nomen imaginis, quemadmodum nec imago ipsa solo vel vacuo nomine vocitatur. Habes verò de eo qui imago est, quia cùm in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Vbi tibi utique ejus & in forma Dei innuitur rectitudo, & in æqualitate Majestas, ut, dum rectitudini rectitudo, & magnitudo magnitudini comparatur, conso-

s Serm. 3. super missus num. 12. t Serm. 80. in Cant. num. 2.

nanter sibi altrinsecùs respondere appareat quod ad imaginem est, & imaginem: sicut imago quoque nihilominus in utroque respondet illi cujus imago est. Nempè ipse est, de quo Sanctum David audistis in Psalmis canentem, nunc quidem: Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: nunc verò, Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Adhuc unum attende (u) in quo imago non parùm eminet. Magnum, & rectum, ista duo naturâ à sese discrepare quis nesciat? In imagine unum sunt. Neque hoc solùm, unum sunt & cum imagine. Imagini enim non modò id rectum est esse, sed etiam id magnum, rectumquè esse, quod esse Animæ non ita. Et magnitudo ejus & rectitudo ipsius diversæ ab ea, diversæ abinvicem sunt. Recedant à nobis (x) recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem quâ magnus est Deus, & item bonitatem quâ bonus, sed & sapientiam quâ sapiens, & justitiam quâ justus, prostremò Divinitatem quâ Deus est: Deum non esse impiissimè disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed Divinitas non est Deus. Forsitan non dignatur Deus esse quæ tanta est ut faciat Deum. Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse. Sed ne nihilum quidem (ut opinor) dabis, quam usque adeò necessariam Deo esse fateris, ut non modò absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. Quod si aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, quâ Deus est? Restat ut aut majorē fatearis, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque catholicus refugit sensus. Jam de magnitudine, bonitate, justitia, sapientiaquè, idem per omnia, quod de Divinitate, sentimus, unum in Deo sunt & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus: nec aliunde justus aut sapiens, quàm unde magnus & bonus: nec aliundè denique simul hæc omnia est, quàm unde Deus, & hoc quoque nonnisi seipso. Sed dicit hæreticus: Quid? Deum Divinitate esse negas? Non, sed eandem Divinitatem quâ est, Deum nihilominus assero, nè Deo excellentius aliquid esse assentiar. Nam & magnitudine dico

u Ibidem num.3. x Ibidem num.6. & 7.

dico magnum, ſed quæ ipſe eſt, nè majus aliquid Deo ponam: & bonitate fateor bonum, ſed non aliâ, quàm ipſe eſt, nè melius ipſo aliquid mihi videar inveniſſe: & de cœteris in hunc modum. Princeps eſt CHRISTUS (*y*) & magnus Princeps, cujus ne ipſi quidem dæmones poſſunt effugere principatum. Credunt quidem (*z*) & contremiſcunt, ſed timor non eſt in charitate. CHRISTUS DOMINUS (*A*) mons eſt, mons coagulatus, & mons pinguis. Mons eſt ſublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Et nunc vide quomodo trahat ad ſe omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate ſubſtantiali, perſonali, ſpirituali, Sacramentali. Habet in ſe Patrem, cum quo eſt una ſubſtantia: habet aſſumptum hominem, cum quo eſt una perſona: habet adhærentem ſibi fidelem animam, cum qua eſt ſpiritus unus: habet ſponſam Eccleſiam unam omnium Electorum, cum qua eſt caro una. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuiſſe videbitur, ſed Sacramentum dicere malui, digniùs hoc vocabulum arbitrans, præſertim occaſionem dante Apoſtolo ubi ait: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in CHRISTO & Eccleſia. Pinguiſſimus planè & uberrimus mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: ſiquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Mons cœleſtium aromatum, mons chariſmatum ſpiritualium, non ad menſuram accipiens ſpiritum, ſed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt: in quo tota Humanitatis veritas, tota Divitatis inhabitat plenitudo: excelſus & immenſus: in quo omnia reſtaurantur quæ in cœlis & quæ ſuper terram, ut ſit Deus omnia in omnibus. Nempe (*b*) vox ejus eſt: Cœlum, & terram ego impleo.

2. Sed quare (*c*) ait Angelus, *hic erit*, & non potiùs eſt magnus, qui ſemper æqualiter magnus, non habet quo creſcat, nec major poſt conceptum futurus ſit, quàm ante vel ſit, vel fuerit? Studioſis mentibus (*d*) Verbum Sponſus frequenter apparet, & non ſub una ſpecie. Quid ita? Profectò quo-

y *Serm. 33. de diverſ. num. 7.* z *Tract. de off. & mor Epiſc. cap. 4. num. 15.* A *Serm. 33. de diverſ. num. 8.* b *Serm. 1. de Adv. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 599.* c *Serm. 3. ſuper miſſus num. 13.* d *Serm. 31. in Cant. num. 1.*

niam non dum videtur ſicut eſt. Nempè illa viſio ſtat, quia forma ſtat quæ tunc videtur. Eſt enim, nec ullam capit ex eo quod eſt, fuit, vel erit, mutationem. Tolle nempe *fuit*, & *erit*, unde jàm tranſmutatio aut viciſſitudinis obumbratio? Aut quidquid veniens ex eo quod *fuit*, non ceſſat tendere in id quod *erit*, tranſitum ſanè habet per *eſt* ſed omninò non eſt. Nam quomodo eſt, quod nunquam in eodem ſtatu permanet? Solum proinde verè eſt, quod nec à *fuit* præciditur, nec ab *erit* expungitur: ſed ſolum atque inexpugnabile remanet ei *eſt*, & manet quod eſt. Nec *fuit* ſanè tollit illi eſſe ab æterno, nec *erit* eſſe in æternum: ac per hoc ſibi vendicat verum eſſe, ideſt increabile, interminabile, invariabile. Cùm igitur ipſe qui ſic eſt, imò qui non ſic aut ſic eſt, videtur ſicuti eſt, ſtat ut dixi illa viſio, quia nulla eam interpolat viciſſitudo. Dominus Deus noſter (*e*) Deus unus eſt: non poteſt variari, non poteſt mutari, dicente David: Tu ſemper idem es, & anni tui non deficient. Hic tamen Deus noſter æternus, intemporalis, incommutabilis, in noſtra factus eſt natura mutabilis & temporalis: ut mutabilibus ad ſuam æternitatem & ſtabilitatem, viam faceret eam, quam pro nobis aſſumpſit mutabilitatem: ut in uno eodemquè Salvatore noſtro & via eſſet quâ aſcenderemus, & vita ad quam veniremus, & veritas qua frueremur, ſicut ipſe ait: Ego ſum via, veritas, & vita. Magnus itaque Dominus in ſua natura perſiſtens, parvulus natus eſt ſecundùm carnem. Et fortè propterea (*f*) Angelus dixit, *erit*: quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit. Benè ergo *hic erit magnus*. Magnus homo, magnus doctor, magnus Propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. Et à minori quodam Propheta, magnus itidem Propheta venturus promittitur: Ecce, inquit, veniet Propheta magnus, & ipſe renovabit Hieruſalem. Nec te moveat (*g*) quod de illo legis in alio loco: Jeſus autem proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Nam quod de ſapientia & gratia hic dictum eſt, non ſecundùm quod erat, ſed ſecundùm quod apparebat, intelligendum eſt: non quia videlicet aliquid ei no-

vum—

e Tract. de Ieſu puero duod. num. 11. tom. 6. pag. 635. *f Serm. 3. ſuper miſſus nu. 13.* *g Serm. 2. ſuper miſſus num. 10.*

vum accideret,quòd ante non haberet:ſed quòd accidere videretur,quando volebat ipſe ut videretur. Neque enim (*h*) minùs habuit ſapientiæ,vel potiùs nõ minor fuit ſapientiâ JESUS conceptus, quàm natus, parvus, quàm magnus. Et tu quidem ò Virgo (*i*) parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis: ſed videns parvulum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conſpectu Regum,adeo ut adorent eum omnes Reges,omnes Gentes ſerviant ei. Magnificet ergo & anima tua Dominum, quia hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Magnus erit, & magna faciet tibi qui potens eſt,& ſanctum nomen ejus.Quod enim ſanctius nomen,quàm quod Filius Altiſſimi vocabitur? Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus eſt parvulus. Parvulus(ait Eſaias) natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Nobis, inquam, non ſibi, qui utique ante tempora multò nobiliùs natus ex Patre, naſci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis neceſſarius. Propterea (*k*) qui delectatio eſt & gloria Angelorum, ipſe factus eſt ſalus & conſolatio miſerorum: quia in civitate ſua magnus & ſublimis valdè beatificat cives: ipſe in exilio parvulus & humilis valdè lætificat exules: qui in altiſſimis eſt gloria Patris, factus eſt in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Parvulis enim datus eſt parvulus, ut magnus detur magnis: & quos juſtificat parvulus, magnificet poſtmodùm & glorificet magnus & glorioſus. Apparuit (*l*) in parvulo gratia ad eruditionem: Sed hic erit magnus, ſicut de eo Gabriel locutus eſt: & quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis & manſuetudinem, magnificabit poſtmodùm & glorificabit magnus & glorioſus adveniens JESUS CHRISTUS Dominus noſter. Egredimini filiæ Sion (*m*) & videte Regem Salamonem. Non dicit Eccleſiaſtem, aut Ididan. Nam & his nominibus appellatus eſt Rex ille: & ſignificat JESUM CHRISTUM noſtrum verum Salamonem, qui eſt Salamon, ideſt pacificus in exilio: Eccleſiaſtes, ideſt Concionator

in

h *Ibidem num.9.* i *Serm.3.ſuper miſſus num.13.* k *Serm.4.in vig. Nat. Domin. num.1.* l *Serm.4.in Nat.Dom.num.3.* m *Serm.50.de div. num.1.*

in judicio: Idida, ideſt dilectus Domini in regno. Ubique Rex. In exilio rector morum, in judicio diſcretor meritorum, in regno diſtributor præmiorum. In exilio manſuetus, in jucio juſtus, in regno glorioſus. In exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis. Ipſe eſt leo *(n)* de tribu Juda, de quo & additur, Catulus leonis Juda: ad predam (inquit Eſaias) fili mi aſcendiſti. Magnus prædator CHRISTUS, qui priuſquam ſciat vocare patrem aut matrem, Samariæ ſpolia diripit. Magnus prædator CHRISTUS, qui aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem: nec tamen abſtulit quidquam, ſed magis ipſe dedit dona hominibus.

3. Et Filius Altiſſimi vocabitur. Cum Apoſtolo ſtupente *(o)* & admirante intuemini & vos, quantus ſit iſte qui ingreditur: ipſe enim eſt ſecundùm Gabrielis teſtimonium Altiſſimi Filius, ac proindè coaltiſſimus ipſe. Neque enim fas eſt Dei Filium degenerem ſuſpicari: ſed æqualis fateri neceſſe eſt altitudinis, & ejuſdem penitùs dignitatis. Parvulus quidem *(p)* datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Poſtquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo divinitatis. Commendant nobis ſacræ literæ *(q)* Chriſtum Dominum & ex Patre, & in Patre, & à Patre, & pro Patre, & etiam ſub Patre. Quòd dicitur, *ex Patre*, ineffabilis eſt nativitas: quòd *in Patre*, conſubſtantialis unitas: quòd *cum Patre*, æqualitas majeſtatis. Sanè tria hæc ab eterno. Cæterùm ſi ex Patre naſcens, quid in Patre, aut cum Patre? Non incongruè forſitan in Patre cubans, cum Patre ſedens dicatur. Et audite conſeſſus & hujus accubitus rationem. Sicut enim ſeſſio majeſtatem, ſic conſeſſio æqualem exprimit majeſtatem, præſertim cùm ſit ei Sedes à dextris Patris, non ſanè ſub pedibus, vel quaſi à tergo. Et ſedere quidem jam quieſcere eſt, ſed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius eſſe videtur Filio, quòd in Patre eſt, an quòd cum Patre omnibus præeſt? In quo putas horum ſumma illa pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, & ſingularis requies Domini competentiùs aſſignetur? Et ſi dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forſitan piè concipitur: ut ſalva

va

---

n *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 4.* o *Serm. 1. de Adv. Dom. num. 2.* p *Serm. 1. in Epiph. num. 2.* q *Serm. 5. de verb. Eſa. num. 1.*

va quidem in omnibus illius indivisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem, & substantiæ unitatem, velut similis quædam ei, quæ inter consessum & acubitum est, cogitari posse distinctio videatur. Denique (r) parùm videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari: Indica mihi, ait, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie. Sed & animæ omni quæ sanum sapit, dulciùs sapit per omnem modum quod Apostolus ait: Qui adhæret Deo unus spiritus est: quàm quod Apostolis dicitur: Cùm sederit Rex in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes: haud minùs utique jucundior sessione cubatio. Ego in Patre (ait Filius) & Pater in me est. Non potuit expressiùs substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet nihil interius cogitari, simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Jam verò (s) quòd dicitur, *à Patre*, ambulantem significat, & ad Incarnationis ejus adventum spectat. Hinc nimirum & ipse ait: Ego enim à Deo processi & veni. In terris denique visus, & cum hominibus conversatus medius nostrûm quem nesciebamus, stetit, verus quidem Emmanuel, nobiscum Deus, nobiscum stans, sed *pro Patre*. Quòd enim nobiscum stetit, adiutorium: quòd pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Cæterùm si pendentem consideres, si Christum & hunc Crucifixum attendas, ibi maximè evidentissimeque eum *sub Patre* reperies: hoc enim propriè ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, secundùm quam ipse ait: Pater major me est. Dicerene audebimus quòd aliquando etiam fuerit *sine Patre*? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quasi quædam enim ibi derelicto fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis. Habemus itaque Christum ex Patre *nascentem*, in Patre *cubantem*, cum Patre *sedentem*, à Patre *ambulantem*, pro Patre *stantem*, sub Patre *pendentem*, sine Patre quodammodò *morientem*. De lignis Sethim (t) condita est Arca Testamenti, in qua thuribulum, manna, & virga sunt re-

r *Ibidem num.2.* s *Ibidem num.3. & 4.* t *Serm. de B. M. Deip. n. 11. tom. 6. pag. 766,*

recondita. Thuribulum ſacroſanctum carnem ſignificat Salvatoris: quæ aurea dicitur, quia nullius poſſa eſt detrimentum pudoris: Agnus ſcilicet ſine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; de quo per propheticum dicitur eloquium: Ecce puer meus electus, poſui ſuper eum ſpiritum meum. Carbones Thuribuli, ſunt opera Jesu Chriſti. Carbones iſti aliquando mortui, quandoque ſunt ignei: quia in Salvatore noſtro nunc propria tolerabat Humanitas, nunc propria faciebat Divinitas. Ignis in carbone, Divinitas eſt igneſcens in opere. Ignis in prunis, evidens eſt indicium Divinitatis. Carbo mortuus, in præſepe jacens: igneus, dæmonia eijciens. Mortuus, in Ægyptum fugiens: igneus, vendentes & ementes columbas de templo ejiciens. Mortuus, dormiens in navi: igneus, imperans ventis & mari. Mortuus, ſubditus parentibus: igneus; quatuor ſatians hominum millia de ſeptem panibus. Mortuus, ad puteum Jacob rogans potum: igneus, circa Hiericò illuminans cæcum, & ſanans leproſum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur: igneus, dum ei ab Angelis miniſtraretur. Mortus in proditione diſcipuli: igneus in filio Reguli. Sopitus ante Præſidem: igneus circa Tyberiadem. Sopitus, dum ei Herodes illuderet: igneus, dum mortuorum ſuſcitator magnificus fieret. Sopitus, dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur: igneus, dum ab eo decem leproſi mundarentur. Sopitus, dum à Judæis ſe abſconderet: ſopitus, dum cum puplicanis & peccatoribus ederet. Igneus, dum ambularet ſuper undas: igneus, dum ex aqua facta vino lætificaret convivas. Sopitus, jacens in cunabulis: igneus, fulgens in miraculis. Sopitus ante tribunal Præſidis: igneus in filia Chananitidis. Sopitus in cruce: igneus in monte. Prunæ ergo mortuæ, erant Humanitatis opera: ignitæ, Divitatis miracula. Nunc clarificatus eſt filius hominis: *(u)* & benè filius hominis, & non hominum: quia ſine virili ſemine de pura & intemerata Virgine natus, de Patre ſine matre in cœlis eſt genitus. Cujus Mater eſt Virgo, cujus Pater fœminam neſcit. Iſte inquam filius hominis valdè clarificatus eſt: quia quidquid Filius Dei habuit per naturam, filius hominis habet per gratiam.

u Serm.4.in ult.Cœna num.27.tom.6.pag.665.

tiam. In isto filio hominis, MARIÆ scilicet Virginis, clarificatus est Deus. In quo est clarificatus? In salute languidorum, in illuminatione cæcorum, in resurrectione mortuorum, & in omnibus operibus suis: Patris sui semper faciens voluntatem. Et Deus clarificavit eum in semetipso, quia unus Deus cum Patre, una divinitas, una majestas: & hæc clarificatio est ab æterno. Hanc clarificationem morti appropinquans secundũ quod homo, à Deo Patre sibi dari postulabat, cùm dicebat: Patèr clarifica me apud temetipsum, claritate, quam habui priusquàm mundus fieret. Claritatem namque quam habebat secundùm quod Deus, volebat habere secundùm quod homo: ut humana natura Verbo unita, quæ tunc erat passibilis & mortalis, citò fieret impassibilis & immortalis. Quod tamen (x) eum petiisse senserim non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur quod in potestate petentis accipere est. Dispesatoria Filii petitio est, non necessaria: quippe donantis cum Patre quidquid à Patre acceperit. Rectè ergo (y) hic erit magnus, qui Filius Altissimi vocabitur. Quod enim sanctius nomen, quàm quòd Filius Altissimi vocabitur. Non est dubium (z) quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursùm cùm Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus. Nam si juxtà Salamonem, Filius sapiens gloria est Patris: quantò magis gloriosum est Matrem ipsius effici Sapientiæ.

CAPUT XIII.

De verbis Angeli annunciantis MARIAE JESUM possessurum regnum David, & domum Jacob.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1.

x *Serm.* 76. *in Cant. num.* 3. y *Serm.* 3. *super missus num.* 12. & 13. z *Serm.* 4. *super missus num.* 1.

1. Sedes David interpretatur Regnum cœlestis Hierusalem. 2. Domus Jacob significat domum spiritualem, scilicet animas perfectorum, in quibus regnat JESUS nunc quidem per gratiam, in æternum per gloriam. 3. De gloria electorum, & æternitate regni eorum, quam habebunt post resurrectionem corporum.

1. ET dabit illi (*A*) Dominus Deus sedem David patris sui. Verba sunt Angeli ad Virginem de promisso filio, promittentis quòd debeat possidere regnum David. Quòd de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quæro autem quomodò dederit ei Deus sedem David patris sui, cùm ipse in Hierusalem non regnaverit? quinimo turbis eum volentibus constituere Regem, non acquievit: sed & ante faciem Pilati protestatus fuit, dicens: Regnum meum non est de hoc mundo. Denique quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super solium excelsum & elevatum, sedere in throno David patris sui? Sed novimus quandam aliam Hierusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multò istâ nobiliorem, multò ditiorem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpe reperis in scripturis significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem David patris sui, quando constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed hîc Propheta de quo regno dixerat, expressiùs aperuisse videtur in eo, quòd non in Sion posuit, sed super Sion. Nam ideò fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David, super Sion verò regnum est illius, de quo dictum est ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. De quo & dictum est per Esaiam Prophetam: Super solium David & super regnum ejus sedebit. Vides quia ubique reperis, *super*: *super Sion, super sedem, super solium, super regnum*. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram: non temporalem, sed æternam: non terrenam, sed cœlestem. Quæ idcirco (ut jam dictum est) memoratur fuisse David, quia hæc, in qua tempora-

A *Serm. 4. super missus num. 1.*

poraliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem. Enimvero (*b*) disce ex his quæ audis, Solium non machinam imaginari corpoream, sed Angelicam intelligere creaturam. Si enim sedes est Sapientiæ anima justi, quàm dignior sedes, Angeli sancti! Hoc planè Solium gloriæ ejus excelsum per naturam, sed multò magis per gratiam elevatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis, elevatos gratia confirmationis, de qua dicitur: Verbo Domini cœli firmati sunt. Porrò quid putamus (*c*) quale est Solium istud, fratres? Neque enim Altissimus in manifestis & manufactis inhabitat. Nulla omninò materia corporalis apta tanto Solio, tanto habitatori videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera & æterna vita sua inhabitare dignetur. Quòd si minùs tanto ædificio sufficit Angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio, suscitet certè de terra inopem, & Solium gloriæ compleat. Et fortassis propterea Esaias qui vidit non modò excelsum Solium, sed & elevatum quoque describit, ut proinde & Angelorum stabilis celsitudo, & hominum misericors elevatio designetur. Licet autem (*d*) regnum JESU Christi non sit de hoc mundo, tamen Rex est etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem: Ergo Rex es tu? Ego, inquit, in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum. Magi (*e*) Hierosolymam venerunt ab Oriente. Meritò sanè ab Oriente venerunt, qui Solis justitiæ novum nobis ortum annunciant, & lætis rumoribus totum mundum illuminant. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus: Vbi est qui natus est Rex Judæorum? Quàm certa fides, & nihil penitùs hæsitans. Non quærunt utrum natus sit, sed fiducialiter loquuntur, & interrogant sine dubitatione, ubi sit qui natus est Rex Judæorum? Porrò audito nomine Regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Sed (*f*) agnitus est à Magis. Nam quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solùm Deum, sed & Regem agnoscunt, quod designatur in auro. Nec dulciùs (*g*) nec amabiliùs, sed nec arctiùs omninò Regnum Sacerdotiumquè conjungi seu

b *Serm.5.de verbis Esaiæ num.5.* c *Serm.1.de verbis Esaiæ num.3.* d *Serm.2. in Epiph.Dom.num.2.* e *Serm.3.in Epiph.Dom. num.3.* f *Serm.2. in Epiph. Domin. num.1.* g *Epist.243.*

complantari invicem potuerunt, quàm ut in persona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpotè qui factus est nobis ex utraque tribu secundùm carnem summus & Sacerdos & Rex. Denique venturas aliquando turbas (*h*) ut raperent & eum facerent Regem, fugiens legitur declinasse. Postea verò etiam non quæsitus affuit, ut tanquam Rex Israel susciperetur, & prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipsa præconia eorum animos (quod dubium non est) excitavir. Meritò quoque (*i*) titulum regni Præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Iudæus (ut voluit) corrumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam passionem, & nostram Redemptionem: Descendat, inquiunt, si Rex Israel est. Immò verò quia Rex Israel est, titulum regni non deferat: Virgam imperii non deponat, cujus nimirùm imperium super humerum ejus, sicut præcinit Esajas. Noli (inquiunt Judæi ad Pilatum) noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Et Pilatus ait: Quod scripsi, scripsi.

2. Et regnabit (*k*) in domo Jacob in æternum. Hîc quoque si domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Jacob in qua regnat in æternum, cujus regni non erit finis. An non denique domus illa Jacob exasperans impiè abnegavit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati? quando illo perhibente, Regem vestrum crucifigam? Uno ore respondendo clamavit: Non habemus Regem nisi Cæsarem? Require itaque Apostolum, & discernet tibi eum qui in occulto Judæus est, ab illo qui in manifesto: & quæ in spiritu est circumcisionem, ab ea quæ fit in carne: & spiritualem Israel à carnali, & filios fidei Abrahæ à filiis carnis. Non enim (inquit Apostolus) omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, hi filii. Sequere ergo & dic: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi sunt in domo Jacob. Jacob quippe ipse est, qui Israel. Solos igitur, qui in fide Jacob perfecti inveniendi sunt, reputa in domo Jacob, vel potiùs ipsos noveris fore spiritualem & æternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in æter-

h *Serm. 3. in Dom. Palm. num. 1.* i *Serm. 1. in die Paschæ num. 2.*
k *Serm. 4. super missus num. 2.*

æternum. Quis ex nobis est qui iuxta interpretationē nominis Iacob, supplantet diabolū de corde suo, luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis: ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, in æternum per gloriam? Nisi quis fortè *(l)* cùm Deum per Prophetam dixisse legit, Cœlum mihi sedes est: Cœlum hoc volubile visibilequè intelligendum existimet, & non potiùs illud, de quo alibi apertiùs scriptura commemorat: Anima, inquiens, iusti sedes est Sapientiæ. Qui autem ex doctrina sapit Saluatoris, spiritum esse Deum, atque in spiritu adorandum: etiam sedem ei non ambigit assignare spiritualem. Ego verò fidenter id dixerim, non minùs in hominis iusti, quàm in Angelico spiritu. Confirmat me in hoc sensu maximè illa fidelis promissio: Ego (ait Filius) & Pater ad eum (idest ad sanctum hominem) veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Prophetam quoque non de alio dixisse cœlo arbitror: Tu autem in sancto habitas laus Israel. Manifestè autem Apostolus dicit habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Nec mirum si libenter inhabitat Cœlum hoc Dominus Iesus, quod utique non quomodo cœteros dixit tantùm ut fieret, sed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret. Ideò & post laborem voto potitus ait: Hæc requies mea in seculum seculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam. Et beata cui dicitur: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. O quanta *(m)* illi animæ latitudo, quanta & meritorum prærogativa! quæ Divinam in se præsentiam & digna invenitur suscipere, & sufficiens capere. Quid illa cui & spatia suppetunt, & deambulatoria ad opus quidem maiestatis? Deinde necesse est eam crescere ac dilatari ut sit capax Dei. Porrò latitudo eius, dilectio eius, sicut dicit Apostolus: Dilatamini in charitate. Nam etsi anima minimè cùm sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tamen confert illi gratia quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter. Crescit non in substantia, sed in virtute. Crescit & in gloria. Crescit etiam in templum sanctum in Domino. Crescit denique & proficit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ergo quan-

l Serm. 27. in Cant. nu. 8. & 9. m Ibidem num. 10.

quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet, ut, verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit: quæ parum, parva: quæ verò nihil, nihil, dicente Paulo; Si charitatem non habuero, nihil sum. Deus *(n)* à rationalibus omnibus creaturis quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Si vultis esse participes & vos *(o)* nolite ulteriùs evagari in exterioribus, diffusi in vanitates & insanias sæculi: sed reversi ad vos intrate ad cor vestrum, ubi sine dubio regnum Dei est. Regnum enim eius intra vos est. Hoc est *(p)* non exteriùs in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Porrò *(q)* quid est hoc regnum? Sana & libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit, quod sciat ei displicere: nihil nolit, quod sciat ei non placere. Et hoc est *(r)* quod quotidie petimus in oratione, cum dicimus Deo: Adveniat regnum tuum. Regnum hoc necdum ex toto pervenit in nos: quotidie tamen paulatim adventat, sensimquè in dies magis ac magis dilatat terminos suos in his duntaxat, quorum per Dei adiutorium interior homo renovatur de die in diem. Inquantùm ergo regnum gratiæ dilatatur, in tantum peccati potestas minuitur. In quantùm verò minus est adhuc propter corpus mortis quod aggravat animam, & ob necessitatem terrenæ inhabitationis utique deprimentis sensum multa cogitantem: necesse etiam habent qui perfectiores in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere: In multis offendimus omnes. Et, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quapropter orant & ipsi sine intermissione dicentes: Adveniat regnũ tuũ. Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum non solùm nõ regnet in eorum mortali corpore: sed nec sit omnino, nec esse possit in immortali corpore. Veni interim Domine Iesu *(s)* aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & ven-

---

n *Serm. 3. super missus num. 4.* o *Epist. 385. nu. 5.* p *Tract. de Vita & Mor. Relig. cap. 6. num. 15.* q *Epist. 385. num. 5.* r *Tract. de Grat. & lib. arbitr. cap. 4. num. 12.* s *Serm. 4. super missus num. 2.*

& vendicat in me sibi sedem: jactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in meipso de meipso, cujus ego potissimùm esse videar. Ego autem quantùm valeo resistò, renitor quantùm juvor; Dominum meũ Iesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. Tu es (t) rector morum, in judicio discretor meritorum, in reg no distributor præmiorum.

3. Et regni eius non erit finis. Regnum Dei (u) homines sunt iusti. Beati (x) in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium. De cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua! Nonne (y) hoc universus mundus expectat? Creatura enim subjecta est vanitati: & cadente homine, quem constituerat Dominus dominũ domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, tota simul hæreditas corrupta est. Nec sanè reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes. Unde & juxta Apostoli testimonium, ingemiscit quoque & parturit usque adhuc. Nec soli utique huic mundo, sed & Angelis & hominibus spectaculum facti sumus. Me (inquit David) expectant *justi* donec retribuas mihi. Et *Martyres* cùm judicii diem postularent non tanquam vindictæ cupidi, sed per-

t *Serm. 2. in Epiph. Dom. num. 2.* u *Serm. 6. in vlt. Cœna num. 41. tom. 6. pag. 673.* x *Serm. 4. super missus num. 2.* y *Serm. 2. in Vigil. Nativ. Dom. num. 4. & 5.*

perfectionem desiderantes beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum: Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Acceperunt ergo iam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus: Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. O si coguosceremus & nos quomodo expectant, & quantùm desiderant adventum nostrum, quàm sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis! Quid tamen de his loquor (z) qui dedicerunt ex his quæ passi sunt, compassionem: quando & ipsi nos *Angeli* Sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis, & de puluere isto restaurandi sunt muri cœlestis Hierusalem? Putatis quantùm desiderant Cives Cœlestes instaurari Civitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Festinemus obsecro, dilectissimi, festinemus, tota nos multitudo Cœlestis Curiæ expectat. Currite fratres, currite: Non soli Angeli, sed & ipse Angelorum vos *Creator* expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena domus: adhuc expectantur, de quibus nuptiæ impleantur. Expectat vos *Pater* & desiderat, non solùm propter nimiam charitatem suam qua dilexit vos:(Unde & Vnigenitus, qui in sinu Patris est, ipse enarravit: Pater, inquiens, amat vos.) sed propter semetipsum, sicut loquitur per Prophetam Ezechielem: Propter memetipsum ego faciam, non propter vos. Quis enim implendum dubitet quod promisit Filio, dicens: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatẽ tuam? Et de quo Propheta David (*A*) ait: Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ? Tuam, inquit, hæreditatem (*b*) tuamquè possessionem dabo tibi. Quomodo dabis ei, si sua est? Et quomodo suam mones ut postulet? Mihi pro-

---

z *Ibid. in num. 6. & 7.* A *Lib. 3. de Consid. cap. 1. num. 1.*
b *Serm. 28. in Cant. num. 3.*

proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut suscipiat causam. De *Filio* (c) quis nesciat, quantùm desideret fructum nativitatis, & totius vitæ quam gessit in carne, denique fructum Crucis & mortis suæ, pretium sanguinis pretiosi? Nonne traditurus est regnum Deo & Patri, quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras? Expectat nos & *Spiritus Sanctus*. Est enim charitas & benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium quin prædestinationem suam velit impleri. Ergo quia paratæ sunt nuptiæ, & omnis nos Curiæ Cœlestis frequentia desiderat & expectat, curramus non quasi in incertum, curramus desideriis & profectu virtutum. Proficere, proficisci est. Dicamus singuli: Adveniat (d) regnum tuum, ut maiestate tua sicut cœlum repletur, repleatur & terra. Replebitur maiestate eius omnis terra, quando iam voluntatis eius transgressio nulla erit. Magis autem quando creatura ipsa liberabitur à servitute corruptionis hujus, propter quam ingemiscit & parturit usque adhuc. Erit enim cœlum nouum, & terra nova: ut quaquà verteris oculos, in ipsa tibi rerum facie Divina videatur quodammodò resplendere Majestas. Replebitur inquam omnis terra nostra Domini Majestate, quando resurrectionis gloriâ vestietur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. Salvatorem siquidem expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Oremus proinde (e) ut adveniat regnum Domini, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas. Ubi nimirum nobis in nobis & felix securitas & secura felicitas fuerit, in eum qui super nos est, tota jam spiritus vehementiâ rapiemur. Ait (f) Propheta in Psalmo: Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, idest, dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impii, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: Adveniat regnum tuum. Vt quid enim

S prin-

c *Serm. 2. in Vig. Nativ. Dom. num. 7. & 8.* d *Serm. 2. de verb. Esai. num. 1. & 2.* e *Serm. 6. in Quadrages. num. 5.* f *Serm. 4. sup. Psal. 90. num. 3.*

(*g*) princeps hujus mundi tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impii? Sed & hæc est hora ejus,& potestas tenebrarum. Erit certè quando qui in cœlo locum non habuerit, & ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur, miser cavernis utique subterraneis recludendus. Nulla jam tunc tentandi facultas erit, inquietandi nulla libertas, possibilitas nulla nocendi. Princeps est Christus (*h*) & magnus princeps, cujus nè ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur. Hujus regnum integrum atque perfectum, & regni ejus non erit finis. Longitudine, inquit, dierum (*i*) replebo eum,& ostendam illi salutare meum. Unde Paulus ait: Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Ipsa est quæ hoc loco promittitur, plenitudo ipsa longitudo dierum. Quid enim tam longum, quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis, qui finem non habet. Et sanè cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis ejus vita sine fine. Sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. Superest (*k*) ut perseverantiæ studeamus. Hæc enim vitæ consummatio est, & testimonium habet æternitatis. Imago siquidem æternitatis divinæ, perseverantia est conversationis nostræ: ut quomodo ipse est, ita & nos simus in hoc seculo, incommutabilitatem illam pro modulo possibilitatis nostræ imitantes. Quis sustinet (*l*) & perseverat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem præsefert. Denique sola est cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem, hic saluus erit. Ubi verò (*m*) intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet securè quisquis eiusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem. His enim (*n*) quasi duobus animæ brachiis, intellectu videlicet & amore, idest cognitione & dile-

g *Serm.3.de verb.Esa.n.1.* h *Serm.33.de div.n 7.* i *Serm.17.sup.Psal.90.n.1.* k *Serm.111.de div.n.7.* l *Lib.5.de considerat.cap.14.n.31.* m *Serm.4.de verb.Esa.num.2.* n *Epist.18.num.3.*

dilectione veritatis, amplectitur & comprehenditur cum omnibus Sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, hoc est æternitas, charitas, virtus, & sapientia. Et hæc omnia Christus. Æternitas est, quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti JESUM Christum. Hæc (o) est tam longa, ut non habeat terminum non magis loci, quàm temporis. Ibi (p) verè vivitur, ubi vivida vita est & vitalis. Ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Vbi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit. Longitudine (q) dierum replebo eum. Ac si manifestiùs dicat: Scio quid desideret, scio quid sitiat, quid sapiat ei. Non ei aurum vel argentum sapit, non voluptas, non curiositas, non dignitas aliqua sæcularis. Omnia detrimentum facit, omnia aspernatur & arbitratur ut stercora. Exinanivit penitùs semetipsum, nec se ex his patitur occupari, quibus novit se non posse repleri. Itaque longitudine replebo eum, quē nisi lux vera reficere, nisi æterna replere non potest. Siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de satietate. Et ostendam illi salutare meum. Nimirum extunc videre merebitur quod optavit, cùm sibi Rex gloriæ gloriosam exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam ob splendorem diei, sed neque rugam ob omnimodam plenitudinem sui. Quando ergo (r) vel fastidiet aviditas, vel se subtrahet suavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod si in æternum extenditur videndi copia pariter & voluntas: quomodò non plena felicitas? Nihil quippe aut deest iam semper videntibus, aut superest volentibus. O verè felix (s) & gloriosa satietas! O sanctum convivium! ò desiderabiles epulæ! ubi nimirùm anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desideriū. Quis non illic (t) vehementer cupiat pasci & propter pacem & propter adipem, & propter satietatem? nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio, *Paradisus*:

S 2 dul-

o *Lib. 5. de consiterat. cap. 13. num. 28.* p *Serm. 17. super Psa m. 90. num. 1.*
q *Ibidem num 6.* r *Serm. 31. in Cant. num. 1.* s *Serm. 1. in fest. omn. SS. n. 11.*
t *Serm. 33. in Cant. num. 2.*

dulce pabulum, *Verbum*: opulentia multa nimis, *Æternitas*. Festinemus proinde, (*u*) festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suaviorem, ad uberiorem & fertiliorem agrum. Festinemus, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio.

CAPUT XIV.

De verbis MARIÆ requirentis ab Angelo modum concipiendi.

Dixit autem MARIA ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te.

Luc. 1.

1. *Verba MARIÆ requirentis modum concipiendi, indicant immobile Virginitatis ejus propositum, & prudentiam.* 2. *Spiritus Sanctus nunciatur superventurus in MARIAM, ut in ea, in qua ante spiritualiter habitabat, etiam corporaliter habitare incipiat.* 3. *De Adventu spirituali in animam Deo devotam, & fructu illius.* 4. *De indiciis & signis, quibus ab anima deprehendi possunt visitationes Dei, quæ fiunt ad animam sanctam.*

1. DIXIT autem MARIA (*x*) ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Primò quidem prudenter tacuit, cùm adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio: malens nimirùm humiliter non respondere, quàm temerè loqui quod nesciret. Iam verò confortata & bene præmeditata, Angelo quidem foris loquente, sed Deo intùs persuadente (erat enim Dominus cum

u *Ibidem num.* 4. x *Serm.* 4. *super missus num.* 3.

cum illa dicente Angelo: Dominus tecum.) Ita ergo confirmata, fide ſcilicet depellente timorem, lætitiâ verecundiam, dixit ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Non dubitat de facto, ſed modum requirit & ordinem. Nec quærit an fiet iſtud, ſed *quomodo*. Quaſi dicat: Cùm ſciat Dominus meus, teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de Filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò Virgo concipiam, Virgo & pariam (quod utique ſi placuerit ei impoſſibile non erit) tunc ſcio verè, quia reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ. Probatur etiam Virginitatis (y) propoſiti inviolabile fundamentum, quòd tàm conſtanter promittenti Filium Angelo reſpondit: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Fortè enim propterea primò turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, quòd benedictam ſeſe audiſſet in mulieribus, quæ nimirum benedici in Virginibus ſemper optabat. Et extunc quidem cogitabat, qualis eſſet iſta benedictio, quæ iam videretur eſſe ſuſpecta. Ubi verò in promiſſione Filii manifeſtum Virginitatis periculum videbatur, non potuit ultrà diſſimulare quin diceret: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amiſit: Vt longè glorioſior fiat & Virginitas ex fœcunditate, & ex Virginitate fœcunditas. Magnum enim Virginem eſſe, ſed Virginem Matrem eſſe, longè ampliùs per omnem modum. Quę enim (z) vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti Sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate penſamus, quæ prima in terris Angelicam propoſuit ducere vitã, ſuper omnes eſt: Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virũ non cognoſco? Immobile propoſitũ Virginitatis, quòd nec Angelo Filiũ promittente aliquatenùs titubavit. Quomodo, inquit, fiet iſtud? Neque enim eo modo quo fieri ſolet in cæteris. Virum penitùs non cognoſco, nec filii deſiderio, nec ſpe prolis. Magnum eſt

---

y *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 9.* z *Serm. 4. in Aſſumpt. B. Mariæ num. 6.*

est Angelo *(A)* ut minister sit Domini: sed MARIA sublimius quiddam meruit, ut sit mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quantò differentius præ ministris nomen Matris accepit: hanc invenit gratiam plena iam gratia, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota: fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Nec fefellit eam *(b)* intentio, quando & Christum sibi Filium vendicavit, nec propositum pudicitiæ violavit. Et in hoc etiam *(c)* sine dubio prudens extitit Virgo, quòd cùm de cælestibus mysteriis ab Angelo doceretur, diligenter quæsivit quomodo conciperet & pareret, quæ virum utique non cognosceret. Propterea *(d)* rogo vos, fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit quod utiliùs possitis audire. Vbi certa est Dei voluntas, omninò nostra sequatur, in his videlicet de quibus certum aliquid in Scripturis Sacris invenimus: aut ipse spiritus manifestè clamat in cordibus nostris, quid sentiendum sit, ut est charitas, humilitas, castitas, obedientia: hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odisse debemus, de quibus certū est, quòd oderit ea Deus, ut est apostasia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his verò rebus, de quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat, pendeat inter utrumque, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper nè fortè altera pars Deo magis placeat, & parati simus voluntatem eius sequi, in quamcunque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo super his quæ certa sunt, hæsitet: nemo dubia pro certis admittat: nemò sibi in dubiis iudicium vendicet, præcipitetquè sententiam: & experiemur quod scriptum est in Psalmo: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Vnde enim sunt scandala, unde turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè quod volumus in corde nostro definientes? Aut quicunque nihil certum de hujusmodi in corde suo posuerit: in quamcunque partem posteà con-

---

A *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 12.* b *Ser. 3. super miss. n. 3.* c *Ser. 52. de div. n. 3.*
d *Ser. 26. de div. n. 3.*

convertatur, ſcandalizari non poterit. Aut ſi quis facere cogitat unde mandatum certum non habet, ſi voluntatem ſuam ſuſpenſam tenuerit donec prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, qui vice ipſius obedit, non turbabitur, quidquid ei præcipiatur: quoniam pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum. Peſſimæ matris ignorantiæ,(*e*) peſſimæ itidem filiæ duæ ſunt, falſitas & dubietas. Illa miſerior, iſta miſerabilior. Perniciosior illa, iſta moleſtior. Cùm loquitur ſpiritus, cedit utraque: & eſt non ſolùm veritas, ſed & certa veritas. Eſt quippe veritatis ille ſpiritus, cui contraria falſitas eſt. Eſt & ſapientiæ, quæ cùm ſit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam ſuam, obſcurum ambigui non admittit. Cavenda ſanè cùm ſpiritus iſte non loquitur, & ſi non moleſta dubietas, certè falſitas execranda. Aliud eſt enim ſub incerto hoc vel illud opinando ſentire, aliud temerè affirmare quod neſcias. Aut ergo loquatur ſemper ſpiritus, quod noſtri quidem minimè arbitrii eſt: aut quando ſilere placet, hoc ipſum indicet, & loquatur ſaltèm ſuum ſilentium, nè ipſum nobis falsò præire putantes, noſtrum pro ipſo malè ſecuri ſequamur errorem. Et ſi ſuſpenderit ambiguo, non relinqvatur mendacio. Eſt qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & eſt qui veritatem quam neſcit affirmat, & mentitur. Nam & ille non quidem quod non eſt eſſe ſed ſe quod credit credere dicit, & verum dicit, etiamſi hoc verum non ſit quod credit: & is cùm ſe certum unde non eſt certus dicit, verum non dicit, etiamſi verum ſit de quo aſſerit.

2. Quomodo, inquit, fiet iſtud (*f*) quoniam virum non cognoſco? Verè ſancta corpore & ſpiritu, & integritatem carnis habens, & propoſitum integritatis. Reſpondens autem Angelus dixit: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Non me interrogaveris, inquit, ſupra me eſt, & non potero ad illud. Spiritus Sanctus, non Angelus, ſuperveniet in te: & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, non ego. Nè ſteteris vel inter Angelos Virgo Sancta, ſublimius aliquid tuo ſibi miniſterio propinandum terra ſitiens præſtolatur. Paululùm cum pertranſieris eos, in-

e Serm. 17. in Cant. num. 3. *f Ser. 2. de Virg. Deip. num. 10.*

invenies quem diligit anima tua. Paululùm, inquam, non quia non incomparabiliter ſuperemineat, ſed quòd inter eum & ipſos mêdium nihil invenias. Tranſi ergo virtutes & Dominationes, Cherubim quoque & Seraphim, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur adinvicem: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur filius Dei. Fons Sapientiæ, Verbum Patris in excelſis: hoc Verbum mediante te caro fiet: ut qui dicit: Ego in Patre, & Pater in me: dicat nihilominus, quia ego à Deo proceſsi, & veni. Superiùs (g) dicta eſt fuiſſe gratiâ plena, & nunc quomodo dicitur: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi? Nunquid potuit repleri gratiâ, & necdum habere Spiritum Sanctum, cùm ipſe ſit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus Sanctus in ea erat, quomodò adhuc tanquam nouiter ſuperventurus repromittitur? An fortè ideò non dixit ſimpliciter, *veniet in te*, ſed addit, *ſuper*: quia & priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, ſed nunc ſupervenire nunciatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus eſt ſuper illam? An verò cùm plena iam ſit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere poteſt, quomodo & ante plena fuiſſe intelligenda eſt? At prior quidem gratia eius tantùm repleverat mentem, ſequens verò etiam ventrem perfundere debeat: quatenùs ſcilicet plenitudo Divinitatis, quæ ante in illa ſicut & in multis Sanctorum ſpiritualiter habitabat, etiam ſicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipſa habitare incipiat. Tu ſola *(h)* inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum & Dominus dominantium à regalibus ſedibus veniens, primam ſibi manſionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipſa illibata carnis tuæ ſubſtantia quaſi de lignis Libani, architectura ineffabili domum ſibi ædificavit Dei Sapientia: ſuffulſit eam ſeptem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Hæc itaque Sapientia *(i)* quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu Patris ad nos veniens, ædificavit ſibi domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem MARIAM: in qua ſeptem columlum-

g *Ser. 4. ſup. miſs. n. 3.* h *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 2.* i *Ser. 52. de div. n. 2.*

lumnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? Nimirùm ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem, quæ fuit in corde Virginis, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes: nimirùm fortitudinem, temperantiam, prudentiam, & justitiam. Fuit enim (*k*) Beata Virgo MARIA fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus Fidei prædictis extruxit in ea domum Sapientia cælestis: quæ adeo mentē ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur & caro: ac Virgo singulari gratia eandem ipsam Sapientiam carne tectam pareret, quam priùs mente pura conceperat. Hæc est (*l*) unica illa Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omuibus requiem inuenit: atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit: ut de plenitudine ejus(*m*)accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Bene (*n*) Spiritui Sancto in te complacuit ò MARIA! qui Sanctissimam animam tuam totam inflammavit, seipso atque splendore Divinæ Maiestatis implevit: tuumquè uterum ineffabili modo fæcundavit.

3. Triplicem(*o*)Christi adventum novimus: ad homines, in homines, contra homines. Ad homines quidem indifferenter, non autem ita in homines, aut contra homines. In priori quidem (*p*) in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. In posteriore verò videbit omnis caro salutare Dei nostri. In primo venit in carne & in infirmitate. In ultimo in gloria & majestate veniet. Tertius quidam adventus est medius inter illos, in quo delectabiliter dormiant qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, & saluæ fiunt animæ eorum. In hoc ergo medio venit in spi-

T ritu

k *Ibidem num.4.* l *Serm.3.de Virg.Deip.num.2.* m *Ser.4.de Virg.Deip.nu.2.* n *Ser.3.de Virg.Deip.n.2.* o *Ser.3.de Aduen.Dom.num.4.* p *Ser.5.de Aduen.Dom. num.1.*

ritu & virtute. Adventus ſiquidem iſte medius via quædam eſt, per quàm à primo venitur ad ultimum. In primo Chriſtus fuit redemptio noſtra: in ultimo apparebit vita noſtra. In iſto medio requies eſt & conſolatio noſtra. Sicut (*q*) ad operandam ſalutem noſtram in medio terræ venit ſemel in carne viſibilis: ita quotidie ad ſalvandas animas ſingulorum in ſpiritu venit & inviſibilis, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus. Et ut noveris occultum eſſe ſpiritualem hunc adventum: In umbra ejus, inquit, vivemus inter gentes. Sed quia (*r*) primus & tertius noti ſunt, utpotè manifeſti: de ſecundo qui ſpiritualis & occultus eſt, ipſum audite dicentem: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Beatus apud quem manſionem facies Domine Jesu. Beatus in quo Sapientia ædificavit ſibi domum. Beata anima, quæ ſedes eſt Sapientiæ. Quænam illa? Anima utique juſti. Meritò planè, quia juſtitia, & judicium præparatio ſedis tuæ. Propterea (*s*) dignum eſt, ut ſi non valet infirmus in occurſum tanti medici procedere longiùs, ſaltem conetur erigere caput, & aliquatenùs aſſurgere venienti. Non te oportet ò homo, maria tranſfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis, inquam, tibi oſtenditur via, uſque ad temetipſũ occurre Deo tuo: propè eſt enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Uſque ad cordis compunctionem, & oris confeſſionem occurre, ut ſaltem exeas de ſterquilinio miſeræ conſcientiæ: quoniam indignum eſt illuc auctorem puritatis intrare. Atque (*t*) utinam ſic veniat Chriſtus, ut copioſiſſima dignatione ſua & in nobis per fidem habitans, illuminet cæcitatem noſtram: & nobiſcum manens, adjuvet infirmitatem noſtram: & pro nobis ſtans, fragilitatem noſtram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis jam decipiat nos? Si ille nobiſcum, quid de cætero non poſſumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis conſiliarius eſt, qui non laſſeſcat: patronus efficax, qui & ipſum ſatanam ſub pedibus noſtris velociter conterat, & omnia

ejus

q Serm. de Adu. Dom. n. 10. r Serm. 3. de Adu. num. 4. s Serm. 1. de Advent. Dom. num. 10. t Serm. 7. de Advent. Dom. num. 2.

ejus machinamenta confringat. Nimirùm ipſe eſt Dei Sapientia, cui ſapientiâ in promptu ſit inſtruere ignorantes. Ipſe Dei virtus,cui facilè eſt deficientes reficere,& eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem in omni deliberatione curramus: hunc tam ſtrenuum adjutorrm in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas noſtras:qui ad hoc ipſum venit in mundum, ut habitans in hominibus,cum hominibus,pro hominibus, & tenebras noſtras illuminaret, labores levaret, & pericula propulſaret. Deinde *(u)* quod ut probare ſuaviſſimum, ita chariſſimum probaſſe eſt: tanta eſt Verbi dignatio, tanta benevolentia Patris Verbi erga benè affectam & benè compoſitam animam (quod quidem ipſum Patris munus, & Verbi opus eſt)ut quam ſua tali benedictione prævenerint & præparaverint ſibi, ſuâ quoque dignentur præſentiâ, & itaut non modò ad eam animam veniant, ſed etiam manſionem apud eam faciant. Quid eſt venire ad animam Verbum? Erudire in ſapientia. Quid eſt Patrem venire? Afficere ad amorem ſapientiæ, ut dicere poſſit: Quia amatrix facta ſum formæ illius. Patris diligere eſt, & ideo Patris adventus ex infuſa dilectione probatur. Quid faceret eruditio abſque dilectione? Inflaret. Quid abſque eruditione dilectio? Erraret. Denique errabant de quibus dicebatur: Teſtimonium illis perhibeo, quòd zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Non decet ſponſam(Animam) Verbi eſſe ſtultam: porrò elatam Pater non ſuſtinet. Pater enim diligit Filium,& omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Verbi, ſemper in promptu habet deiicere atque deſtruere, ſive immittendo zelum, ſive intendendo: quorum alterum miſericordiæ, alterum iudicii eſt. Si ergo *(x)* Dominus Jesus dignetur venire ad me,vel potiùs in me, non in zelo furoris, & ne in ira quidem, ſed in charitate & in ſpiritu manſuetudinis, æmulans me Dei æmulatione (quid enim ita Dei ut charitas? nempè & Deus eſt) ſi inquam in iſta venerit, in hoc cognoſcam quòd non ſit ſolus, ſed venerit etiam Pater ſuus cum eo. Nam quid æquè paternum?

 Pro-

u *Serm.69.in Cant.num.3.*
x *Ibidem num.7.*

Propter hoc nempè non Pater Verbi tantùm, ſed & Pater miſericordiarum eſt appellatus, quòd innatum habeat miſereri ſemper & parcere. Si ſenſero aperiri mihi ſenſum ut intelligam ſcripturas, aut ſermonem ſapientiæ quaſi ebullire ex intimis, aut infuſo lumine deſuper revelari myſteria, aut certè expandi mihi quaſi quoddam largiſſimum cœli gremium, & uberes deſursùm influere animo meditationum imbres: non ambigo ſponſum Jesum adeſſe. Verbi ſiquidem hæ copiæ ſunt, & de plenitudine eius iſta accipimus. Quod ſi ſe pariter infuderit humilis quædam ſed pinguis intimæ aſperſionis devotio, ut amor agnitæ veritatis neceſſarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, nè fortè aut ſcientia inflet, aut frequentia viſitationum extollat me: tunc prorsùs paternè ſentio agi mecum, & Patrem adeſſe non dubito. Si autem perſeveravero huic dignationi dignis ſemper (quod in me eſt) affectibus & actibus reſpondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit: etiam manſionem apud me facit tam Pater enutriens, quàm Verbum erudiens. Quanta putas (y) ex hac manſione inter animam & Verbum familiaritatis gratia oriatur? quanta de familiaritate ſequatur fiducia? Non eſt (ut opinor) quòd iam talis anima dicere vereatur: Dilectus meus mihi: quæ ex eo quòd ſe diligere, & vehementer diligere ſentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de ſua ſingulari intentione, ſolicitudine, cura, opera, diligentia, ſtudioquè, quo inceſſanter & ardenter invigilat queadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipſo indubitanter agnoſcit, recordans promiſſionis eius: In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: niſi quòd redhibitionem gratiæ prudens ſponſa anima ad ſuam magis cauta eſt trahere partem, ſciens ſe potiùs præventam à dilecto Sponſo Jesu.

4. En dilectus meus loquitur mihi. (z) Videte proceſſus gratiæ, & dignationis divinæ animadvertite gradus. Attendite ſponſæ Animæ devotionem atque ſolertiam, quàm vigili utique oculo Sponſi Jesu obſervat adventum, & deinceps ipſius omnia intuetur. Venit ille, accelerat, appropiat, adeſt, reſpicit, alloquitur: & nihil horum momentorum ſponſæ in-

y Ibidem num. 8. z Serm. 57. in Cant. num. 1.

induſtriam effugit, anticipatvè notitiam. Quis ſapiens (*A*) & intelliget hæc, ita ut ea etiam dignè adinvicem diſtinguere, & deſignare ſingula queat, ac diffinire ad intelligentiam aliorum? Si à me illud ſperatur, ego ea mallem ab experto audire, & qui aſſuetus ſit & exercitatus in talibus. At quoniam quiſque qui huiuſmodi eſt, verecundè magis ſilentio abſcondere eligit quod ſilentio percipit, & ſervare ſecretum ſuum ſibi, id ſibi tutiùs arbitratur: dico ego cui ex officio loqui eſt, nec tacere licet, quidquid illud eſt quod de huiuſmodi vel proprio vel alieno teneo experimento, & quod facilè experiri plures queunt, ſanè altiora relinquens apprehendere illa valentibus. I. *Venit*. Si enim admonitus fuero vel foris ab homine, vel intùs à ſpiritu de tuenda iuſtitia, & ſervanda æquitate: iſtiuſmodi ſalutaris ſuaſio erit mihi profectò prænuncia imminentis adventus Sponſi JESU, & præparatio quędam ad dignè ſuſcipiendum ſupernum Viſitatorem, Propheta hæc mihi indicante, dicendo: Quia iuſtitia ante eum ambulabit. Et item loquitur Deo ſic: Iuſtitia & iudicium, inquit, præparatio ſedis tuæ. Quis in vobis eſt fratres, (*b*) qui deſiderat in Anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari. Juſtitia, inquit, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Nihilominus verò (*c*) ſpes eadem arridebit, ſi ſermo inſonuerit de humilitate, vel patientia, ſeu etiam de fraterna charitate, & obedientia deferenda prælatis: maximè autem de ſectanda ſanctimonia & pace, & cordis puritate quærenda; quoniam quidem ſcriptura ait: Domum Domini decet ſanctitudo, & factus in pace locus ejus, & mundi corde Deum videbunt. Quidquid itaque ſive de his ſive de aliis quibuslibet virtutibus ſuggeſtū animo fuerit, ſignificatio, ut dixi, erit mihi viſitationem Domini virtutum imminere animæ meæ. Sed & ſi corripuerit me juſtus in miſericordia, & increpaverit me, id ipſum ſentiam, ſciens quia æmulatio juſti & benevolentia iter faciunt ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Sed nec ullus omnino ſermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter eſt audiendus: quoniam & illic

iter

A *Ibidem num 5.* b *Serm. 2. de Advent. Dom. num. 4.*
c *Serm. 57. in Cant. num. 5. & 6.*

iter quo ostenditur Salutare Dei. *II. Accelerat.* Quodsi *(d)* sermo gratus venit & placidus, quatenus pulso fastidio cum desiderio audiatur: jam non modò venire Sponsus Jesus, sed & accelerare, idest cum desiderio venire credendus est. Illius namque desiderium tuum creat, & quòd tu ejus sermonem properas admittere, inde est quòd ipse festinat intrare. Non enim nos eum; sed ipse (inquit Joannes) prior dilexit nos. *III. Appropiat.* Jam & si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati: recordare tunc de quo scriptura dicit: Quia ignis ante ipsum præcedet: & ipsum propè esse non dubites. Denique juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. *IV. Adest.* Si verò non solùm *(e)* compungeris in sermone illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire judicia justitię ejus: etiam adesse ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sẽtias amore ejus. Etenim vtrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem esse. Moyses siquidẽ de illo dicit: Quia Deus ignis consumens est. Differunt tamen, quòd is qui præmittitur ignis ardorem habet, sed non amorem: coquens, sed non excoquens: movens, nec promovens. Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, simulquè ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat postmodùm quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute quâ immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præsentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ excelsi, nisi in fervore spiritus, & in charitate non ficta, ita ut dicat qui hujusmodi est: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. *V. Respicit.* Porrò *(f)* hoc igne consumptâ omni labe peccati & rubigine vitiorum, si jam emundatâ ac serenatâ conscientiâ, sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam (quorum alterum propter

d *Ibidem num.6.* e *Ibidem num.7.* f *Ibidem num. 8.*

pter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari) oculus respicientis proculdubiò est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum quasi meridiem, juxtà illud Prophetæ Esaiæ: Orietur, inquit, tanquam sol lux tua. Sed sanè non per ostia aperta, sed per angusta foramina is tantæ claritatis radius se infundet, stante adhuc hoc ruinoso pariete corporis. Erras si aliquando speras, ad quantamcunque cordis proficias puritatem, cùm ille præcipuus contemplator dicat: Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *VI. Loquitur*. Post hunc (*g*) tantæ dignationis ac miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter divinam insinuans voluntatem (quæ non est alius quam ipse amor qui ociosus esse non potest) de his quæ Dei sunt solicitans & suadens. Denique audit sponsa (scilicet anima) ut surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùs potita voto, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit: & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. Fateor (*h*) & mihi adventasse Verbum JESUM, & pluries. Cumquè sæpiùs intraverit ad me, non sensi aliquoties cùm intraverit. Adesse sensi, adfuisse recordor, interdum & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam potui, sed nè exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quovè abierit denuò eam dimittens: sed & quà vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundùm illud: Nescis undè veniat, aut quò vadat. Sanè per oculos non intravit, quia non est coloratum: sed neque per aures, quia nō sonuit: sed neque per nares, quia aeri non miscetur, sed menti, nec infecit aerem, sed fecit: neque verò per fauces, quia non est mansum vel haustum. Nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quà igitur introivit? An fortè nec introivit quidem, quia non de foris venit? Neque enim

g *Ibidem num. 9.* h *Serm. 74. in Cant. num. 5.*

enim est unum aliquid ex iis quæ foris sunt. Porrò nec de intra me venit, quoniam bonum est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominus infrà inventum est. Si foràs aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si intùs, & ipsum interiùs erat. Et cognovi verum quidem esse quod legeram: quia in ipso vivimus, movemur, & sumus. Sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur. Quæris igitur *(i)* cùm ita sint omninò investigabiles viæ ejus, unde adesse norim? Vivum & efficax est, moxquè ut intùs venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit & mollivit & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumquè erat, & malè sanum. Cœpit quoque evellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, necnòn & mittere prava in directa, & aspera in vias planas, itaut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt. Nomini sancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsus Jesus, nullis unquam introitum suum indiciis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis: tantùm ex motu cordis (sicut præfatus sum) intellexi præsentiam ejus: & ex fuga vitiorum, carnaliumquè compressione affectuum, adverti potentiam virtutis ejus: & ex discussione sive redargutione ocultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ ejus: & ex quantulacunque emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus: & ex renovatione ac reformatione spiritus mentis meæ, idest interioris hominis mei, percepi utcunque speciem decoris ejus: & ex contuitu horum omnium, simul expavi multitudinem magnitudinis ejus. Sic ergo *(k)* est adventus Sponsi Jesu Christi. Benedictiones & divitiæ salutis cum eo, & universa quæ de ipso sunt, affluunt deliciis, redundantia certè jucundis ac salutaribus Sacramentis: Porrò sponsa (anima) quæ amat, vigilat & observat, & beata quam Dominus invenerit vigilantem. Non tran-

i Ibidem num.6. k Serm.57.in Cant.num.1.

transibit illam, nec præteribit ab ea, sed stabit & loquetur ei, loqueturquè amatoria siquidem ut dilectus. Sic quippe habes: En dilectus meus loquitur mihi. Benè dilectus qui venit amatoria locuturus, non autem increpatoria. Da mihi (l) animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est: cui vivere Christus non tantùm sit, sed & diu jam fuerit: cui studii & ocii sit providere Deum in conspectu suo semper: cui solicitè ambulare cum Domino Deo suo non dico magna, sed una voluntas sit, & facultas non desit. Da, inquam, talem animam, & ego non nego dignam Sponsi Jesu curâ, majestatis respectu, dominantis favore, solicitudine gubernantis: & si voluerit gloriari, non erit insipiens, tantùm ut qui gloriatur in Domino glorietur.

CAPUT XV.

De verbis Angeli annunciantis Virgini Virtutem Altissimi obumbraturam sibi in Conceptione Filii.

Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Luc. 1.*

1. *Prædicta Angeli verba indicant occultissimum fuisse modum, quo Verbum Filius Dei Patris humanam assumpsit carnem in utero Virginis.* 2. *Causa obumbrationis Virtutis Altissimi præcipua innuitur.* 3. *Fides comparatur umbræ spirituali, in qua Virgo MARIA vivebat, sicut & omnes Christifideles interim vivunt.*

1. SPiritus Sanctus (m) superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quid est, Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere, capiat. Quis enim (exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri) intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se se visceribus infuderit? & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis cui se anima contemperavit, reliquæ massæ um-

l *Serm. 69. in Cant. num. 2.* m *Serm. 4. super miss. num. 4.*

umbraculum fecerit? Et fortassè propter hoc dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res in Sacramento erat: & quod sola per se Trinitas in sola & cum sola Virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Modum illum (*n*) tam incomprehensibilem quem & Virgo sollicita requisivit, unde quæso docere queam Angelis fuisse præcognitum? Mihi verò videtur ne ipsi quidem (ut pace ejus dixerim) qui nunciabat. Quod & ipse fatetur, si ejus verba diligenter advertimus. Respondens quippè: Spiritus Sanctus superveniet in te: cujus dicti (*o*) intelligentia est: Spiritus Sanctus operabitur in te Incarnationem Verbi incarnandi, separando à carne tua portiunculam, quæ animabitur, & divinæ essentiæ in unitate personæ copulabitur: nonne Angelus (*p*) apertè mittit Virginem ad magisterium Spiritus Sancti, cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam? & discat experiendo, quod audiendo non poterat? Denique subiungit: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: expressiùs profectò significans modum secretissimum arcani incomprehensibilis, & ineffabilis Sacramenti, quo quasi in umbra cum sola & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura divinum. Ad hoc quoque investigandum mysterium minùs se idoneum confitetur ille magnus Joannes, cùm se indignum perhibet solvere corrigiam calceamenti. Dicatur ergo: (*q*) Spiritus Sanctus superveniet in te, qui utique suâ potentiâ fœcundabit te. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: hoc est, illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantùm notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum, non creare. Non potest doceri nisi à donante, non potest addisci nisi à suscipiente. Non est virtutis humanæ (*r*) sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria.

---

n *Tract. ad Hugonem de quæst. cap. 5. num. 21.* o *Tract. de tribus præcip. myst. cap. 7. num. 20. tom. 5. pag. 586.* p *Tract. ad Hug. cap. 5. num. 21.* q *Serm. 4. super missus num. 4.* r *Serm. 1. de Virg. Drip. num. 5.*

ria. Spiritus Sanctus (inquit) superveniet in te. Et tanquam respondeat illi: Quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est: Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi. Bene (s) Spiritui Sancto in te complacuit o MARIA, cùm divinis adeò mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit, seipso atque splendore Divinæ majestatis implevit: tuumquè uterum ineffabili modo fœcundavit: fecitquè ut Deum & hominem clausa conciperes, clausa pareres, & post partum Virgo permaneres. Hortus deliciarum nobis est sacratissimus tuus uterus ò MARIA: quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties recolimus quàm magna multitudo dulcedinis toti Orbi inde affulsit. Hortus planè deliciarum (t) quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant & effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Jam ergo uterum tuum Domina (u) velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur: quia in eo salus mundi initiata est. In MARIÆ utero (x) exinanivit semetipsum excelsus & immensus, mensuram bonam & confertam & coagitatam mittens in sinum vestrum. Hic divinis manibus unctus oleo lætitiæ, & sicut altare in signum pontificii consecratus. De altari hoc ad aram Crucis ascendēs, proprio cruore tanquā alterius generis oleo perfusus, jam non consecratus sed consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiore liquamine consecravit. Fatiscat ergo mæror, tristitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abscedat, ut liceat vacare & videre cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, sed oratio deficit. Dives cogitatio vocis paupertate confunditur. Fervent interiora & in undosam ebulliunt altitudinem, sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. Siquidem (y) obumbratio MARIÆ facta est à Spiritu Sancto, ad celandum videlicet tam incomprehensibile Sacramentum.

 2. Ve-

s *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 2. & 4.* t *Serm. 2. de Virg. Deip. n. 6.* u *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 3.* x *Serm. 2. de Nat. Dom. n. 1. tom. 6. pag. 614.* y *Serm. 4. sup. Psal. 90. n. 3.*

2. Verumtamen(a)quæ causa obumbrationis Altissimi virtutis? Hæc nimirùm præcipua. Caro Virginis nisi quadam latente operatione obumbrata fuisset, splendorem tantæ majestatis sine sui consumptione nequaquam ferre potuisset: Unde Dominus ad Moysen ait: Non videbit me homo super terram & vivet. Ac si diceret: Tantæ sum in natura divina claritatis, quòd homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Proinde *(A)* & Virgini legitur obumbrasse, nè vehementiori reverberata splendore, ad candidissimam illam lucem purissimumquè fulgorem Divinitatis, etiam illius aquilæ posset acies hebetari. Tanta enim *(b)* in conceptione refulsit superni luminis claritas de supervenientis abundantia Spiritus, ut nè ipsa quidem Virgo sancta sustinuisset, si non sibi obumbratum foret à virtute Altissimi. Ex Evangelio *(c)* collige claritatem, quam nunc habet Deus homo secundùm hominem clarificatus, qui appropinquante tempore, quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum & Joannem & Jacobum, & ascēdit supra montem Thabor, & transfiguratus est ante eos, & splendida facta est facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix: qualia fulgur non potest facere super terram. Et apparentibus Moyse & Elia, cùm intuerētur claritatem vultus ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valdè, & consternati animis, quasi exanimes lapsi sunt super terram. Si igitur tanti jubaris, tam radiosi splendoris, humanis obtutibus tam importabilis claritas apparere dignatus est, corpore adhuc mortalitati obnoxio, & membris nondum corruptionis exutis: quantam claritatem credere inesse debemus Filio Dei in forma hominis assumpti, jam glorificati, jam super cœlos cœlorum exaltati. Signanter *(d)* de Christo Domino Propheta loquitur dicens: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes. Nam inter cœlestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potiùs in splendore. In splendoribus Sanctorum, inquit, ex utero ante luciferum genui te. Verum id quidem

Pa-

---

a *Tract. de præcip. myst. cap. 7. num. 20.* A *Serm. 5. in Ascens. Dom. num. 2.*
b *Serm. 70. in Cant. num. 7.* c *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. 21.*
d *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 1. & 2.*

Pater. At Mater sanè eundem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, non nisi ea tamen quâ obumbravit Altissimus. Putasne(*e*) ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem ut de præsenti Ecclesia intelligendum propheticæ visionis serias ipse Joannes demonstret: sed id planè non inconvenieñter MARIÆ videtur attribuendum. Nimirum ea est, quæ velut alterū solem induit sibi. Magna siquidem (*f*) familiaritas, sed mira omninò vicinitas solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Meritò quidem admiraris Moyses Sancte, & curiosiùs desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. Vado, inquit, & videbo visionem hanc magnam. Magna planè visio, rubus ardens sine combustione: magnum signum, mulier illæsa manens amicta Sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat Solis amictum. Jure ergo (*g*) MARIA Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Divinæ Sapientiæ ultràquam credi valeat, penetravit abyssum: ut, quantùm sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacessibili videatur immersa. Illo nimirùm igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter MARIA meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Ipse est Spiritus Sanctus (*h*) qui Virgini obumbravit, ut virgineo corpori temperaret Deitatis accessum. Mulier (inquit Joannes) amicta Sole. (*i*) Planè amicta lumine tanquam vestimento. Non percipit fortè carnalis, nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo qui dicebat: Induimini Dominum JESUM CHRISTUM. Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima! imò quàm intima fieri meruisti! quantam invenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ majestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum,

---

e *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 3.* f *Ibidem num. 5.* g *Ibidem num. 3.*
h *Serm. 3. in die Pentec. num. 1.* i *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 6.*

rum,non aliū quàm Christum, de quo dicitur:Ecce vir Oriēs nomen ejus. Talem se etiam obtulit Apostolis (*k*) Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiceret, sed ipse facie ad faciem videretur qui omnia fecit. Et quia Discipuli carnales erant, & Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui, & carni: umbrâ corporis sui temperavit se eis, ut obiectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui dicimus: In umbra tua vivemus inter gentes. In umbra, inquit, tua inter gentes, non inter Angelos,ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Unde & virtus Altissimi obumbravit Virgini,nè nimio splendore præstricta, Divinitatis fulgur etiam illa singularis aquila tolerare non posset. Et nunc quidem (*l*) apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non Sanctus, non Propheta videre illū sicuti est,potest aut potuit in corpore hoc mortali,poterit autem in immortali,qui dignus habebitur. Inde est (*m*) quòd cùm Moyses in multa constantia Domino supplicaret,dicens: Domine ostende teipsum mihi:Dominus ait: Sta in foramine petræ,& cùm pertransiero videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Hoc ait, per faciem designans Divinitatem: per posteriora, humanitatem: quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndā reliquit. Umbram proinde Christi (*n*) carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est & MARRIÆ, ut ejus obiectu fervor splendorquè Spiritus illi temperaretur. Sicut enim (*o*) iste corporeus sol licet bonus sit & valdè necessarius, tamen & fervor ejus si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet: nec est solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam Sol justitiæ est. Videtur & hic (*p*) sed sicuti videtur ipsi, non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum (solem loquor istum quem quotidiè vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat, verbi causa, aerem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenùs

k *Serm.3.in Ascens.Dom. nu.3.* l *Serm.31.in Cant.num.1.* m *Tract.de 3.precip. myst.cap.7.nu.20.* n *Serm.20.in Cant.num.8.* o *Serm.4.super Psalm.90. num.4.* p *Serm.31.in Cant.num.2.*

tenùs posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam utique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirùm ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus, nullatenùs serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenùs videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsùs puritate vigeret, videret omninò inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & Solem justitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat illuminatus potest tanquam in aliquo similis: sicuti est, omninò non potest tanquam nondum perfectè similis.

3. Unde (q) ego puto id significatum apud Prophetam ubi ait: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes: quòd scilicèt videamus nunc per speculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem. At istud sanè donec vivimus inter gentes. Nam inter Angelos aliter: quando jam indifferenti omninò felicitate cum ipsis videbimus eum & nos sicuti est, hoc est in forma Dei, & non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem umbram figuramquè dicimus extitisse, nobis autem per gratiam Christi in carne præsentis ipsam per se illucescere veritatem: ita nos quoque respectu futuri sæculi in quadam interim veritatis umbra vivere nemo negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et illud: Non arbitror me comprehendisse. Quomodo enim non est distinctio ejus qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem? Ergo justus ex fide vivit, beatus exultat in specie. Et ideo sãctus homo vivit interim in umbra Christi, Sanctus Angelus in splẽdore vultus gloriæ gloriatur. Unde Sponsa ait: Sub umbra ejus (r) quem desideraveram sedi. Et Propheta: Spiritus, inquit, ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes. In umbra, in gentibus: in luce, cum Angelis. In umbra sumus quamdiu per

q *Ibidem num. 9.* r *Serm. 48. in Cant. num. 6.*

per fidem ambulamus, & non per speciem. Et ideò justus in umbra, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus est: quia nō in umbra jam, sed in lumine vivit. Justus erat David, & ex fide vivebat cùm dicebat Deo: Da mihi intellectum ut discam mandata tua, & vivam: sciens successurum fidei intellectum, intellectui revelandum lumen vitæ, & luminis vitam. Priùs est venire ad umbram, & ita ad id cujus umbra est, pertransire: quoniam nisi credideritis (ait Isaias) non intelligetis. Et bona fidei umbra (s) quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim: Fide mundans corda eorum. Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit. Quidquid sanè est illud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fideli sinu repositum in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum quod nudum non capis? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est: Et beata quæ credidisti. Habuit & de Christi corpore umbram, quæ audivit: Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nec enim vilis umbra quæ de virtute Altissimi formatur. Et verè virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbravit, ut quod impossibile erat mortali fœminæ, objectu tamen involucri vivifici corporis ferret præsentiam Majestatis, & lucem sustineret inaccessibilem. Planè digna fuit (t) Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei. Vivimus proinde (u) in umbra Christi, qui per fidem ambulamus, & carne ipsius pascimur ut vivamus. Caro enim Christi verè est cibus. Ideò (x) Sponsa ait: Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Meritò ejus desideraverat umbram, de quo & frigerium esset, & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dicit Sponsæ suæ: Salus tua ego sum. Non Moyses, inquit, dedit vobis panem hunc de Cælo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Propterea ergo Christi potissimùm desideravit umbram, quòd solus sit, qui non

---

s *Serm. 31. in Cant. num. 10.* t *Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 6.* u *Serm. 31. in Cant. num. 11.* x *Serm. 48. in Cant. num. 6.*

non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Sub umbra ejus quem desideraveram sedi. Vmbra ejus, caro ejus: Vmbra ejus, fides. MARIÆ obumbravit proprii Filii caro, mihi Domini fides: quanquam & mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam? Et sancta nihilominùs Virgo fidei & ipsa experta est umbram, cui dictum est: Et beata quæ credidisti. Jam ergo (y) umbram quis ambigat spiritualem, quâ MARIÆ obumbratum est concipienti: & item eam, quæ in Propheta sic memoratur: Spiritus ante faciem nostram CHRISTUS Dominus, sub umbra ejus vivemus inter gentes? Vides fidem (z) & vitam esse & vitæ umbram? Nam è regione vita in deliciis agens quoniam non est ex fide, & mors est & umbra mortis. Quæ enim (inquit Paulus) vidua in deliciis est, vivens mortua est. Denique sapientia carnis mors est. Sed & mortis est umbra, illius scilicet quæ cruciat in æternum. Sedimus & nos aliquando in tenebrosis & umbra mortis, carnaliter conversantes, & non ex fide viventes, mortui jam quidem justitiæ, à morte verò secunda paulominùs absorbendi. Quantùm etenim umbra propè est corpori cujus est umbra, tantùm pro certo vita illa nostra inferno appropinquavit. Denique nisi quia Dominus adjuvit me (inquit Psalmista) paulominùs habitasset in inferno anima mea. Nunc autem de umbra mortis ad vitæ transivimus umbram, magis autem translati sumus de morte ad vitam, in CHRISTI umbra viventes, si tamen viventes, & non mortui. Nec enim reor continuò, ut quis in umbra ejus fuerit, quòd vivat in ea: quia non planè omnis qui fidem habet, ex fide vivit. Nam fides sine operibus mortua est: nec potest dare vitam, quam minimè ipsa habuerit. Ideò Propheta cùm dixisset: Spiritus ante faciem nostram CHRISTUS Dominus: non contentus fuit sequi & dicere, in umbra ejus sumus, sed in umbra, inquit, ejus vivimus inter gentes. Et tu ergo vide ut vivas exemplo Prophetæ in umbra ejus, ut quandoque & regnes in lumine ejus. Nec enim tantùm umbram habet, habet & lucem. Ipse per carnem umbra est fidei, ipse intelligentiæ lumen per spiritum. Et caro est enim, & spiritus. Caro in carne manentibus, Spiritus

X

y *Serm.72.in Cant.num.5.* z *Serm.48.in Cant.num.7.*

tus ante faciem nostram, idest in futura, si tamen quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea quæ ante sunt nosmetipsos extendimus, quò pervenientes experiamur de verbo quod dixit: Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat. Nec ignoro, quòd in carne adhuc manens quis dixerit: Etsi cognovimus CHRISTUM secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. At hoc ille. Nos verò qui nondum in paradisum, nondum ad tertium Cœlum rapi meruimus: CHRISTI interim carne pascamur, mysteria veneremur, exempla sectemur, fidem servemus, & vivimus professò in umbra. Sed quæris, (*A*) Quomodò CHRISTUS, cùm in altari sit opertus & velatus sub specie panis, tamen maneat in splendore incircumscriptæ & inæstimabilis claritatis? Scire debes quòd scire hoc, non est viatoris, sed comprehensoris: non exulis in valle plorationi, sed civis patriæ cœlestis: non militantis, sed triumphantis: non hoc datur currentibus, sed pervenientibus: non præcedit ad meritum, sed accedit ad præmium. Quis enim major vel par illi, qui post raptum supereminentiamquè tertii Cœli, post perspecta arcana Cœlestia, quæ non licet homini loqui, dicit: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterum: Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Vas igitur electionis in quo si oculus conscientiæ caligavit, quis se videre præsumet? Videamus tamen interim cum ipso per speculum & in ænigmate, quod possumus: etsi nondum revelata facie gloriam Domini speculari sufficimus, nec rosam solis directa acie intueri valeamus, saltem interposita nube radiis ipsius aliquatenùs illustrari affectemus.

CAPUT XVI.

De verbis Angeli nunciantis Virgini illud quod paritura erat, & Sanctum futurum esse, & Filium Dei vocandum.

Ideo-

A S. Bernard. in proœmio tract. de tribus pracip. myst. tom. 5. pag. 578.

Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1.

1. Cur illud quod ex Virgine erat naſciturum, ſimpliciter Sanctum dicatur ab Angelo? 2. Demonſtratur, quòd CHRISTUS ſit Unigenitus Filius Dei ſimul & Virginis MARIÆ: fueritquè longè ante prænunciatus populo veteri, Oraculis propheticis. 3. Filius Dei factus eſt Homo, ut homines faciat cœleſtes.

1. IDeoque (*b*) & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Attende quæſo, quàm reverenter dixerit Angelus: *quod naſcetur ex te ſanctum*. Ad quid enim ita ſimpliciter ſanctum, & abſque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignevè nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de puriſſima videlicet Virginis carne cum ſua anima Vnico Patris erat uniendum. Si diceret: Sancta caro, vel Sanctus homo, vel Sanctus infans: quidquid tale poneret, parùm ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergò indefinitè, *Sanctum*, quia quidquid illud ſit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubiò ac ſingulariter Sanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem. Etſi (*c*) vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen & concipi: ut uni ſanè ſervaretur ſancti conceptus prærogativa, qui omnes ſanctificaret: ſoluſquè abſque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Quis enim (*d*) poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus ſine omni illicita & immunda conceptus eſt voluptate? In ipſa radice & origine mea infectus, & inquinatus ſum, immunda eſt conceptio mea: ſed eſt à quo tollatur iſta confuſio. Ipſe eam tollit, in quem ſolum ipſa non cadit. Quòd ipſe (*e*) peccatum non contraxerit, probat & Patris Divinitas, & virginitas Matris. Summus Sacerdos eſt, quem nec ſuper Patre, nec ſuper Matre contaminandum prophetatum eſt in lege, po-

b *Serm. 4. ſuper miſſus num. 4.* c *Epiſt. 174 n. 8.* d *Serm. 4. in Vig. Nat. Dom. n. 2.* e *Serm. 1. in Circumciſ. Dom. n. m. 1.*

potiùs quàm mandatum. Eſt enim ei Pater ab æterno, ſed Deus eſt, in quem peccatum non cadit: Eſt & Mater ex tempore, ſed Virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. O nova (*f*) verè miracula! conceptus fuit ſine pudore, partus ſine dolore. Non ſolùm ſine pudore conceptus, & ſine dolore partus: ſed & Mater eſt ſine corruptione, & Filius ſine omni labe peccati. Non cadit in Matrem Evæ maledictio: non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum eſt per Prophetam: Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Ecce Infans ſine ſorde, ſolus inter homines verax, immò & veritas ipſa. Ecce Agnus ſine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nemo (*g*) mundus à ſorde. Unus tamen eſt inter noxios innocens, mũdus inter impuros, inter mortuos liber: unus eſt, & non æſtimabitur alius abſque eo. Erat enim innocens manibus, qui peccatũ non fecit. An verò mundiſſimũ cor fuiſſe quis dubitet unitum perſonaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, attingit autem ubique propter ſuam munditiam? Itaque (*h*) ſolus Agnus eſt ſine macula, ſolus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum eſt, nec in eo inventum. Solus planè Summus Pontifex meus nec in Patre nec in Matre contaminatus eſt, ut lex dicit. Patrem quippè ſed Deum, Matrem quoque ſed Virginem habens. O Nativitas illibata ſanctitate, (*i*) honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, inveſtigabilis etiam Angelis ſacri profunditate myſterii, & in his omnibus admirabilis ſingulari excellentia novitatis! Vtpotè quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Et fortaſſis (*k*) propterea Chriſtus ſe lilium appellavit, quòd totus verſetur in liliis, & omnia quæ ipſius ſunt, lilia ſint: Conceptio, Ortus, Converſatio, Eloquia, Miracula, Sacramenta, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Aſcenſio, quid horum non candidum, & non ſuaviſſimè redolens? Tanta denique in *Conceptione* refulſit superni luminis claritas de ſupervenientis abundantia Spiritus, ut ne ipſa quidem Virgo ſancta ſuſtinuiſſet, ſi non ſibi

f *Serm. 4. in vig. Nat. Domin. num. 3. 4. & 5.* g *Serm. 33. de div. num. 3.*
h *Serm. 28. de div. num. 1.* i *Serm. 1. in Vigil. Nativit. Domini num. 1.*
k *Serm. 70. in Cant. num. 7.*

sibi obumbratum foret à Virtute Altissimi. Porrò *Ortum* candidavit incorrupta Virginitas Matris, *Conversationem* innocentia Vitæ, *Eloquia* veritas, *Miracula* puritas cordis, *Sacramenta* pietatis arcanum, *Passionem* patiendi voluntas, *Mortem* libertas non moriendi, *Resurrectionem* Martyrum fortitudo, *Ascensionem* exhibitio promissorum. Quàm bonus fidei odor in his singulis, nostra quidem qui candorem non vidimus, tempora & viscera replens. Et beati qui non viderunt, & crediderunt. Habent lilia *(l)* & aliqui sodalium Sponsi Iesu, sed non copiam. Omnes enim ad mensuram spiritum acceperunt, ad mensuram virtutes & dona. Solus ille non habet modum, qui habet totum. Aliud est lilia habere, aliud nonnisi lilia habere. Quem dabis mihi de filiis captivitatis adeò innocentem & sanctum, qui totam terram suam floribus occupare potuerit istiusmodi floribus? Nec infans certè unius diei sine sorde est super terram. Solus itaque *(m)* Dominus Iesus de Spiritu Sancto conceptus: quia & ante conceptum Sanctus. Quo excepto, de cœtero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso veraciter confitetur: In iniquitatibus, inquiens, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Vidimus certè *(n)* divitias salutis & vitæ. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti à Patre. Quæris à quo Patre? Et Filius Altissimi vocabitur. Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis: Quod ex te nascetur Sanctum, (ait Angelus Gabriel ad Mariam) vocabitur Filius Dei. O verè Sanctum! Non dabis Domine Sanctum tuum videre corruptionem, quod nec Matri quidem abstulit incorruptionem. Ferculum planè *(o)* imputribile fecit sibi pacificus noster, corpus incorruptibile aptans sibi, in quo salutis epulas ministret. Non dabis, inquit, Sanctum tuum videre corruptionem. Illud utique de quo Gabriel ad Mariam: Quod nascetur, ait, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Pulchrè *(p)* proindè & convenientissimè flos campi sum, ait: qui & absque humana industria prodiit, & semel prodeunti nulla est deinceps dominata corruptio, ut sermo impleatur, quem

l *Ibidem num.8.* m *Epist.174.num.8.* n *Serm.4. in Vigil.Nat.Dom. num.6.* o *Serm.5.in Vig.Nat.Dom.n.3.* p *Serm.47.in Cant.n.3.*

quem dixit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Haud dubium *(q)* quin Filius ad Patrem loquens, de corpore dicat, quod in sepulchro iacebat exanime. Hoc enim Sanctum & Angelus qui nunciavit Virgini locutus est, dicens: Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quo ergo pacto Sanctum fœnum poterat videre corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam avidos Angelorum in se figere possit obtutus insatiabiliter oblectandos? Perdat sanè fœnum viriditatem, si MARIA virginitatem amiserit. Quæ generat, *(r)* & Mater & Virgo est: qui generatur, & Deus & homo est. Ab hoc igitur Sancto *(s)* hodie sanctificemur, ut majestatem ejus ubi dies illa aspiraverit, videamus. Siquidem dies sanctificatus illuxit nobis, dies salutis, non gloriæ aut felicitatis. Adest enim Sanctus sanctorum, *(t)* adest ipse qui dixit: Sancti estote, quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester. Alioquin quomodo non dabitur Sanctum canibus, & margarita porcis, nisi priùs illi ab iniquitate, isti ab illicita voluptate purgati, de cætero tota sollicitudine fugiant: illi quidem vomitum, isti volutabrum luti. Amplectamur sanctificationem *(u)* quoniam bona est, quoniam finis ejus vita fine fine: sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. Tria sunt *(x)* quæ sanctam faciunt hominis vitam: victus sobrius, actus justus, sensus pius. *Victus sobrius* erit, si continentes, si socialiter, si obedienter, idest, castè, charitativè, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. *Actus justus* erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. *Sensus pius* erit, si fides nostra Deum sentit summè potentem, summè sapientem, summè bonum: ut per ejus potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem: per ejus sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam: per ejus bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem.

Ideo-

q *Serm. 35. in Cant. num. 5.* r *Serm. 4. in Vigil. Nativ. Domini num. 6.*
s *Serm. 5. in Vig. Nat. Dom. num. 4.* t *Ibid. nu. 1.* u *Serm. 17. sup. Ps. 90. n. 1.*
x *Serm. 64. de div. num. 2.*

2. Ideoque (y) & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quod eſt dicere: Quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu Sancto quod concipies: concipies autem Altiſſimi Virtutem, hoc eſt, Filium Dei. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: ideſt, non ſolùm qui de ſinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc iam vocabitur Filius Dei: quemadmodum & is qui à Patre eſt ante ſecula genitus, tuus quoque amodò reputabitur Filius. Sic autem & quod natum eſt ex ipſo Patre, erit tuus, & quod naſcetur ex te erit ejus, ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit, iam non tamen cujuſque ſuus, ſed unus utriuſque erit Filius. Ipſa eſt (z) Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum eumdemquè cum Deo Patre meruit habere communem. Cum qua utique (A) tanta ei conſenſio fuit, ut illius non ſolùm voluntatem, ſed etiam carnem ſibi conjungeret, ac ſi de ſua Virginiſquè ſubſtantia unum Chriſtum efficeret, vel potiùs unus Chriſtus fieret: qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet: nec duo filii, ſed unus utriuſque filius. An non (b) Deum & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium, dicens: Fili, quid feciſti nobis ſic? Maria, inquam, Matrem ſe agnoſcens, majeſtatem illam cui Angeli cum reverentia ſerviunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt. Nam paulò poſt ſubdit Euangeliſta: Et erat, inquiens, ſubditus illis. Jam verò vide (c) ſi non manifeſtè vocis paternæ teſtimonio Dei Filius approbatur. Cœli namque aperti ſunt ſuper eum, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba ſuper illum, & vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Sed & in monte (d) coram tribus diſcipulis nihilominùs magnificentiſſimè clarificatus eſt, tum voce eadem denuò ad ſe cęlitùs delapſa, tum mira illa eximiaquè transfiguratio-

ne

y *Serm. 4. ſuper miſſus num. 5.* z *Serm. 2. in Annunciat. B. Mariæ num. 2.*
A *Serm. 3. ſuper miſſus num. 4.* b *Serm. 1. ſuper miſſus num. 7.* c *Serm. 3. in Epiph. num. 7.* d *Serm. 76. in Cant. num. 4.*

ne corporis sui, tum etiam Prophetarum attestatione duorum, qui ibidem apparuerunt cum eo loquentes. Satis equidem (*e*) manifestum est ex hoc ipso, satis evidens & indubitabile, quoniam Dei Filium necesse est Deum esse. Nam & filios hominum homines, & ipsorum quoque animalium fœtus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. Veruntamen ut nullus sacrilego errori remaneat locus, qui & verus homo & filius hominis, & verus nihilominus Dei Filius est declaratus, etiam verus Deus & auctor naturæ probatur, ad cujus nutum natura mutatur. Christus enim (*f*) cum discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiæ aquas in vinum mutavit. Et si ita est, (*g*) ubi Patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas. Et usque adeò æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Vnde mihi videtur dicendo rursùm: Pater, clarifica nomen tuũ, non sanè aliud petere quàm se clarificari, in quo & per quem nomen Patris proculdubiò clarificaretur. Et responsum accepit à Patre: Et clarificavi, & iterùm clarificabo. Quæ quidem ipsa responsio non parva Filii glorificatio fuit. Superest ergo (*h*) ut juxta promissum Patris semel adhuc clarificetur, eaquè erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non est (ut Sponsa suspicata est) in plateis vel vicis, nisi fortè in illis de quibus dicitur: Plateæ tuæ Hierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur. In his revera illam recipiet à Patre Filius claritatem, cui non poterit similis inveniri ne in cœlestibus quidem. Cui enim aliquando Angelorum dictum est: Sede à dextris meis? Non modò autem de numero Angelorum, sed nec de superioribus quidem reliquis beatorum ordinibus omninò quis repertus idoneus est ad capessendam superexcellentem hanc gloriam. Ad neminem prorsùs illorum facta est vox illa gloriæ singularis, nemini vocis in se efficientiam experiri datum. Igitur Domino meo singulariter à Domino & dictum & datum est sedere à dextris gloriæ ipsius: utpotè in gloria coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, æternitate

non

e Serm. 3. in Epiph. n. 7. f Ibidem n. 2. g Serm. 76. in Cant. n. 4. h Ibidem n. 5.

non posteriori. Vnigenitus ille est (i) cui æterna generatione Patris æqualitas collata est,& confessus. Ipse est (k) secundùm Gabrielis testimonium, Altissimi Filius, ac proinde Coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis fateri necesse est altitudinis,& ejusdem penitùs dignitatis.

3. Postquàm (l) Vnigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inventus ut homo: non immeritò jam de cœlesti generatione exiguitas humana præsumit. Nunc jam (m) intueamini sponsæ gloriam, quæ & Cœlo se comparat,& illi Cœlo, quod tantò est gloriosius, quantò divinius. Nec immeritò usurpat inde similitudinem, unde originem ducit. Nam si propter corpus quod de terra habet, tabernaculis Cedar se assimilat: cur non & propter animam quę de cœlo est, Cœlo æquè similem se esse glorietur, præsertim cùm vita testetur originem, testetur naturæ dignitatem & patriæ? Vnum Deum adorat & colit quomodo Angeli: Christum super omnia amat quomodo Angeli: Casta est quomodo Angeli, idque in carne peccati & fragili corpore, quod non Angeli: quærit postremò & sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod evidentius cœlestis insigne originis, quàm ingenitam & in regione dissimilitudinis retinere similitudinē? gloriam vitæ cælibis in terra & ab exule usurpari? in corpore denique penè bestiali vivere Angelum? Cœlestis sunt ista potentiæ, non terrenæ: & quòd verè de cœlo sit anima quæ hæc potest, apertè indicantia. Audi tamen apertiùs. Vidi (inquit Joannes) Civitatem sanctam Hierusalē novam, descendentem de cœlo, à Deo paratam tanquam Sponsam ornatam viro suo: Et addit: Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. At quid? Credo ut sibi acquirat sponsam de hominibus. Mira res. Ad sponsam veniebat,& absque sponsa non veniebat. Quærebat sponsam, & sponsa cum ipso erat. An duæ erant? Absit. Vna est enim, ait, columba mea. Sed sicut de diversis ovium gregibus unum facere

i *Serm. 2. in oct. Pascha num. 1.* k *Serm. 1. de Adv. Domini num. 2.*
l *Serm. 1. in oct. Pasch. num. 1.* m *Serm. 27. in Cant. num. 6.*

voluit, ut sit unum ovile, & unus pastor: ita cùm haberet sponsam inhærentem sibi à principio multitudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi quæ de cœlo est, ut sit una sponsa, & sponsus unus. Ergo ex adjecta ista, perfecta est illa, non duplicata: & agnoscit d- se dictum: Una est perfecta mea. Porrò unam conformitas facit, nunc quidem in simili devotione, postea verò in pari gloria. Habes itaque (*n*) utrumque de cœlo, & Sponsum scilicet JESUM, & sponsam Hierusalem. Et ille quidem ut videretur, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. At illam in quanam putamus forma seu specie, aut in quo habitu videlicet descendentem vidit ille qui vidit? An fortè in frequentia Angelorum, quos vidit descendentes & ascendentes super filium hominis? Sed meliùs dicimus quòd sponsam tunc viderit, cùm Verbum in carne vidit, agnoscens duos in carne una. Dum enim Sanctus ille Emmanuel terris intulit magisterium disciplinæ cœlestis, dum supernæ illius Hierusalem quod est mater nostra, visibilis quædam imago & species decoris ejus per ipsum nobis & in ipso expressa innotuit: quid nisi in Sponso sponsam perspeximus, unum eundemquè Dominum gloriæ admirantes, & Sponsum decoratum corona, & sponsam ornatam monilibus suis? Ipse igitur qui descendit, ipse est & qui ascendit: ut nemo ascendat in cœlum nisi qui de cœlo descendit, unus idemquè Dominus & Sponsus in capite, & sponsa in corpore. Ego puto (*o*) omnem animam talem non modò cœlestem esse propter originem, sed & cœlum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Et tunc liquidò ostendit, quia verè origo ipsius de cœlis est, cùm conversatio ejus in cœlis est. Est ergo *Cœlum* sancta aliqua anima, habens *Solem*, intellectum: *Lunam*, fidem: *Astra*, Virtutes. Vel certè *Sol*, justitiæ zelus, aut fervens charitas: & *Luna*, continentia. Quomodo enim claritas (ut ajunt) Lunæ nō nisi à Sole est: sic absque charitate, seu justitia, continentiæ meritum nullum est. Hinc denique sapiens: O quam pulchra est (inquit) casta generatio cum charitate. Porrò Stellas dixisse virtutes non me pœni-

n *Ibidem num.7.* o *Ibidem num.8.*

pœnitet, conſiderantem congruentiam ſimilitudinis. Quomodo nempè Stellæ in nocte lucent, in die latent: Sic vera virtus quæ ſæpè in proſperis non apparet, eminet in adverſis. Illud ſanè cautelæ eſt: hoc neceſſitatis. Ergo Virtus, eſt Sidus, & homo virtutum, Cœlum. Niſi quis fortè cum Deum per Prophetam dixiſſe legit, Cœlum mihi ſedes eſt: Cœlum hoc volubile viſibileque intelligendum exiſtimet, & non potiùs illud, de quo alibi apertiùs Scriptura commemorat: Anima, inquiens, juſti ſedes eſt Sapientiæ. Videſne quales (p) in ſe habeat Eccleſia Cœlos, cùm ſit nihilominus ipſa in ſua quidem Vniverſitate ingens quoddam Cœlum extenſum à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum? Vide etiam conſequenter cui & in hoc ipſo aſſimiles eam, ſi tamen non tibi excidit illud quod paulòante memoratum eſt hujus rei exemplar, de cœlo videlicet cœli, & cœlis cœlorum. Sicut enim cœlum cœli ſingulariter dicitur univerſa illa multitudo collecta batorum: ſic & cœli cœlorum propter ſingulos, qui utique cœli ſunt, nominantur: & ad ſingulos ſpectat quod dicitur: Extendens cœlum ſicut pellem. Ergo exemplo illius quæ ſursùm eſt mater noſtra, hæc quoque quæ adhuc peregrinatur, habet cœlos ſuos, homines ſpirituales vita & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos. Et hi pluentes pluviam verbi Salutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis: hi enarrant gloriam Dei, hi extenti ſicut pelles ſuper omnem terram, legem vitæ & diſciplinæ digito quidem Dei ſcriptam in ſemetipſis oſtendunt, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: oſtendunt & Euangelium pacis, quoniam Salamonis ſunt pelles.

CAPUT XVII.

De Verbis Angeli nuntiantis Virgini Conceptum ſterilis Eliſabeth Cognatæ ejus.

p *Ibidem num. 12. & 5.*

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum.

Luc. 1.

1. *Quatuor causæ afferuntur, cur sterilis Elisabeth conceptus nuntiatus sit MARIÆ ab Angelo?* 2. *Quàm sit efficax Verbum Dei, cui idem est facere ac dicere.* 3. *Dulcissima Apostrophe ad Virginem MARIAM, ut præbeat Angelo præstolanti responsionis assensum, desideratum humano generi.*

1. ET adiecit Angelus: (q) Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Quid fuit necessè etiam huius sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid fortè dubiam adhuc & incredulam Oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam. MARIAM autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potiùs fidem ipsius, Elisabeth prophetante, laudatam agnovimus. Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Sed ideo sterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur. *Primò*: ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò necessè erat non modico lætitiæ, & amoris prævenientе inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus Sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia. *Secundò*: Ideo (r) conceptus Elisabeth nuntiatur MARIÆ, quia profectò decebat, ut verbū mox divulgandum ubique, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne Mater videlicet Dei à consiliis videretur amota, si eorum quæ in terris tam propè gere-

q *Serm.4.super missus num.6.* r *Ibidem num.6.*

gererentur, remansisset ignara. *Tertiò*: Ideò potiùs conceptus Elisabeth MARIÆ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc Præcursoris edocetur adventum, rerum tempus & ordinem tenens ipsa meliùs postmodùm Scriptoribus ac Prædicatoribus Euangelii referaret veritatē: quæ & plenè de omnibus à principio cœlitùs fuerat instructa mysteriis. Prius enim *(s)* Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in iustitia & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desideriis instar scilicet aeris sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret: Adeò *(t)* ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena. Hinc *(u)* in ejus mente tanquam in quodam firmamento Solem posuit rationis, & Lunam scientiæ, & virtutes tanquam Stellas speciei omnimodæ. Solem, qui lucem divinæ cognitionis faceret: Lunam, quæ cum Stellis noctem actionis splendidam redderet. Sed quid est *(x)* quod ait Euangelista, scilicet quòd ipsi non intellexerunt verbum quod locutus fuerat JESUS: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Non hoc de MARIA dictum arbitror, quę (ex quo Spiritus Sanctus supervenit in eam, & ei Virtus Altissimi obumbravit) nullum Filii sui potuit nescire consiliū: sed cæteris nescientibus sive non intelligentibus quod dixerit, MARIA ut sciens & intelligens, conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Memoriâ conservabat, meditatione ruminabat, & hæc cum cœteris quæ de eo viderat & audierat, conferebat. Virgo *(y)* Sanctissima (quæ Salvatorem genuit, quæ iugiter eius adhæsit lateri, quæ comes individua nullo ferè abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris invigilavit verbo & operi eius) sola Salvatoris actuum insignia, operum opera, melliflua prædicationis genera, inaudita contra mundum & peccatum & tartareum zabulum divinæ severitatis acerrima eloquia, quò eis diu interfuit, specialiùs vidit, secretiùs audivit, citiùs agnovit, propen-

siùs

s *Serm. de B. M. Deip. num. 2. tom. 6. pag. 761.* t *Serm. 29. in Cant. num. 8.* u *Serm. de B. M. Deip. n. 2. to. 6. pag. 761.* x *Tract. de Iesu puero duoden. nu. 9. tom. 6. pag. 634.* y *Serm. de B. M. Deip. num. 1.*

ſiùs retinuit: & Apoſtolis aliiſquè Diſcipulis luculentiùs edidit, diligentiùs retulit, meliùs indidit, fideliùs tradidit. Hinc eſt quod de ea legitur in Evangelio: MARIA autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Ita Beatiſſima (z) Virgo etiam tunc miſericorditer providebat nobis, nè tam dulcia, tam ſalubria, tam neceſſaria verba, aliquâ negligentiâ laberētur: & propterea nec ſcriberentur, nec prædicarentur, & ſic ſequaces hujus ſpiritualis mannæ delicijs fraudarentur. Omnia igitur hæc Virgo prudentiſſima fideliter conſervavit, verecundè tacuit, opportunè prodidit, & Sanctis Apoſtolis & Diſcipulis prædicanda commiſit. Hinc (A) in ejus laudibus: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſola ſupergreſſa es univerſas. Licet enim in parabolis JESUS loqueretur ad turbas, licet omnia Apoſtolis nota faceret ut amicis, quædam tamen credendum eſt præ cæteris Matrem ſuam quemadmodùm dilexiſſe, ita etiam propenſiùs erudiſſe, quædam ei ſecretiùs intimaſse, frequenter eam ad montem myrrhæ & ad colles thuris ſublimaſse, ſui prout novit & voluit gloriam deificam, & ſupercæleſtem revelaſse notitiam. Vnde Joannes in Apocalypſi: De throno ait (ſcilicet de MARIA) procedebant fulgura & voces & tonitrua: quia MARIA Mater Filii JESU Chriſti parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidiùs ebibit, fideliùs credidit, ſinceriùs luculentiùſque edidit. *Quartò*: (*b*) Ideo adhuc nuntiatur MARIÆ conceptus Eliſabeth, ut audiens cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de obſequio: ſicquè illa properante ad viſitandum Eliſabeth, parvulo Prophetæ locus & occaſio detur, quo minori adhuc Domino ſui officii valeat exhibere primitias: & dum ad ſe invicem occurrit matrum infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. A ſæculo (*c*) non eſt auditum, quòd quis exultaverit in utero matris, cùm hic in gaudio exultaſſe legatur Joannes Baptiſta. Prorsùs obſtupenda dignatio, puerum vix conceptum in motum exultationis erumpere, eiquè gratulanter occurrerere ſervitio dulciori, quem virginali ſubſtantiæ præſenſit infuſum. Beata anima, quæ in via peccatorum

z *Tract. de Ieſu puer. duod. num. 9.* A *Serm. de B. M. Deip. num. 1.* b *Serm. 4. ſuſc miſſus num. 6.* c *Serm. de Nativ. Ioan. Bapt. num. 4. tom. 6. pag. 743.*

torum non ſtetit, ſed ſecretiori ſemita de cæleſtibus officinis egrediens, inauditæ gratulationis eſt ſortita dulcedinem. Felix Eliſabeth, ad quam properat Mater Salvatoris, quam ſalutaribus obſequiis Cœlorum Imperatrix impertitur. Sed puer multò fœlicior, qui ſalutantis majeſtatem agnoſcens, intra viſcerum tenebroſa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ ſalutationis attendit. Et factum eſt (inquit Evangeliſta) ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit in gaudio infans in utero ejus. Aſcendit cum feſtinatione Virgo in domum Zachariæ ad ſalutandam Eliſabeth, portans in vtero Filium Dei, Regem gloriæ, Dominum majeſtatis. Occurrit Eliſabeth, & antiquæ ſterilitatis carens opprobriis, amicum Sponſi, præconem Verbi feliciſſimo ventre deportat. Junguntur amplexus, venitur ad oſcula, & copulantur fœlices uteri: regem & militem nonniſi duo tenerrimi parietes abjungunt. Quid mirum ſi miratur puer, & exultat à tactu tam proximæ Divinitatis & afflatu? Poteratne vacare à quocunque miraculo, cui præſens erat Regis præſentia, regnantis Mater? Hæc eſt Virgo glorioſa, (d) cujus ſalutationis vox & ipſum exultare fecit in gaudio, quem materna adhuc viſcera claudebant. Verè ardens (e) & vehementer accenſus Joannes, quē ſic præoccupavit flamma cæleſtis, ut jam Chriſti ſentiret adventū, qui necdum ſentire poterat vel ſeipſum. Nimirum novus ille ignis, qui recèns elapſus è cœlo, per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, & per matris aurem introivit ad parvulum: ut ab ea hora vas electionis ſuæ Spiritus Sanctus impleret, & lucernam Chriſto Domino pararet. Manſit autem Maria cum Eliſabeth quaſi tribus menſibus, ait Evangeliſta. Tanto tempore (f) manet cum Eliſabet virginalis integritas, & nunc dulciori eloquio, nunc feliciori amplexu Joannem puerum conſecrat & inſignit. Et fortaſſis uſque ad diem nativitatis ejus glorioſa Virgo cum Cognata morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo confoveret, & uno pariete remoto, propinquiorem redderet præſentiæ Creatoris. Facilè autem hoc ex Evangelii conjectura liquet, quia jam ſex menſes à conceptione Ioannis defluxerant

d *Serm. 1. in Aſſumpt. B. M. n. 1.* e *Ser. de Nat. v. Ioan. Bapt. n. 4. tom. 2. par. 1. pag. 40.* f *Ser. de Nat. Io. Bapt. n. 4. tom. 6. pag. 743.*

qui dedit eis posse prævidere; quàm facilè potuit tunc quæ voluit per illos prædicere, tàm facilè potuit nunc quando voluit per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia Veritas est: nec factum à verbo, quia Virtus est: nec modus à facto, quia Sapientia est. Ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quis enim (*k*) humanis comparare audeat dictis quod dixisse dicitur Deus? Vivus profectò est sermo Dei & efficax, & vox ejus in magnificentia & virtute. Denique ipse dixit & facta sunt. Dixit: Fiat lux, & facta est lux. Deus nempe (*l*) facit quod vult sola ipsa facilitate volendi, sine æstu, sine motu, sine præjudicio loci vel temporis, vel causæ vel personæ. Est enim Dominus Sabaoth, qui cum tranquillitate judicat omnia. Est Sapientia disponens omnia suaviter. Porrò Angelus non absque motu operatur tam locali quàm temporali, sine æstu tamen. Illud autem scitote (*m*) nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri suivè corporis instrumento ita nobis immisceatur & infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo & incircumscripto Spiritui, qui solus cùm docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris. Solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiens. Quod si dicas (*n*) posse inesse & Angelum? Non inficior. Memini scriptum: Et Angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens: inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest, ut afficiat, ut infundat, vel potiùs ut infundatur & participetur: ita ut unum proindè cum nostro spiritum esse dicere quis non timuerit, etsi non unam personam, unamvè substantiam. Habes enim: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contuber-

 na-

k Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 1. num. 2. l Serm. 78. in Cant. n. 2. m Serm. 5. in Cant. num. 6. n Lib. 5. de consid. cap. 8. n. 12.

nalis animæ ineſt, Deus ut vita. Animæ (o) corporibus & corporeis egent ſenſibus, per quæ ſibi invicem innoteſcant & valeant. At non ita Omnipotens Deus, cui de ſola voluntate celeris ſuppetit efficientia tàm creandis rebus quàm ordinandis prout voluerit. Valet cui vult, quantùm vult, & abſque corporalium officio obſequioquè membrorum. Quid? Ad intuenda quæ condidit ipſe putas ſibi requirat corporei ſenſus adjutorium? Nihil omnium omninò latet aut effugit lucem ubique præſentem: nec tamen ut agnoſcat aliquid neneſſarium habet renunciantis ſenſus miniſterium. Nec ſolùm univerſa noſcit ſine corpore, ſed & innoteſcit mundis corde ſine corpore. Omnia omnibus eſt (p) qui omnia adminiſtrat, nec quidquam eſt omnium propriè. Nam quod in ſe eſt, lucem habitat inacceſſibilem, & pax ejus exuberat omnem ſenſum, & ſapientiæ ejus non eſt numerus, & magnitudinis ejus non eſt finis: nec poteſt eum videre homo ut vivat. Non quòd longè ab unoquoque ſit qui eſſe omnium eſt, ſine quo omnia nihil: ſed (ut tu plùs mireris) & nil eo præſentius, nil incomprehenſibilius. Quid nempè cuique rei præſentius quàm eſſe ſuum? Quid cuique tamen incomprehenſibilius quàm eſſe omnium? Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt quod eſt ille, ſed quia ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Quid eſt Deus? (q) Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. *Ex quo omnia*, creabiliter non ſeminabiliter. *Per quem omnia*, non alium auctorem atque alium opificem arbitreris. *In quo omnia*, non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute. *Ex quo omnia*, tanquam uno principio auctore omnium. *Per quem omnia*, nè alterum inducatur principium, artifex. *In quo omnia*, nè tertium inducatur, locus. *Ex quo omnia*, non de quo, quia non eſt materia Deus. Efficiens cauſa eſt non materialis. Fruſtra Philoſophi materiam quærunt, non eguit materiâ Deus. Non enim officinam quæſivit, non artificem. Ipſe per ſe, in ſe omnia fecit. Vnde? De nihilo. Nam ſi ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Abſit ut de ſua incorrupta incorruptilique ſubſtantia tam multa fecerit, etſi bona, corruptibilia tamen. Quæris ſi in ipſo omnia, ipſe ubi?
Nihil

o *Ser. 4. in Cant. n. 4.* p *Ser. 4. in Cant. n. 3. & 4.* q *Lib. 5. de conſid. cap. 6. num. 14.*

Nihil minus invenio. Quis capiat locus? Quæris ubi non sit? Nec hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam sit qui non clauditur loco, & nusquam non sit qui non excluditur loco. Suo autē sublimi atque incomprehensibili modo sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique (sicut ait Evangelista) in mundo erat. Aliàs verò ubi erat antequam mundus fieret? Ibi est. Non est quod quæras ultrà ubi erat: præter ipsum nihil erat. Ergo in ipso erat. Deus esse est omniū *(r)* quæ facta sunt, ipse factor eorum, sed causale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa maiestas suis esse creaturis, omnibus quidem quòd sunt, animantibus autem quòd & vivunt, porrò ratione utentibus lux, rectè verò utentibus virtus, vincentibus gloria. Et in his omnibus creandis, gubernandis, administrandis, movendis, promovendis, innovandis, firmandis, nullis corporeis indiget instrumentis, qui omnia solo verbo & corpora creavit & spiritus. Unde *(s)* etsi apud homines impossibile est, sed apud Deum omnia possibilia sunt. Mittit namque misericors Dominus & pius eloquium suum terræ, inspirationem scilicet infundens animæ, ad quam velociter currit sermo ejus, non reversurus ad eam vacuus, sed faciet quæcunque vult, & prosperabitur in his ad quæ misit illud.

3. Audisti Virgo factum, *(t)* audisti & modum, utrumquè mirum, utrumque jucundum. Jucundare filia Sion, & exulta satis Filia Hierusalem. Et quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia: audiamus & nos à te responsum lætitiæ quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, & credidisti: Crede & de modo, quod audisti. Audisti quia concipies, & paries filium: audisti quòd non per hominem, sed per Spiritu Sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus & nos o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim

 libe-

r Serm. 4. in Cant. num. 4. s Serm. 4. in Dom. Palm. num. 7. t Serm. 4. super missus num. 8.

liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc David. Hoc cæteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum: salus deniquè universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantùm concupivit decorem tuum, tantùm desiderat & responsionis ascensum, in qua nimirùm proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è Cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectemus? Imò tu ipsa, non alia. Tu inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cùm dicebat: Expectabo salutare tuum Domine. In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodò præbeas assensum, respondens verbum? Responde itaque citiùs Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum: profer tuum, & concipe Divinum: emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenùs convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re nè timeas prudens Virgo præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pie-

tas

tas necessaria. Aperi Virgo sinum (u) expande gremium, præpara uterum: quia ecce facturus est tibi magna qui potens est, intantùm ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas prudens Virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescies virum, & gignes Filium. Qualem Filium? Illius eris Mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ charitatis, erit corona tuæ castitatis: Sapientia paterni cordis, erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo virgo fœcunda, casta puerpera, Mater intacta, quia non eris in Israel ultrà maledicta, neque inter steriles deputata. Ne steteris (x) vel inter Angelos Virgo sancta, sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandam terra sitiens præstolatur. Paululùm cùm pertransieris eos, invenies quem diligit anima tua. Aperi ergo (y) Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursùs incipias dolens quærere quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem.

CAPUT XVIII.

De verbis MARIAE præbentis Angelo responsionis assensum.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. *Luc.* 1.

1. De humilitate MARIÆ, quâ reputando se ancillam Domini, præparavit ei sedem in suo utero virginali. 2. Sublimis fuit humilitas MARIÆ, quòd licet esset honorata titulo Maternitatis Dei, respondit tamen se esse ancillam ejus. 3. Respon-

u *Serm. 3. super missus num. 8.* x *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 10.* y *Serm. 4. super missus num. 8.*

ſponſio MARIÆ indicat non ſolùm magnanimitatem in credendo verbis Angeli : 4. Sed etiam ferventem ejus orationem , quâ deſideravit Verbum Dei incarnari ex carne ſua virginali .

1. ECCE, inquit, ancilla Domini,fiat mihi ſecundùm verbum tuum . Sonuit vox lætitiæ (z) in terra noſtra , vox exultationis & ſalutis in tabernaculis peccatorum . Auditum eſt verbum bonum , verbum conſolatorium, ſermo jucunditate plenus , dignus omni acceptione . O verbum breve (A) ſed plenum,ſed vivum,ſed efficax, ſed dignum omni acceptione . Verbum abbreviatum (b) attamen vivum & efficax . Haud dubius profectò aſſero , quod auribus oculiſquè percepi . Anima mea (c) liquefacta eſt in ſermone iſto, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis æſtuat , jucunditatem hanc & exultationem ſolito vobis deſiderio eructare feſtinans . Lætare (d) pater Adam , ſed magis tu ò Eva Mater exulta : quia ſicut omnium parentes , ita fuiſtis omnium peremptores: & quod infelicius eſt, priùs peremptores quàm parentes. Ambo inquam conſolamini ſuper Filia, & tali Filia: ſed illa ampliùs de qua malum ortum eſt priùs , cujus approbrium in omnes pertranſiit mulieres . Inſtat namquè tempus quo jam tollatur opprobrium , nec habeat vir quid cauſetur adversùs fœminam : qui utique dum ſe impudenter excuſare conaretur , crudeliter illam accuſare non contactus eſt , dicens : Mulier , quam dediſti mihi , dedit mihi de ligno , & comedi.Propterea curre Eva ad MARIAM,curre mater ad Filiam: Filia pro matre reſpondeat , ita matris opproprium auferat: ipſa Patri pro matre ſatisfaciat, quia ecce ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur niſi per fœminam . Jubilate montes laudem (e) & omnia ligna ſylvarum plaudite manibus ante faciem Domini quia venit . Audite Cæli , & auribus percipe terra , obſtupeſce & lauda univerſitas creaturæ , ſed tu magis o homo . Vox turturis (f) audita in terra noſtra . Et hoc indicium eſt tranſactæ hyemis, tempus nihilominùs putationis adeſſe

z *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* A *Serm. 1. in Converſ. S. Pauli num. 6.* b *Serm. 59. in Cant. num. 8.* c *Serm. 6. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* d *Serm. 2. ſuper miſſus nu. 3.* e *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* f *Serm. 69. in Cant. num. 2.*

adesse denuntians. Ecce, inquit, ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. Semper (g) solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat suam gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ prepareretur. Ecce, inquit, ancilla Domini. Bonus fundus humilitas (h) in qua omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. Humilitas, (i) ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Virtutum siquidem (k) bonum quodã ac stabile fundamentum est humilitas. Nempè si nutet, illa virtutum aggregatio nonnisi ruina est. Sola profectò (l) quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas. Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Non contendit judicio, nec prætendit justitiam qui verè humilis est, sed dicit: Non intres in judicium cum servo tuo Domine. Recusat judicium, & postulat misericordiam: faciliùs sibi veniam impetrare posse quàm justitiam vendicare confidens. Novit naturam Divinam naturaliter piam, quæ nostram nequaquàm humilitatem abhorreat. Non despicit illa majestas cor contritum & humiliatum in nostro genere, quæ corpus ex eo humilitatis assumere non dedignata est. Nescio quo pacto familiariùs semper humilitati propinquare solet Divinitas. Denique illâ se induit, ut appareret hominibus. Substantiam, formam, habitumquè gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excellentiam, quam speciali sui voluerit honorare præsentiâ. Sed (m) quid dicimus fratres? Cui nam potissimùm vasi gratia infundetur, si capax quidem est misericordiæ fiducia, patientia verò justitiæ? Quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est, purissimum & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidvè tam solidum quàm humilitas cordis. Meritò proinde humilibus dat gratiam: meritò respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Quonam merito quæris? Eo utique, quo animum humilem meritum

non

g *Serm. 4. super missus num. 9.* h *Lib. 2. de consid. cap. 6. num. 13.* i *Epist. 87. num. 11.*
k *Lib. 5. de consid. cap. 14. num. 32.* l *Tract. de offic. & mor. Episc. cap. 6. num. 24.*
m *Serm. 3. in Annunc. B. M. num 9.*

non occuparet humanum, quominùs liberè influeret divinæ gratiæ plenitudo. Nec in sola tantùm (*n*) taciturnitate Mariæ commendatur humilitas, sed evidentiùs resonat in sermone. Audierat: Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et nihil aliud quàm ancillam ejus se esse respondit. Unde tibi (*o*) humilitas & tanta humilitas o beata Virgo? Digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret Rex, cuius odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Opportet ergo (*p*) humiliter sentire de se nitentem ad altiora, nè, dum supra se attollitur, cadat à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima minimè obtinentur, propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cùm te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omninò argumentum gratiæ propinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sanè utrumquè legis, Deum scilicet & superbis resistere, & humilibus dare gratiam. Nonne denique servum suum Job, cùm post insignem triumphum, tantam & tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, priùs in multis & districtis percunctationibus humiliare curavit, & sic parare viam benedictioni? Quid denique (*q*) humilitate ditius, quid preciosius invenitur, quâ nimirũ regnum Cælorum emitur, & Divina gratia acquiritur. Humilitatis autem (*r*) talis potest esse definitio: Humilitas est virtus, quâ homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Hęc autẽ convenit his qui ascensionibus in corde suo dispositis, de virtute in virtutem, idest de gradu in gradum proficiunt, donec ad culmen humilitatis perveniant, in quo velut in Sion, idest in speculatione positi veritatem prospiciant. Etenim (inquit David) benedictionẽ dabit Legislator: quia qui dedit legem, dabit & benedictionem, hoc est qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis verò est hic Legislator, nisi dulcis & rectus Dominus, qui legem dedit delinquentibus in via? In via quippè delinquunt,

n *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 12.* o *Serm. 4. in Assumpt. B. M. num. 7.* p *Serm. 34. in Cant. num. 1.* q *Serm. 4. in Vig. Nat. Dom. num. 6.* r *Tract. de grad. humil. cap. 1. num. 2.*

quunt, qui veritatem derelinquunt. Studete proinde humilitati (s) quæ fundamentum eſt cuſtoſquè virtutum: ſectamini illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras. Si (t) Virginitatem in MARIA non poteſtis niſi mirari, ſtudete humilitatem imitari, & ſufficit vobis.

2. Ecce, inquit, ancilla Domini. Quæ eſt (u) hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat? Non mediocris revera humilitatis inſigne, nec oblatâ tantâ gloriâ oblivíſci humilitatem. Non magnum eſt eſſe humilem in abiectione: magna prorsùs & rara virtus, humilitas honorata. Acceperat ſponſa (x) & repromiſſionem ornatus aurei, & nihilominus tamen cum humilitate reſpondet: & quantò majorem ſe audit, tantò humiliat ſe in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas humilitatis oblivíſcitur, quam & humiliter confitetur ſub nardi nomine. Ac ſi voce Virginis MARIÆ dicat: Nullius mihi meriti conſcia ſum ad tantam dignitatem, niſi quòd reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Nam quid eſt aliud, Nardus mea dedit odorem ſuum, quàm placuit mea humilitas? Non mea, inquit, ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi: ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorem ſuum, ideſt ſolitum: ſolitò placet Deo humilitas. Solitò planè atque ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit: & ideo cùm eſſet Rex in accubitu, ideſt in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit. In altis habitat, inquit, & humilia reſpicit in Cælo & in terra: Magna (y) & rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias: & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui etſi non exeunte ex te tamen tranſeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Tunc juxta Prophetam projicis avaritiam ex calumnia, & excutis manus tuas ab omni munere. Tunc juxta mandatum Domini, lux tua lucet coram hominibus,

s *Serm. 1. in Nat. Dom. num. 1.* t *Serm. 1. ſuper miſſus num. 6.* u *Serm. 4. ſuper miſſus num. 9.* x *Serm. 42. in Cant. num. 9.* y *Serm. 13. in Cant. num. 3.*

nibus ad glorificandum non te, ſed Patrem qui in Cælis eſt. Sed & imitator Pauli fideliumquè prædicatorum non prædicantium ſemetipſos, æquè nec tu quæ tua ſunt quæris, ſed quæ JESU CHRISTI. Recta facere (z) & inutilem ſe reputare, apud paucos invenitur, & ideo multi admirantur. Hæc virtus (me judice) præfertur etiam protractis jejuniis, & anticipatis vigiliis, omni denique corporali exercitio, tanquam vera pietas quæ ad omnia valet. Nempè (A) ut caſtitas ſeu charitas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam: ſervat acceptas, quia non requieſcit Spiritus Domini niſi ſuper quietum & humilem: ſervatas conſummat, nam virtus in infirmitate, hoc eſt in humilitate perficitur. Inimicam omnis gratiæ, omniſquè initium peccati debellat ſuperbiam, & tam à ſe quàm à cœteris virtutibus ſuperbam illius propulſat tyrannidem. Siquidem cùm ex aliis quibuſque bonis virium magis ſuarum capere ſoleat incrementum ſuperbia: ſola hæc omnium propugnaculum quoddam turriſquè virtutum humilitas, ejus fortiter reſiſtit malitiæ, obuiat præſumptioni. Paupertas (b) quæ nec habet nec habere deſiderat, lateralem adjunctam ſibi quærit paupertatem, videlicet ſuperbiæ latentis contritionem: ut qui membrum Dei eſt, pauper ſit ſpiritu, ideſt humilia & abjecta de ſeipſo ſentiat & judicet. Non applaudeat ſibi, non inſletur de meritorum eminentia, nec aliis inſultet: quod Chriſtus tenuit & ſervavit præ omnibus. Vnde & ad Diſcipulos dicebat: Cùm feceritis hæc omnia, dicite quia ſervi inutiles ſumus. Si enim (c) genera linguarum, ſi gratiam ſanitatum, ſi prophetandi ſcientiam accepiſtis, ſi verba veſtra meliora ſunt immò fragrantia unguentis optimis, ſi mundus reveretur vos, & in odore unguentorum veſtrorum currere delectatur: ejus opus certum eſt eſſe, qui ait: Pater uſque modò operatur. Magna virtus humilitas (d) ſine cujus obtentu virtus fortitudinis non ſolùm virtus non ſit, ſed etiam in ſuperbiæ vitium erumpat. Quàm fortiter currebat Saul cùm eſſet parvulus in oculis ſuis! quanta

Phi-

z *Epiſt.142.num.2.* A *Tract.de off. & mor.Epiſc. cap.5. nu.17.* b *Serm. 2. in Cœn. Domini num. 3.* c *Epiſtola 384. num. 3.* d *Serm. 41. de diverſis num.9.*

Philistæorum agmina prosternebat ! quantis viribus exercebat gladium ! Postquàm autem tenuit eum superbia, & transivit in affectum cordis ; debilis & impotens factus,incircumcisorum armis facilè prostratus occubuit. Aspice Regem David, in quo humilitas sublimis, & humilis sublimitas felici compositione nitescunt: Domine, inquit, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei : & ad totum itinerarium ejus sedula intentione recurre, & quaqua versùm oculos reflexeris, invenies humilitatis floribus esse respersum . Audi namquè alibi quid dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam . Quàm verè loquitur justus justitiæ executor!Sunt namque plurimi qui fortitudinem suam non ad Deum, sed ad inanem gloriam custodiunt, qui confidunt in virtute sua, qui de acceptis virtutibus quasi non acceperint, gloriantur: Conditori facientes iniuriam, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Nè ergo fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis: quia nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Illi ergo fortitudinem suam ad Deum custodiunt, qui cùm fecerint quod facere debent, dicere possunt : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Et hæc est utique (e) magna virtus, & summa securitas,quando & piè vivis,& tamen plùs attēdis quę desunt tibi,quàm quę obtinuisse videris,oblitus quę retrò sunt,& extendens te in anteriora.Quàm sublimi (f) aliquando meditationi Monachus quidam laicus toto intendit spatio vigiliarum ! Etenim summo mane apprehensum me in auditorium trahit, & prostratus pedibus, Væ mihi, inquit, quia Monachum in vigiliis unum consideravi,in quo triginta virtutes numeravi,quarum nè unam quidem in me invenio. Et fortasè nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat religiosæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus sit nostri hujus sermonis, ut aliorum altiora semper attendas, quia in eo plenitudo consistit humilitatis. Nam si fortè in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur, sed in multis (si bonus æmulator fueris) judicare te poteris inferiorem.

e Serm.4.super Psalm.90.num.3. f Serm.36.de div. num.3.& lib.2. de Vita S.Bern.cap.4.n.25.pag.60.

3. Audiamus denique (*g*) quid illa responderit, quæ Dei Mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur. Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Fiat*, desiderii signum, non dubitationis indicium. Et per hoc quòd dicit, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm effectum requirere more dubitantis. Inde (*h*) ventum est ad Elisabeth, & continuò Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique & beatificat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Magna quidem præconia, sed devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, beatam esse dicis, quæ credidissem: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Verumtamen (*i*) numquid putamus Elisabeth Sanctam in eo quod per Spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus; & beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus supervenientis tantæ humilitati magnanimitas tanta in Secretario virginei cordis accessit, ut (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæ quoque nihilominus sint Stellæ ex respectu mutuo clariores, quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cùm in sui æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis: ut quæ nihil aliud quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, & admirabile commercium, ad inscrutabile Sacramentum nullatenùs se dubitaret electam, sed veram Dei & hominis Genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirùm in cordibus electorum gratiæ prærogativa divina, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes: magis autem cooperentur sibi, ut non solùm nulla ex magna-

g *Serm. 4. super missus num. 11.* h *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 12.*
i *Ibidem num. 13.*

gnanimitate ſubintret elatio, ſed hinc maximè provehatur humilitas: ut inveniantur eò ampliùs timorati, & largiori munerum non ingrati, ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſubrepat: ſed quo minùs de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſuevit, eò ampliùs etiam in magnis quibuſque de divina virtute confidat. Numquid *(k)* fides magnanimum facit? Et ſola. Quidquid enim ſine fide præſumitur, non eſt ulla animi ſolida magnitudo, ſed ventoſa quædem inflatio & tumor inanis. Vis videre magnanimem virum? Omnia, inquit, poſſum in eo qui me confortat. Jam verò *(l)* magni patrisfamilias ſeù regiæ majeſtatis ſchema apparere exiſtimo his, qui accedentes ad cor altum de majori ſpiritus libertate, & puritate conſcientiæ magnanimiores facti conſueverunt audere majora, in quieti prorsùs & curioſi ſecretiora penetrare, & apprehendere ſublimiora, & tentare perfectiora non modò ſenſuum ſed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inveniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem: nec eſt omninò in omnibus apothecis Sapientiæ à quo Deus Scientiarum Dominus arcendos cenſeat cupidos veritatis, vanitatis non conſcios. Talis erat Moyſes, qui audebat dicere Deo: Si inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi temetipſum. Talis Philippus, qui ſibi & ſuis condiſcipulis Patrem flagitabat oſtendi. Talis & Thomas, qui niſi ſua manu tangeret vulnus & foſſum latus, credere recuſabat. Puſilla fides, ſed de magnitudine animi miro modo deſcendens. Talis quoque David, qui & ipſe dicebat Deo: Tibi dtxit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Tales itaque magna audent, quoniam magni ſunt: & quæ audent obtinent juxta verbum promiſſionis ad ipſos, quod eſt iſtiuſmodi: Quemcunque locum calcaverit pes veſter, veſter eſt. Magna ſiquidem fides, magna meretur: & quatenùs in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenùs poſſidebis. Pes veſter utique *(m)* ſpes veſtra eſt: & quantumcunque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur ut firma ſit, & non timebit. Denique *(n)* Moyſi ore ad os loquitur

Deus

k *Serm. 43. de div. n. 2.* l *Serm. 32. in Cant. n. 8.* m *Serm. 15. sup. Psal. 90. n. 5.* n *Serm. 32. in Cant. num. 9.*

Deus, & palàm non per ænigmata & figuras Dominum videre meretur, cùm Prophetis aliis tantùm in visione apparere se dicat, & per somnium loqui. Moyses, inquam, (o) vidit Deum non per figuras & ænigmata, seu per somnia uti Prophetæ alii, sed modo planè præcellenti atque inexperto cœteris, sibi noto & Deo. Philippo quoque (p) secundùm petitionem cordis sui ostensus est Pater in Filio, in eo proculdubio quod incontinenti audivit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum: & quia ego in Patre, & Pater in me est. Sed & Thomæ juxta desiderium cordis ejus palpandum se præbuit, & voluntate labiorum ejus non fraudavit eum. Quid David? Nonne & ipse voto se non omninò fraudari significat, ubi ait non daturum se somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, donec inveniret locum Domino? Igitur istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit Sponsus (JESUS Christus) & magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam, & veritatem suam: eosquè deducens & adducens in montem sanctum suum, & in tabernacula sua, ita ut dicat qui ejusmodi est: Quia fecit mihi magna qui potens est. Quære ergo (q) secura, ô sponsa, quære devota, bonus est Dominus animæ quærenti se. Quære votis, sequere actibus, fide inveni. Crede, & invenisti: nam credere invenisse est. Quid non invenit fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodò circumcludit. Fidenter dixerim, æternam beatamquè Trinitatem quam non intelligo, credo: & fide teneo, quod non capio mente. Laudatur MARIA (r) quòd rationem fide prævenit, & punitur Zaccharias quòd fidem ratione tentavit: Et rursùm Abraham commendatur, qui contra spem in spem credidit.

4. Denique per hoc (s) quòd dicit MARIA, *fiat mihi secundùm verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm effectum requirere more dubitantis. Quanquam nihil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat. Vult autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur, ut ex promissione

o *Serm. 33. in Cant. n. 6.* p *Serm. 32. in Cant. nu. 9.* q *Serm. 76. in Cant. nu. 6.*
r *Tract. de error. Abailar. c. 1. n. 1.* s *Ser. 4. sup. miss. nu. 1.*

ſione devotio excitetur, ſicquè quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſalvos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum non prævenit tribuendo quod retribuat, agit gratis nè gratis tribuat. Licet ipſe *(t)* in nobis facit opera, non tamen omninò ſine nobis. Cooperatores enim Dei ſumus, ſicut dicit Apoſtolus. Vult ſiquidem Deus, ut eum adjuvemus: & ut ei advenienti & præſtolanti ad oſtium, aperiamus ſinum voluntatis noſtræ, & ei conſentiamus. Hunc conſenſum exigebat à Samaritana, quando dicebat: Voca virum tuum: quaſi diceret: Volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium. Orationem exigebat ab ea, cùm dicebat: Tu ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: forſitan petiiſſes ab eo aquam vivam. Clamavit ad me *(u)* & exaudiam eum. Hoc planè eſt teſtamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum miſericordiæ & miſerationis. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore conſtituit poſtulationis. Clamavit, inquit, ad me, & exaudiã eum. Meritò nõ exauditur, qui clamare diſſimulat, aut omninò non poſtulans, aut tepidè poſtulans & remiſsè. Siquidem in Dei auribus deſiderium vehemens clamor magnus: è regione autẽ remiſſa intentio, vox ſubmiſſa. Quando illa penetrabit nubes, quando audietur in Cœlis? Nempè ut clamandum ſibi noverit homo, inter primordia ſuæ orationis ipſum quem oraturus eſt Patrem in Cœlis eſſe protinùs admonetur, quòd videlicet impetu quodam ſpiritus illò ſibi jaculandam eſſe meminerit orationem. Spiritus eſt Deus, & in ſpiritu clamet neceſsè eſt, quiſquis clamorem ſuum ad eum deſiderat pervenire. Sicut enim non faciem hominis reſpicit tanquam homo, ſed magis intuetur cor: ſic ad cordis potiùs vocem quàm corporis, aures ejus: cui meritò dicitur: Deus cordis mei. Hinc eſt quòd Moyſes foris tacens intùs auditur, dicente Domino: Quid clamas ad me? Deſiderium viri ſancti *(x)* clamorem appellat, quia lingua profectò tacebat. Vnde Dominus in Pſalmo: Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Numquid *(y)* non deſiderium

vox

---

t *Tract. de modo orandi c. 11. n. 12. to. 5. pag. 480.* u *Serm. 16. ſuper Pſ. 90. num. 1.*
x *Tract. de Vit. Myſt. c. 6. nu. 29.* y *Serm. 74. in Cant. n. 2.*

vox? Et valida. Desiderium pauperum (inquit David) audivit Dominus. Ad Deum ergo (z) clament desideria tua, ut habeas gratiam eius bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius. Cæterùm (*A*) quod postulamus, Spiritus Sanctus donat, ipse donat ut postulemus: & sicut nos erigit piâ quadam fiduciâ, ita Deum inclinat ad nos magis piâ misericordiâ suâ. Sola misericordia est (*b*) quæ nos & prævenit & perducit. Multùm sibi de hac misericordia undique contraxerat puer Domini (David) dùm diceret: Misericordia eius præveniet me. Et, Misericordia tua ante oculos meos est. Et, Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Hoc utique (*c*) prudens Virgo intellexit, quando prævenienti se muneri gratuitæ promissionis, iunxit meritum suæ orationis: Fiat, inquiens, mihi secundùm verbum tuũ. Fiat mihi de Verbo secundùm verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat Caro de carne mea secundùm verbum tuum. Fiat obsecro mihi Verbum non prolatum quòd transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Non fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: & hoc non mortui calami depictione, sed Sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porrò multifariàm multisquè modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis: & aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur. Mihi autem oro ut in utero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatoriè prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatoriè somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundùm verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni Mundo, sed specialiter fiat mihi secundùm verbũ tuũ

CA-

z *Serm.25. de div. n.5.* A *Serm.1. in die Pent. nu.4.* b *Serm.2. in Pent. nu.7.* c *Serm.4. sup. missus num.11.*

CAPUT XIX.

De laudibus Virginis MARIAE, quibus extollitur & fides singularis, & excellens prærogativa ejusdem Virginis MARIAE.

Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.
Luc. 1.

1. Verè beata, quæ credidit dictis Gabrielis Archangeli. 2. Beata, quæ fide concepit, fide peperit. 3. Beata, quæ sola per illud triste sabbatbum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia.

1. ELISABETH (*d*) beatificat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Angelo quidem (*e*) foris loquente, sed Deo intùs persuadente. Erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo: Dominus tecum. Planè beata (*f*) quæ credidit: quia perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Perfecta autem non essent, si quominùs juxta verbum Domini esset fermentatum totum, & perpetuò fermentatum; servans nobis tam in morte quàm in vita pariter unum atque integrum mediatorem Dei & hominum cum sua Deitate hominem JESUM Christum. Vnus est enim (*g*) vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum homo Christus JESUS, qui dicit Sponsæ suæ: Salus tua ego sum. Propterea ergo Christi potissimùm desideraverat umbram: Sub umbra eius, ait, quem desideraverā sedi. Vmbra eius, caro eius: umbra eius, fides. MARIÆ obumbravit proprii filii caro: mihi Domini fides: quanquam & mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam? Et Sancta nihilominus Virgo fidei & ipsa experta est umbram, cui

 di-

d Serm. 1. de Virg. Deip. n. 12. e Serm. 4. super missus n. 3. f Lib. 5. de consid. cap. 10 n. 22. g Serm. 48. in Cant. n. 6.

dictum est: Et beata quæ credidisti. Bona fidei umbra, *(h)* quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim: Fide mundans corda eorum. Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit. Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est: Et beata quæ credidisti. Habuit & de Christi corpore umbram, quæ audivit: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Gloriosa dicta sunt *(i)* de te Civitas Dei Genitrix: sed adhuc locus est tuæ laudationi. Levemus ergo *(k)* cor nostrum cum manibus ad MARIAM, & appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, reddentes ei vota nostra de die in diem, de hora in horam dicentes assiduè: O Alma Virgo MARIA *(l)* tantò cunctis Angelorum Spiritibus, & omnibus electorum Animabus in conspectu Filii tui Domini nostri JESU Christi assistis gloriosior, quantò ab illo meruisti fieri beatior: obsecramus te lachrymosis suspiriis, ut ad gemitum nostri mœroris aurem inclines tuæ magnificæ pietatis. Nos quidem pro innumerabilibus delictis inferni supplicium meruimus, ubi nullatenùs pœnitentiæ datur locus. Quoniam quidem aliquando in Baptismate fidem Domino nostro JESU Christo promisimus, quâ malè vivendo hactenùs mentiti sumus: Ideo ad te confugimus, quia nec meliorem nec aptiorem ad placandum iram venturi Judicis invenire possumus. Surgemus ergo, o Sancta Virgo misericorditer actura pro nobis. Surge, & amplectere misericordiam nostri Redemptoris. Da preces pro nobis, quos cernis offensos ante oculos nostri Conditoris: Cœcos cordium nostrorum oculos terge, atque semitas iustitiæ nobis ostende: Orando, à nobis vitia subtrahe, & sancta plantaria virtutum insere. Impetra cursum, quo consequamur supernum bravium. Tale certamen, piissima Domina tuis orationibus nobis de cœlis obtine, ut deleas quidquid deliquimus in terris: nam non est aliquid tam pravum in nobis, quod (si tibi placet) orando abolere non possis. O Sacratissima Virgo! nos qui hoc credimus quòd Virgo & Mater Dei sis, credendo sentiamus quid pro nobis de-

h *Serm. 31. in Cant. num. 10.* i *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* k *Serm. 1. super Salue Regina num. 2.* l *S. Bernard. serm. de laud. Virg. Mariæ relato in Annal. Cisterc. tom. 4. pag. 555.*

depreceris, & juxta petentium vota impetrata assequaris: & qui confitemur te genuisse Deum & hominem, gaudeamus per te nobis advenire salutem: & qui non dubitamus cunctis te esse meliorem, per te multimodam sentiamus adesse nobis pacis fœlicitatem. Et si quando processerit ad nos divina miseratio tua; nè superbiamus, assistat tuitio: aut si supervexit tribulatio, ne labamur, sit præsens tua sancta protectio. Facquè orando, o Domina, ut servi Filii tui Domini nostri Jesu Christi effici mereamur. Attende Domina (m) & vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia. Et nunc (n) sequimur te o Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & supervestivit carnem filiorum suorum sicut diploide, confusione sua. De manu quippè ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. O infelix hæreditas! ò dira humanæ carnis infirmitas! Usquequò patiemur te? Multùm dorsa nostra incurvasti, quia gravis es valdè, & diù te sustinuimus. Multùm minuisti nos ab Angelis, equo & jumentis insipientibus coæquasti: nimis invalvisti, quæ nonnisi morte Filii Dei sanari potuisti: nimis super nos te extulisti, quando & usque ad eum qui supra omnia est, incautè ascendisti. Et quis (o) liberabit nos à corruptela hujus miserrimę pelliculę? Gratia Salvatoris nostri Filii tui o Maria, qui ut infirma nostra tolleret, spontè infirmatus est: & ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus ut loquatur ad cor Domini nostri Jesu Christi, ut tu felix Maria, quæ in sacratissimis amplexibus amantissimi Filii tui suaviter recubas in meridie sempiterno, ejusquè familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris? Loqueris Domina, quia audit Filius tuus: & quæcunque petieris, impetrabis. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Exur-

m *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 1.* n *Ibidem nu. 6.* o *Ibidem n. 7.*

ge, virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quando succi noxialis gustu ebriata, reliquias dimisit paruulis suis. Te igitur Domina exorante, omne jugum nostrum computrescat à facie olei Divinæ misericordiæ.

2. Simile est regnum Cœlorum fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totũ. *Matt.* 13 *Verbũ(p)* quod erat in principio apud Deum, & Deus erat: *Anima*, quæ de nihilo creata est, & ante non erat: *Caro* de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio (qualis nulla jam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his tribus genus potentiæ, quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulominùs ab Angelis minoratum. Hæc sunt Euangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentatur, ut sit panis Angelorum quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit. Et, ut ait Elisabeth, Beata, quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Hæc inquam *(q)* illa tria sata de Euangelio mixta & fermentata in panem unum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videtur. Quàm benè ea mulier fermentavit, ut nec divisione quidem facta carnis & animæ, à carne vel anima Verbum divideretur. Mansit & in separatione inseparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit unitati præscribere, permanenti in totis tribus. Sive conjunctis, sive disiunctis duobus, nihilominus perseveravit in tribus unitas personalis. Æquè unus Christus, unaquè persona, Verbum, Anima, & Caro, etiam mortuo homine, perduravit. In utero Virginis (ut sentio ego) commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa mulier quæ miscuit, & fermentavit. Nam fermentum non immeritò fortassè dixerim Fidem Mariæ. Planè beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Nec mireris *(r)* quòd fide eius mediante unitum dixerim Verbum

p *Serm. 2. in Nativ. Dom. num. 2.* q *Lib. 5. de Consider. cap. 10. num. 22.*
r *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 2.*

bum carni, quandoquidem & carnem ipſam de ejus carne ſuſcepit. Sanè ne hoc quidem præſenti expoſitioni obuiare poteſt, quod de Cœleſtis regni dicitur ſimilitudine. Neque enim indignum videtur ſi cœlorum regnum Fidei MARIÆ comparatur, quâ & reparatur. In hoc exilio (s) omne penè genus hominum ab initio uſque ad adventum Reginæ Cœlorum peregrinari delectabatur, & veritatis patriæ ſuſpiriis nullis ſeu deſiderio recordabatur. Ipſa prima viã aperuit ad patriã, & veritatem (quæ vera patria eſt) mundo generans dedit omnibus manifeſtam. Glorioſa (t) dicta ſunt de te Civitas Dei Genitrix: ſed adhuc locus eſt tuæ laudationi. Salve igitur (u) Civitas ſancta, quam ipſe ſanctificavit ſibi tabernaculum ſuum Altiſſimus, quo tanta in te & per te generatio ſalvaretur. Salve terra bona & optima, quæ in fœcundiſſimo illo ſinu tuo ex arca paterni cordis cœleſte granum ſuſcepiſti. Beata Dei Genetrix (x) Virgo MARIA, templum Domini, aula Regis æterni, ſacrarium Spiritus Sancti. Tu Virga de radice Jeſſe, tu Oliva ſpecioſa in agro David, tu Cypreſſus in monte Sion, tu Cedrus in Libano: tu Roſa purpurea in Hierico, quæ ſingulari privilegio meritorum, ſicut neſcis in hominibus comparem, ita nihilominus & Angelicam ſuperas dignitatem: cui novo & inaudito miraculo datum eſt, ut Verbum quod ante ſæcula Deus genuit, fieret Filius tuus, & homo quem in fine ſæculorum genuiſti, verus atque perfectus eſſet Filius Dei. O glorioſa puerpera, in qua ſola reperitur fœcunda dignitas: quæ ſic ex intemeratis viſceribus Filium protuliſti, ut elevatæ pudicitiæ integritas creſceret, nec libido virginalis clauſulæ ſignaculum violaret. In te Spiritus Sanctus dum conciperes, obumbravit: non quod ipſe (quod abſit) in ſacratiſſimo utero tuo fieret pro ſemine ſobolis, ſed uſus eſt potiùs virtute atque potentia Creatoris. De te Summus Pontifex ſui Corporis hoſtiam ſumpſit, quam in ara Crucis pro totius mundi ſalute Sacrificium obtulit. Tu lux Oriens Nazareth, tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu nobilitas populi Chriſtiani. O Regina mundi, Scala Cœli, Thronus Dei, janua Paradiſi, audi preces pauperum, nè deſpicias

t *Serm. 3. de Virg. Deip. nu. 6.* u *Tract. in exhort. ad milites templ. cap. 5. n. 11.*
x *S. Bern. ſerm. relato in Annal. Ciſterc. to. 4. pag. 556.*

ſpicias gemitus miſerorum. Inferantur à te vota noſtra atq; ſuſpiria conſpectui Redemptoris, ut quæ noſtris excluduntur demeritis, per te locum apud aures obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapſos, ſolve compeditos: per te ſuccidantur vepres & gemina vitiorum: præbeantur flores & ornamenta virtutum. Placa nobis Judicem, quem genuiſti ſingulari puerperio Salvatorem, ut qui per te particeps eſt factus humanitatis noſtræ, per te quoque nos conſortes faciat Divinitatis ſuæ. Nam propterea (y) exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, ut per hoc quòd noſtræ humanitati unitus eſt, ſuæ Divinitati nos uniret.

3. In perſona Chriſti conquerentis (z) loquitur Beatus Job: Derelicta ſunt tantummodò labia mea circa dentes meos. Per labia quippè (quæ cæteris ſunt membris molliora) muliebriis ſexus mollis & infirmus intelligitur (qui ſolus Chriſto Diſcipulis fugientibus adhæſit) & figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia. Viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas, quæ etiam bajulantem ſibi crucem, & in cruce morientem Chriſtum non dereliquerunt. Si verò fugam mentalem intelligimus, nec vir nec mulier relicti ſunt cum eo, præter illam quæ ſola benedicta eſt in mulieribus: quæ ſola per illud triſte Sabbathum ſtetit in fide, & ſalvata fuit Eccleſia in ipſa ſola. Propter quod aptiſſimè tota Eccleſia in laudem & gloriam ejuſdem Virginis MARIÆ, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare conſuevit. Verè & ſingulariter benedictus palmes (MARIA) qui à ſua vite (Chriſto) nullo potuit timore præcidi. Abſciſſi ſunt viri qui dicunt: Nos autem ſperabamus, quòd ipſe redempturus eſſet Iſrael. Abſciſſæ ſunt mulieres, quæ quamvis piè præveniunt mortuo humanitatis ſervitium exhibere, tamen illum reſurrecturum nequaquam credebant. Et fortaſsè propterea illa Mater virgo quæ plùs habuit pietatis, cum aliis ad ungendum non venit Corpus Chriſti ſepultum, quia fruſtrà eum putabat ungi, quem reſurrecturum ſciebat. Verè fortis hæc mulier, & præ cunctis poſt Filium honoranda. Verè & virago dici poteſt, quæ à viro Chriſto per animi fortitudinem ſepa-

y Tract. de vite myſt. cap. 16. num. 61. z Tract. de vite myſt. cap. 2. num. 4.

ſeparata non eſt, ſed eum quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloriâ ſublimatum. Numquid (*A*) non eum præſcierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non ſperabat continuò reſurrecturum? Et fidenter. Nec poterat (*b*) non ſperare in eum, quem fide perfectiſſima cognoſcebat & poſſe, & ſcire, & velle ſalvare omnes deſiderantes ſalutem. Quantùm enim quis credit, tantùm ſperat: quantùm ſperat, tantùm amat. Quantò ergo hæc optima Mater perfectior fuit in fide, tantò in ſpe fortior, & in charitate ferventior, omnem cogitatum ſuum jactans in eum, nempè verum & perfectum Deum & hominem, Salutarem JESUM. Non ignorabat enim qualiter ſine omni carnali concupiſcentia conceptus, qualiter ſine omni dolore ex ipſa natus, quomodo à paſtoribus prædicatus, quomodo à Magis adoratus, quomodo virgineo lacte ſuo nutritus, quomodo à Simeone & Anna commendatus. Noverat inquam hæc omnia & multò plura virgo illa fideliſſima, & perfectiſſima fide ſalutarem veri Salutaris JESU ſequebatur odorem: quæ nominis hujus ſalutaris odorem tantò ſuaviùs attraxerat, perfectiùſquè ſenſerat, quantò illi ſpe, fide, & charitate vicinior fuerat, quæ ipſum de ſuis viſceribus genuerat. Diſce (*c*) in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, & in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundiâ decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum, inquit, non habent. Quàm breviter, quàm reverenter ſuggeſſit, unde piè fuit ſollicita. Et ut diſcas in hujuſmodi magis piè gemere, quàm petere præſumptuoſe: pietatis æſtum pudoris temperans umbrâ, conceptam precis fiduciam verecundè ſuppreſſit. Non frontosè acceſſit, non palàm locuta eſt, ut audacter coram omnibus diceret: Obſecro Fili, deficit vinum, contriſtantur convivæ, confunditur ſponſus: oſtende quid poſſis. Sed licet hæc aut multò plura pectus æſtuans, fervens loqueretur affectus: privatim tamen potentem pia Filium Mater adiit, non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans: Vinum, inquit, non habent. Quid modeſtius? Quid fideliùs? Non defuit pietati fides, voci gravitas,

A *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 15.* b *Tract. de vit. myſt. cap. 43. num. 158.*
c *Tract. de grad. humil. cap. 22. num. 53.*

tas, efficacia voto. Gloriosa (d) dicta sunt de te Civitas Dei Genitrix: sed adhuc locus est tuæ laudationi. Ea propter (e) dicamus omnes, dicamus singuli, dicamus assiduè:

AVE (f) Dei Mater Alma, certa spes fidelium:
Porta Cœli, Stella maris, recti cursus bravium:
Forma legis, summa pacis, salutis exordium.
Ave Virgo, Ave fœta, Ave plena gratia:
Ave Sponsa, Ave Mater, Ave Dei filia:
(Quàm diversa facis unum, ô omnipotentia!)
Fons signatus, Sacramenti summi conceptaculum:
Scala Jacob, domus David, Salamonis ferculum:
A leonis ore salva Christianum populum.
Theothocos, Virga Jesse, oliva fructifera:
Templum Dei, Arca Noe, columba pacifica:
Ab inferi nos Charibdi in æternum libera.
Turris, ex qua pendet omnis armatura fortium:
Rosa florens, sacra vitis, lilium convallium:
Medicina peccatorum, virtutum donarium.
Uva dulcis, flos suavis, nardus odorifera:
Virgo semper gloriosa, salubris puerpera:
Præbe nobis adoptivis pietatis Ubera.
Orientis porta clausa, quam vidit Ezechiel:
Mensa Regis, ad quam dapes tulit ipse Gabriel:
Quarum opem in leonum lacu sensit Daniel.
O sigillum libri vitæ solidum in secula:
Cujus potest solus Agnus solvere signacula:
In hoc nostra, precum stylo conscribe vocabula.
Ad hoc, omnes Sancti, vestrum petimus auxilinm,
Ut pars nostra sit vobiscum in terra viventium. Amen.

SANCTI PATRIS BERNARDI ABBATIS

Rythmica Oratio ad Jesum & Mariam, desumpta ex tom. 2. p. 363. operum ejus impressorum Venetiis anno 1583.

I. SUmme Summi tu Patris Unice,
Mundi faber & rector fabricæ,
Pietatis respectu Deicæ,
Peccatores afflictos respice
Pie Pater.

Summa Summi tu Mater Filii,
Clavem nostri tenens auxilii,
Fove tui lacte consilii,
Peregrinos hujus exilii,
Pia Mater.

II. Con-

d *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* e *Serm. 1. super Sal. Reg. num. 3.* f *S. Bern. Prosa sive hymn. de B. V. M. in Annal. Cister. tom. 4. pag. 556.*

II. Consolentur o bone Domine,
Respirantes in tuo nomine:
Qui pro mundi tollendo crimine
Dignatus es nasci de Virgine,
Matris Pater.
Consolentur o bona Domina,
Sitientes tua solamina:
De qua sola fœlice fœmina
Prædicantur hæc duo nomina,
Virgo, Mater.
III. O figura Patris substantiæ!
Tu es splendor paternæ gloriæ:
Tu es verum lumen justitiæ,
De quo manat totius gratiæ
Plenitudo.
O Regina regni Davidici!
Tu es Virga floris Dominici:
Tu es Arca panis Angelici,
De quo nostra meretur refici
Solitudo.
IV. Virtus Patris & Sapientia,
Suaviter disponens omnia:
Tu & Pater una substantia,
Æquus honor, eadem gloria
Est utrique.
Stella maris, Regina seculi,
Tu es Mater illius parvuli,
Quem adorant fideles populi
Semper omnes, & semper singuli,
Et ubique.
V. O Sanctorum Sancte mirabilis!
Toti mundo desiderabilis,
Homo potens, & Deus humilis,
Non est tibi, nec erit similis,
Deus meus.
O Sanctarum Sancta dulcissima!
Sola tanto partu dignissima,
Ut de tua carne mundissima
Nasceretur Majestas maxima,
Homo Deus.
VI. Jesu Christe, fons indeficiens,
Fons humana corda reficiens:
Te suspiro, te solum sitiens,
Solus eris mihi sufficiens
Fili Dei.
Mater Christi, decus Virgineum,
Thronum sedens super æthereum:
Nomen tuum sapore melleum,
Liquefacit affectum ferreum
Cordis mei.
VII. Summũ bonũ plenũ dulcedine,
Verum lumen de vero lumine:
Solo cujus audito nomine,
Satiatur mira pinguedine
Cor justorum.
Summi boni reclinatorium,
Dulcis vini dulce cellarium:
Quod edulcans dulcedo dulcium,
Prælegit sibi in proprium
Rex Cælorum.
VIII. Patrum Pater præcelse cæteris,
Reparator humani generis:
O qui carnem pro nobis miseris,
Mulieris de carne pauperis
Assumpsisti.
Matrum Mater, & Virgo Virginum,
Apotheca salutis hominum:
O quę munda de carne Dominum,
Sine carnis mistura seminum
Concepisti.
IX. Audi precor, o qui das gratiam,
Peccatoris hujus miseriam:
Et per tuam misericordiam,
Peccatorum meorum veniam
Mihi dona.
Audi precor, o plena gratia,
Peccatoris hujus suspiria:
Et pro tua misericordia,
Deo meo me reconcilia
Mater bona.
X. Tibi Pater fac beneplacitum,
Peccatoris istius gemitum:
Solve mei reatus debitum,
Quia malum prætendo meritum,
Et prætendi.
Tibi Mater fac acceptabilem,
Peccatoris hanc vocem flebilem:
Redde mihi Deum placabilem,
Nè se præstet inexorabilem,
Quem offendi.

XI. O intactæ Fili puerperæ!
Audi planctus animæ miseræ:
Quæ peccati jacens in puluere,
Ut jumentum se computrescere
Lamentatur.

O intacta Virgo puerpera!
Ad te clamat mens mea misera:
Quæ nefanda semper ad scelera,
Ab ætate nunc usque tenera
Effrænatur.

XII. Pie Pater errantem corrige,
Piam manum labenti porrige:
Jam de luto me fæcis erige,
Et in viam tuorum dirige
Mandatorum.

Pia Mater errantem visita,
Pio corde de me recogita:
Coram Jesu benigno clamita,
Ut meorum remittat debita
Peccatorum.

XIII. Esto nobis Pater propitius,
Quorum frater es, atque socius:
Te laudamus, te benedicimus,
Adoramus, atque diligimus
Mente tota.

Esto nobis Mater propitia,
Quorum soror es, atque socia:
In tuarum laudum preconia,
Corda nostra fac voluntaria,
Ac deuota.

XIV. Benedicte Creator omnium,
Benedicas mentes fidelium,
Nomen tuum benedicentium,
Mortis tuæ per beneficium,
Quos salvasti.

Benedicta in mulieribus,
Benedic te benedicentibus:
Benedictis tuis uberibus,
Qui dat escam esurientibus,
Hunc lactasti.

XV. Laus & honor sit Dei Filio,
Salus, virtus, & benedictio:
Benedicta sit Incarnatio,
Mors illius, & Resurrectio,
In æternum.

Benedictus sit Pater luminum:
Benedicta sit Virgo, Virginum:
Benedicat cor meum Dominum,
Sitiatque fontem dulcedinum
Sempiternum. Amen.

Prosa Rythmica ejusdem S. Bernardi in laudem Deiparæ, deprompta ex tomo 2. pag. 364. operum ejus impressorum Venetiis anno 1583.

Lætabundus Exultat fidelis chorus, Alleluia.
Regem regum Intactæ profudit torus, Res miranda.
Angelus consilii Natus est de Virgine, Sol de Stella.
Sol occasũ nesciẽs, Stella semper rutilans, Semper clara.
Sicut sidus radiũ, Profert Virgo Filium Pari forma.
Neque sidus radio, Neque Mater Filio Fit corrupta.
Cedrus alta Libani Conformatur hyssopo, Valle nostra.
Verbum Altissimi Corporari passum est, Carne sumpta.
Esaias cecinit, Synagoga meminit: Nunquã tamen desinit esse cæca.
Si nõ suis vatibus, Credat vel gentilibus, Sybillinis versibus hęc prædicta.
Infœlix propera, Crede vel vetera, Cur damnaberis gens misera?
Quẽ docet litera, Natum considera: Jesum en genuit Puerpera.

Glo-

Gloriosa quidem (*g*) dicta sunt de te Civitas Dei Genitrix: sed adhuc locus est tuæ laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones in omni natione quæ sub Cælo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. Non est equidem (*h*) quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis MARIÆ habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, & prærogativam penitùs singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes: tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat, minùs acceptetur. Quidni minùs sapiat, quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana?

Si (*i*) linguæ centum resonarent, oraquè centum,
Ferrea vox mihi, nil MARIA, tibi dicere dignum
Possum Stella maris, quæ Virgo beata vocaris.
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, connexa polus dum sydera pascet,
Semper honos nomenquè tuum laudesquè manebunt,
Spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo MARIA.
Antè pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm tuus è nostro labatur pectore vultus,
Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis.

CAPUT XX.

Paraphrasis Anagogica Angelicæ salutationis, accommodata Septem Festivitatibus B. M. V.

1. *Conceptionis*. 2. *Nativitatis*. 3. *Præsentationis*. 4. *Annunciationis*. 5. *Visitationis*. 6. *Purificationis*. 7. *Assumptionis*. 8. *Operis clausula, exhortans nos ad venerationem & devotionem erga Virginem Matrem Dei*.

g *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* h *Serm. 4. in Assumpt. B. M. V. num. 5.*
i *S. Bern. in principio sermonum suorum super Sal. Reg.*

AUE Virgo Virginum condita, (k) præelecta, præservata, præparata, & ornata per Spiritum Sanctum. A sæculo (l) electa, ab Altissimo præcognita & sibi præparata. Longè antè (m) patribus cælitùs repromissa, mysticis præfigurata miraculis, Oraculis prænunciata propheticis. Licet (n) de patrum natura per peccatum vitiata duceres originem, præelecta tamen es per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum. Pura (o) ab omni contaminatione. De qua immaculata (p) immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Factor omnium ut homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placiturã. Bezeleel (q) cum socio oliab Arcam testamenti fabricavit: Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumquè mundissimum sibi præparavit: thalamum quoque de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Tu sola (r) totã Spiritus Sancti gratiam possedisti: Quæ (s) tuum non solùm ortum, sed & vitam ab omnĩ deinceps pectato custodiret immunem: quod memini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Hortus conclusus es Dei Genitrix, (t) ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu pulchra es ut luna (u) imò pulchrior lunâ, quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio. Libanus mons (x) qui dicitur dealbatio, altám præ omnibus significat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Te nimirùm (y) ille divini Epithalamii præcentor à longè intuitus est, cùm in admirationis vocem ità prorupit: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? Sicut aurora valdè rutilans in mundum progressa es o MARIA, quando veri

Solis

---

k *Serm. de B.M. Deip. num.9.* l *Serm.2.super missus num.4.* m *Serm.1. de Virg. Deip.n.8.* n *Serm.de B.M.Deip.num.11.* o *Serm.2.de Virg.Deip.n.7.* p *Serm.2.super missus n.1.* q *Serm.de B.M.Deip.n.9.* r *Serm.super Sal.Reg.nu.22.* s *Epist.174. num.5.* t *Serm.3.de Virg.Deip.num.4.* u *Serm.3.de Virg.Deip.num.5.* x *Serm.4. super Sal.Reg.num.21.* y *Serm.3.de Virg.Deip.num.4.*

Solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut verè diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix Aurora felicis diei nuncia extitisti: talis dies talem auroram diei decuit. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum quas Eva produxerat, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis Genbus Solem mundo invexisti. Cùm ergo (z) omnimodè constet ab originali contagio solâ gratiâ mundatam esse MARIAM: quis ultrà (A) dubitet sanctam & immaculatam huic mundo progenitam? Ipsa est (b) Sole amicta mulier. Nimirùm ea est, quæ velut alterũ Solem induit sibi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum seu obscurum saltem vel minùs lucidum, sed nè tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.

2. *IN NATIVITATE B.M.V.*

A*VE MARIA*, Mater Domini (c) antè sancta quàm nata. Sancta (d) & immaculata huic mundo progenita. Desiderata (e) gentibus, Patriarchis Prophetisquè præcognita, electa ex omnibus, prelata omnibus. Ex Regibus (f) orta, ex semine Abrahæ, generosa ex stirpe David. A patribus (g) præfigurata, Prophetis promissa, ab Angelis servata. Innumerabilium quippè (h) beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse nullatenùs ambigimus: utpotè qui custodirent lectulum Salamonis gratissimum, ac providerent, nè præparatum æterno Regi hospitiũ alienus hospes invaderet. De te (i) secretorum cœlestium conscius Salamon dicit: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? Aurora semper noctem sequitur,

z *Serm.2. in Assumpt. B.M. nu.8.* A *Serm.4. super Sal.Reg. n.23.* b *Serm.1. de Virg. Deip. num.3.* c *Epist.174 num.5.* d *Serm.4. super Sal.Reg. n.23.* e *Epist.174. num.2.* f *Serm.1. de Virg. Deip. num.8.* g *Serm.2. super missus n.4.* h *Serm.3. de Virg. Deip. num.5.* i *Serm.4. super Sal.Reg. num.22.*

tur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentiâ, obscurum ignorantiâ? Tu ergo processisti ut aurora lucida & rubicunda: quia superatis originalibus peccatis in utero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda virtutis. Inde est quòd Nativitatem tuam sanctam Sancta Ecclesia festivis celebrationibus honorat. Cum qua *(k)* firmiter sentio in utero te accepisse, ut Sancta prodires. O Magna, *(l)* o pia, o multùm amabilis MARIA. Tu nec nominari quidē potes, quin accendas: nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitùs tibi insita, piæ memoriæ portas ingrederis. O dulcis Domina, *(m)* cujus sola memoria affectum dulcorat: cujus magnitudinis meditatio mentem elevat: cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat: cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat. Ita est *(n)* jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo, jam clamamus: Oleum effusum nomen tuum: Memoriale tuum in generationem & generationem: O clemens *(o)* o pia, o dulcis Virgo MARIA. O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus. O clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus. O clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando. O clemens consolando, pia blandiendo, dulcis consolando. Clemens es subiectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis. Nos ergo miseri *(p)* tecùm de cætero consolemur, tecum amodò Domina habitemus: te mentis visceribus amplectamur, quia tu es vita. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis. O vita, quæ nutris tuos cœlestibus alimentis. Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat: & qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit. In hoc quoque die *(q)* solemnitatis & lætitiæ, dulcissimum MARIÆ nomen cum laude invocantibus servulis per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur JESUS CHRISTUS Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN

k *Epist. 174. num. 3.* l *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 6.* m *Serm. 5. Sal. Reg. num. 2.*
n *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 5.* o *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 6.* p *Ibidem. num. 1.*
q *Serm. 4. in Assumpt. B. M. num. 5.*

3. IN PRÆSENTATIONE B.M.V.

AVE gratia plena. Benè plena (r) quia Deo, & Angelis, & homibus grata. Hominibus per fœcunditatem, Angelis per Virginitatem, Deo per humilitatem. Nihil est enim virtutis (s) quod ex te non resplendeat: & quidquid singuli habûere Sancti, tu sola possedisti, Virgo (t) Sancta corpore & spiritu. Tu inquam (u) sola totam Spiritus Sancti gratiam possedisti, quàm alii habûere per partes. In te sola (x) quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in tuum sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit: Quam (y) amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Priùs enim te Altissimus sibi quasi mundum specialissimum creavit, quam in justitia & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desideriis instar scilicet aeris sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in tua mente tanquam in quodam firmamento, solem posuit rationis, & lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ. Solem, qui lucem divinæ cognitionis faceret. Lunam, quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet. Proinde (z) sicut sol universa cœli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ: sic tuipsâ totam rationalem creaturam (post Filium) præcellis splendore virtutis & scientiæ. Origo fontium & fluminum mare, virtutum auctrix & Scientia scientiarum sanctarum MARIA. Tu pulchra ut luna diceris, (A) eiquè non immeritò compararis. Illa enim transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat: Tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicquè noctem nostram illuminas: qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen vitæ inveniet. Duodecim sunt (b) prærogatiuæ gratiarum, in quibus gratiâ repleta es. Tuas has prærogativas Paulus Apostolus & nominat pariter & enumerat, dicens: Fructus autem Spiri-

---

r Serm. 47. de div. num. 1. s Serm. 4. super Sal. Reg. num. 26. t Serm. 2. de Virg. Deip. num. 9. u Serm. 4. super Sal. Reg. num. 22. x Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2. y Serm. 3. super missus num. 2. z Serm. 1. super Salve Reg. num. 2. A Serm. 3. de Virg. Deip. num. 5. b Serm. 4 super Sal. Reg. num. 20.

Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Tu (c) ſanctorum areola aromatum à cœleſti conſita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernas: inter quos pulcherrimos tres flores miramur in te O Excellentiſſima. Hi ſunt quorũ odore ſuaviſſimo totam domum Domini reples o MARIA, Viola humilitatis, Lilium caſtitatis, Roſa charitatis. Habes Lilium caſtitatis, (d) quia prima votum conſervandæ Virginitatis voviſti Domino. Habes roſam charitatis, quia ſi non uſque adeò dilexiſſes Dominum, unde tibi tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera & verecunda, & adhuc ſub parentum jure & præceptis legis conſtituta inchoares? Sed ut verum fatear, audacem faciebat amor, coegit roſa ardens ſervilem timorem devorans, ut faceres novum votum & ſingulare lilium: ut poſſes quandoque dicere dilecto tuo: Candida ſum & rubicunda, ſicut & tu candidus & rubicundus. O Virgo prudens! (e) o Virgo devota! quis te docuit Deo placere Virginitatem? Quæ lex, quæ juſtitia, quæ pagina veteris Teſtamenti vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? Ubi audieras: Volo vos omnes eſſe ſicut & meipſum. Et, Bonum eſt homini, ſi ſic permaneat ſecundùm meum conſilium. De Virginibus (inquit Paulus) præceptum non habeo, conſilium autem do. Tu verò non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum: niſi quòd unctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei vivus & efficax antè tibi factus eſt magiſter, quàm filius: priùs inſtruxerit mentem, quàm indueritcarnem. Tu es Virgo (f) Virginum primiceria, quas ad virginitatis amorem tuo incitaviſti exemplo. Harum (g) pincerna tu, vexillifera tu: quæ (h) abjectis ſæcularibus pompis, ſpretiſquè voluptatibus carnis, ſoli Deo in Virginitate vivere propoſuiſti. Et quòd (i) in libertate ſpiritus legis Moſaicæ decreta tranſcendens, illibatam Deo corporis ſimul & ſpiritus Sanctimoniam voviſti. Plena es gratiarum

---

c *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 4.* d *Tract. de vit. myſt. cap. 17. nu. 67.* e *Serm. 3. ſuper miſſus num. 7.* f *Tract. de vit. myſt. cap. 31. num. 125.* g *Serm. 4. ſuper Sal. Reg. nu. 19.* h *Serm. 52. de div. num. 3.* i *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 9.*

rum *(k)* plena rore cœlesti, inixa super dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant: nec puero Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua: quia tu verè puella es prælecta, & præparata Altissimi Filio & tuo, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

4. *IN ANNUNCIATIONE B.M.V.*

DOMINUS *tecum*, MARIA Genitrix Dei, *(l)* quæ sola totam Spiritus Sancti gratiam possedisti. Quid mirum *(m)* si gratiâ plena eras, cum qua Dominus erat? Cum qua *(n)* utique tanta Deo consensio fuit, ut tuam non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret. Tu sola *(o)* inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia quasi de lignis Libani, architectura ineffabili domum sibi ædificavit Dei Sapientia; Et quæ adeo *(p)* mentem tuam replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur & caro: ac ut tu virgo singulari gratia eandem ipsam Sapientiam carne tectâ pareres, quam priùs mente conceperas. Nec tantùm *(q)* Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: sed & Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipies: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, qui Filium suum facit & tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum. Benè *(r)* Spiritui Sancto in te complacuit o MARIA, cùm divinis adeo mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam totam inflamavit, seipso atque splendore Divinæ Majestatis implevit, tuumquè uterum ineffabili

k Serm. 1. de Virg. Deip. n. 16. l Serm. 4. super Salv. Reg. n. 22. m Serm. 3. super missus num. 2. n Serm. 4. super missus n. 4. o Serm. 3. de Virg. Deip. n. 1. p Serm. 52. de div. num. 4. q Serm. 3. super missus num. 4. r Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2.

go ſis: magnum per ſe, quòd Mater ſis: magnum, quòd ſimul utrumque & Virgo & Mater ſis. Et cujus Mater? Dei, Vnigeniti, Plaſmatoris & Salvatoris omnium. Felix mulier, (*d*) benedicta in mulieribus, in cujus caſtis viſceribus, ſuperveniente (*e*) ſpiritu, obumbrante virtute Altiſſimi, Caro factum eſt Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia: & Dominus majeſtatis, quem non capit univerſitas creaturæ, intra virginea tua ſeſe clauſit viſcera factus homo. Felix inquam mulier (*f*) quæ ſuſcipere meruiſti verum JESUM Filium Dei. Ipſa eſt ô Virgo (*g*) gloria ſingularis, & excellens prærogativa tua, quòd Filium unum eundemquè cum Deo Patre meruiſti habere communem. Qui etſi nec totus de Deo (*h*) nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſt: nec duo filii, ſed unus utriuſquè Filius. Te benedixit Dominus. Cui utique (*i*) diſtillantibus cœlis tota ſe infudit plenitudo Divinitatis. Te inquam (*k*) benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, ſicut mors per Evam proceſſerat maledicta. O admirandam (*l*) & omni honore digniſſimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem! Gratiæ (*m*) inventricem, mediatricem ſalutis, raſtauratricem ſæculorum! Benedicta tu (*n*) inter mulieres, quæ Angelos præcellis puritate, Patriarchas ſuperas fidei magnitudine, Apoſtolos vincis charitate. Benedicta inquam, (*o*) tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evaſiſti, quâ dictum eſt: In triſtitia paries filios; nihilominus & illã, quâ ſecutũ eſt: Maledicta ſterilis in Iſrael: evaſiſti: ac ſingularem conſecuta es benedictionem, ut nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias. O beata (*p*) ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta: ſola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Et ſi adhuc (*q*) malediceris ab Iſrael ſecundùm carnem, non quia ſterilem vident, ſed quia fœcundam invident: memento quòd

 & Chri-

d *Serm. 2. in Nat. Dom. n. 4.* e *Serm. 1. in aſſumpt. B. M. n. 3.* f *Serm. 2. in Aſſump. B. M. n. 2.* g *Serm. 2. in Annunc. B. M. n. 2.* h *Serm. 4. ſuper miſſus n. 4.* i *Serm. 2. ſuper miſſus num. 7.* k *Serm. 3. ſuper Sal. Reg. nu. 22.* l *Serm. 3. ſuper miſſus num. 3.* m *Epiſt. 147. nu. 2.* n *Liberc. de contempl. D. N. I. C. pag. 38. edito Romæ anno 1640.* o *Serm. 3. ſuper miſſus nu. 7.* p *Serm. 4. in Vig. Nat. Dom. num. 3.* q *Serm. 3. ſuper miſſus nu. 6.*

& Christus maledictum pertulit Crucis, qui te suam Matrem benedixit in Cœlis: sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus terræ meritò Beata prædicaris. Meritò autem (r) Dominam beatamquè te dicunt omnes generationes: quæ omnibus generationibus vitam & æternam beatitudinem genuisti. Angelicarum namque generationum numerus per generatum reintegrabitur: & hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum fructum ventris tui ad æternam benedictionem regenerabitur. Fac o benedicta (s) per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam percepisti: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

6. *IN PURIFICATIONE B.M.V.*

ET *benedictus fructus ventris tui JESUS*. Verè etenim (t) benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cœteris, etsi differentiùs à cœteris. Ascendisti planè (u) supra omne humanum genus: ascendisti usq; Angelos, sed & ipsos quoque trascendisti, & cœlestem omnem supergrederis creaturam. Nimirum super Angelos haurias necesse est, quæ refundas hominibus aquam vivam. Ac propterea quidem (x) benedicta tu, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est (ut ait Apostolus) super omnia benedictus Deus in sæcula. Benedictus ergo (y) fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum. O verè cœlestis planta (z) pretiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignũ por-

r *Serm. sup. Magnificat nu. 3.* s *Serm. 2. in Adv. Dom. n. 5.* t *Serm. 3. sup. miss. n. 5.* u *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 9.* x *Serm. 3. super missus num. 5.* y *Ibidem num. 7.* z *Serm. 2. de Adv. Dom. num. 4.*

portare fructum Salutis. Singulariter quidem *(A)* fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Tu protulisti *(b)* frumentum Electorum, quod est etiam Angelorum cibus. Et dulce factum est *(c)* super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Bonus fructus *(d)* qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Felix mulier *(e)* benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus superveniente igne Sancti Spiritus coctus est panis iste, ut sit panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. O venter desiderabilis *(f)* è quo emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvius, gloriæ præmium! O venter amabilis & dulcedo animæ! o elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum. Fructus tuus Domina. Offer *(g)* Filium tuum Virgo Sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem, hostiam sanctam Deo placentem. Omninò acceptabit Deus Pater oblationem novam & preciosissimam hostiam, de qua ipse ait: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Hic certè est *(h)* fructus beatus à principio ortus sui. Hic est JESUS Dei vivi Filius. Hic est Salvator noster Dominus Deus. Hunc JESUM benedictum fructum ventris tui nobis post exilium ostende, ut videndo ipsum habeamus: ipsum videndo beatitudine repleamur. In quem *(i)* credidimus, quem dileximus, quem speravimus. Præstet hoc nobis *(k)* tuo interventu o MARIA, Filius tuus JESUS Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

7. *IN ASSUMPTIONE B.M.V.*

SANCTA MARIA *Mater Dei*. Ut, quæ *(l)* Sanctum sanctorum conceptura eras pariter & paritura, Sancta esses corpore, accepisti donum Virginitatis: ut esses & men-

A *Serm.4.in Annunt.B.M.n.8.* b *Serm.4.sup.Sal.Reg.n.22.* c *Serm.2.sup.missus num.3.* d *Serm.3.sup.missus n.6.* e *Serm.1.in Nat.Dom.n.4.* f *Serm.5.sup.Salue Reg.n.6.* g *Serm.3.in Purific.B.M.n.2.* h *Serm.5.sup.Sal.Reg.nu.6.* i *Serm.17. sup.Ps.90.n.7.* k *Serm.3.de Virg.Deip.n.7.* l *Serm.2.sup.missus nn.2.*

mente, accepisti & humilitatis. Decuit nimirùm *(m)* Reginam Virginum singularis privilegio Sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisquè pareret peremptorem, munus vitæ & justitiæ omnibus obtineret. Magnum est Angelo *(n)* ut minister sit Domini: sed MARIA sublimius quiddam meruit, ut sit mater. Mater autem *(o)* non cujusque sed Dei. Nec enim *(p)* circa suum filium ampliùs potuit elevari, quàm ut Dei Mater vocaretur. Ipsa est *(q)* Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa MARIÆ, quòd Filium unum eundemquè cum Deo Patre meruit habere communem. Deus siquidem *(r)* Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloriâ, singulari in terris prævenire curavit & gratiâ, quâ videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum hujusmodi decebat Nativitas, quâ nonnisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Duplex novitas *(s)* duplex prærogativa: duplex miraculum, sed dignè prorsùs aptissimequè conveniens. Neque enim filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. Quem ergo *(t)* in castellum mundi hujus intrantem priùs ipsa susceperat: ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens Civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior veteri virginalis Templo, in quo Filium Dei MARIA suscepit: nec in cœlis regali Solio, in quo MARIAM hodie MARIÆ Filius sublimavit. Felix utraque susceptio, ineffabilis utraque: quia utraque inexcogitabilis est. Christi generationem *(u)* & MARIÆ assumptionē quis enarrabit? Quantùm enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantùm & in Cœlis obtinet gloriæ singularis. Quodsi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se, & (quod omnibus certum est) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè MARIA & multipliciter felix, sive cùm excipit Salvatorem, sive cùm à Salvatore suscipitur: utrobique

m *Ep. ß.174.n.5.* n *Serm.2.de Virg.Deip.n.12.* o *Serm.4.in Assump.B.M. nu.5.* p *Serm.5.sup.Sal.Reg.n.1.* q *Serm.2.in Annunc.B.M. nu.2.* r *Serm.2.sup.missus num.2.* s *Serm.4.in Assumpt.B.Mariæ num.5.* t *Serm.1.in Assumpt.B.M.num.3.* u *Ibidem num.4.*

bique mira dignitas Virginis Matris: utrobique amplectenda dignatio Majestatis. Felix inquam utraque susceptio (x) ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Quis enim etiamsi linguis hominum Angelorum loquatur, explicare queat, quemadmodùm superveniente spiritu, obumbrante virtute Altissimi, Caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia: & Dominus Majestatis, quem non capit universitas Creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo. Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit! & quantò devotionis affectu tota in ejus occursum Cœlestium legionum prodierit multitudo! quibus ad thronum gloriæ Canticis sit deducta! quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio! & super omnem exaltata Creaturam, cum eo honore quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit Filium! Felicia prorsùs oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris, hodie in beata Salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens & dicens: Osculetur me osculo oris sui. Felix MARIA (y) quæ in sacratissimis amplexibus amantissimi Filii tui recubas in meridie sempiterno, ejusquè familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris, quam (z) verè amavit præ omnibus: & ornavit Stolâ gloriæ induens, & Coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Ingredimini filiæ Sion (A) & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite (inquit Joannes) ejus Corona Stellarum duodecim. Dignum planè Stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam Sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. Nimirum læva Sponsi sub capite ejus, etiam dextera illius amplexatur eam, quam (b) amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Quis illas (c) æstimet gemmas?

Quis

x *Ibidem num.3.& 4.* y *Serm.3.de Virg.Deip.n.7.* z *Serm.1.de Virg.Deip.n.16.* A *Serm.1.de Virg.Deip.num.6.& 7.* b *Serm.3.super missus num.2.* c *Serm.1.de Virg.Deip.num.7.& 14.*

Quis Stellas nominet illas, quibus MARIÆ regium Diadema compactum est? Supra hominem est Coronę hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen nō incongruè forsitan duodecim Stellas istas, duodecim Prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus MARIA singulariter adornatur. Siquidem invenire est in MARIA Prærogativas Cœli, prærogativas Carnis, prærogativas Cordis: & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè Stellas duodecim, quibus Reginæ nostræ diadema præfulgeat universis. Mihi fanè singularis rutilat fulgor: *Primò* quidem, in MARIÆ generatione. *Secundò*, in Angelica visitatione. *Tertiò*, in Spiritus superventione. *Quartò*, in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque syderum planè irradiat decus. *Primò*, quòd sine corruptione fœcunda. *Secundò*, quòd Virginitatis primiceria. *Tertiò*, quòd sine gravamine gravida. *Quartò*, quòd sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in MARIA coruscant: *Primò*, mansuetudo pudoris. *Secundò*, devotio humilitatis. *Tertiò*, magnanimitas credulitatis. *Quartò*, martyrium cordis. Martyrium fanè Virginis tàm in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. Denique tu pulchra ut Luna diceris (*d*) eiquè non immeritò compararis. Illa enim omnium astrorum sola Soli simillima, & candore venusta argenteo cœteris in cœlo præmicat sideribus: Tu verò veri Solis imago expressissima, inter millia Astrorum Deo assistentium virginali puritate in Cœlo gloriosa præfulges. O Virgo virga sublimis (*e*) in quàm sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in Throno, usque ad Dominum Majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum misisti radices humilitatis: quam in te (*f*) ita respexit Dominus, ut ipsius merito supra omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Nunquam enim supra omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi priùs infra omnes homines humiliata descendisses. MARIA (*g*) quantò major erat, tantò humiliabat se non modò in omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cùm

---

d *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 5.* e *Serm. 2. de Adv. Dom. num. 4.*
f *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 5.* g *Serm. 1. de Virg. Deip. n. 11.*

cùm prima esset omnium, se se novissimam faciebat. Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes ineffabili se se mansuetudine inclinabat. Plena est (h) gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, deliciis affluens. Hinc est (i) quòd & ipsi cœlestis Curiæ principes in consideratione tantæ novitatis (nimirùm cùm assumitur Incarnati Verbi Mater in cœlum) clamant non sine admiratione: Quæ est ista, quæ ascendit de desero deliciis affluens? Ac si manifestiùs dicant: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in Civitate Domini lætificat fluminis impetus, & qui à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur. Quæ est ista, quæ de sub Sole (ubi nihil est nisi labor & dolor, & afflictio spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina mundi, etiam Angelis Sanctis (ut canit Ecclesia) Speciosa facta est & suavis in deliciis suis. Procellit siquidem (k) Virgo gloriosa, cujus lampas ardentissima ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Clariùs enim cœteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis Christus Jesus Filius ejus Dominus noster.

Ora pro nobis peccatoribus, Virgo gloriosa (l) quæ hodie cœlos ascendens, supernorum gaudia Civium copiosis sine dubio cumulavisti augmentis. Tu es enim cujus salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est: quid putamus quænam illa fuerit Cœlestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beatâ ejus frui præsentiâ meruerunt? Nobis verò charissimi, quæ in ejus Assumptione solemnitatis occasio?

 quæ

h *Ibid. n. 16.* i *Serm. 4. in Assumpt. B. M. n. 2.* k *Serm 2. in Assump. B. M. n. 9.*
l *Serm. 1. in Assumpt. B. M. n. 1.*

quæ causa lætitiæ? quæ materia gaudiorum? MARIÆ præsentiâ totus illustratur orbis, adeo ut & ipsa jam cœlestis patria clariùs rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Meritò proinde resonat in excelsis gratiarum actio, & vox laudis. Sed plangendum nobis quàm plaudendum magis esse videtur. Quantùm enim de ejus præsentia Cœlum exultat, nunquid non consequens est, ut tantùm lugeat hic noster inferior Mundus ejus absentiam? Tolle (*m*) corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle MARIAM hanc maris Stellam, maris utique magni & spatiosi: quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Cesset tamen (*n*) querela nostra, quia nec nobis hîc est manens Civitas: sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In quam si conscripti Cives sumus, dignum profectò est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis, ejus nos recordari, ejus communicare gaudiis, ejus participare lætitiam, maximæquè eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie Civitatem Dei: ut sentiamus & ipsi stillicidia super terram. Fœcundæ Virginis (*o*) amplectitur Cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirùm totius boni illic exhibitio, hîc tenuis quædã libatio primitiarũ. Ibi Res, & hîc Nomen. Quia verò Advocatã (*p*) præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, & mater Misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Levemus ergo (*q*) cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris, reddentes ei vota nostra de die in diem, de hora in horam dicentes assiduè: Mentem (*r*) & oculos pariter cum manibus ad te Regina Mũdi attollimus, & coram tuæ Cellitudinis gloria genuflectimus, cervicem inclinamus, ac plenis suspiriis ad te preces in Cœlum transmittimus. Tu altitudo Cœli, beatos oculos tuos, (quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis ęternę cum desiderio semper intueris) ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram tremendo Judice peccatores assistimus, cujus manus ter-

m *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* n *Serm. 1. in Assumpt. Beatæ Mariæ num. 1.* o *Serm. 2. de Virg. Deip. n. 1.* p *Serm. 1. in Assumpt. B. M. n. 1.* q *Serm. 1. super Sal. Reg. n. 2.* r *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 1.*

terribilis gladium iræ ſuæ vibrat ſuper nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis obiiciat, ut tu Dei amantiſſima, per quam primùm in terris ſuſcepimus miſericordiam de manu Domini Dei noſtri. Aperi itaque tu Mater miſericordiæ, benigniſſimi cordis tui januam ſuſpirioſis precatibus filiorũ Adam. Ex omnibus finibus terrę ad tuę protectionis umbraculũ confugimus à facie formidinis fortitudinis Dei. Ad te Dña noſtra, ſtillant oculi noſtri: te devotionis clamore valido obſecramus, ut Filii tui Domini noſtri iram, quam graviter peccando ſuccendimus, erga nos mitiges: ejuſque gratiam à qua ingrati excidimus, nobis tua conciliet. Quis enim tam idoneus (s) ut loquatur ad cor Domini Noſtri Jesu Chriſti, ut tu felix Maria, quæ ejus familiariſſimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris? Loqueris Domina, quia audit Filius tuus: & quæcunque petieris, impetrabis. Te enim (t) inæſtimabilis benignitatis fœminam & venerandam Matrem eſſe cognoſcimus ex eo, quòd tu adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum Sanctitate fœcundaris, ut ſola Solio Regis æterni immediatè approximare merueris. Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non deſpicis, ſi ad te ſuſpiraverit, tuumquè interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à deſperationis barathro pia manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves, nec deſeris quouſque horrendo Judici miſerum reconcilies. Famoſum hujus tuæ benignitatis teſtimonium eſt per te reſtauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum o Domina, ſi tam copioſo miſericordiæ oleo tui cordis perfuſum eſt Sacrarium, cùm illud inæſtimabile opus miſericordiæ (quod prædeſtinavit Deus ante ſæcula in redemptionem noſtram (primùm in te à mundi artifice ſit fabricatum. Etiam in hoc (u) convenienter vocaris Regina miſericordiæ, quòd Divinæ pietatis abyſſum cui vis, & quando vis, ac quomodo vis, crederis aperire; ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii tui ſuffragia præſtas. Niſi enim (x) nos Domina adjuviſſes, fortaſſis jam in inferni profundiſſima veniſſemus. Nec immeritò,

s *Ibidem num.7.* t *Ibidem num.2.* u *Serm.1.ſuper Sal.Reg.num.3.*
x *Serm.5.ſuper Sal.Reg.num.4.*

ritò, (*y*) quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum. Salus denique universorum filiorum Adam totius generis tui. Sileat (*z*) misericordiam tuam Virgo Beata, si quis est, qui invocatã te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Planè omnibus es amabilis, (*A*) omnibus affabilis, omnibus delectabilis, Sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis: nec est qui se abscondat à calore tuo. In talibus suspiriis (*b*) gemitu ac fletu, hac in valle lachrymarum ad te clamamus exules filii Evæ, Domina rerum, Sancta Sanctorum, virtus nostra, & refugium, decus mundi, gloria Cœli, præelecta ut Sol, pulchra Lunaris ut fulgor, agnosce omnes te diligentes. Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat. Et tu salua nos Domine JESU, pro quibus Virgo Mater te orat: cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Nunc & in hora mortis nostræ, O Sancta Sanctorũ (*c*) ostende nobis lumen miserationum tuarum. Sub umbra alarum tuarum nos protege. Sub tuam (*d*) protectionem confugimus, ubi virtutem acceperunt infirmi. Esto nobis turris fortitudinis à facie inimici. De hoc exilio (*e*) o sancta Sanctorum, ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te (*f*) certè, quæ levas nos à fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, lactas paruulos esurientes, clamamus. Quare non clamaremus Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undique circumdamur. Clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, doloris acerbitate, aut fortè erga te amoris immensitate. Quare enim obdormis Domina? Surge, adjuva nos. Clamamus etiam, ut nostram manifestemus necessitatem: quia clamare necessitas nos compellit, quid nos ampliùs affligis? Si multùm tardaveris, vocem amittam clamando, ad te ampliùs vociferare nequibo. Heu mihi tunc quid faciam? cùm nec exaudire me poteris, nec audire. Citò, citò Domina subvenias clamanti, nè in manibus deficiam inimici. Curre, festina Domina, & tuum iniquissimum & infedelissimum ser-

y *Serm.4.super missus n.8.* z *Serm.4.in Assumpt.B.M.nu.8.* A *Serm.*[illegible]*.super Sal.Reg.n.5.* b *Serm.3.sup.Sal.Reg.num.18.* c *Serm.2.super Sal.Reg.num.7.* d *Serm.1.sup.Sal.Reg.nu.1.* e *Serm.2.sup.Sal.Reg.nu.10.* f *Serm.5.sup.Sal.Reg.num.3.*

ſeruum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manu & periculis tui hoſtis. Si aliud te allicere Domina non deberet, niſi quia tuus hoſtis audet nos tuos ſervos invadere fraudulenter, deberes ad nos quàm citiùs feſtinare. Curre, & libera nos Domina propter eorum ſuperbiam reprimendam. Curre, ne dicant: Vbi eſt eorum Domina, de cujus clementia confidebant. Deinde nos adhuc (*g*) filii Evæ tranſgreſſores, filii inobedientiæ, filii matris antiquæ, ad te clamamus Regina miſericordiæ. Revertere viſitans in nobis naturam tuam: revertere oſtendendo eam, quam in Chriſticolas habes, charitatem tuam: revertere per ſingularem in nos à Deo datam poteſtatem tuam: revertere per eam, quæ tibi ſpecialiter infuſa eſt in plenitudine gratiæ, prærogativam tuam: ut intueamur te, non talem qualem deſiderant Angeli proſpicere dicentes: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Sed intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Nec mediocris viſio iſta, piam te & deprecabilem experiri, mœrentium ſuſpiria munere gratiæ conſolari. Sonet hæc vox tua in auribus noſtris. Vox hæc tua dulcis, & hæc facies tua decora. Nam in illo decore te videre, quo induit te Dominus fortitudinem & præcinxit te, non eſt hujus temporis, nec temporis vitæ noſtræ vitiorum fœtore ſordentis. Stolâ immortalitatis te indutam videre Domina indigni ſumus: oſtende nobis faciem miſerationum tuarum, & ſalvi erimus. Tibi dixit cor meum (*h*) quæſivi vultum tuum. Vultum tuum Domina requiram, ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſervo tuo. Oſtende faciem tuam, ſonet vox tua in auribus noſtris: quia vox tua dulcis, & facies tua decora. Tu es ſolatium miſerorũ (*i*) refugium expulſorum, liberatio captivorum, Regina bellatorum, Domina univerſorum, etiam inimicorum: nec eſt qui tuæ voluntati valeat obviare. Sic afflicti, ſic miſeri ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eja (*k*) ergo Advocata noſtra illos tuos miſe-

g *Serm. 2. ſup. Sal. Reg. n. 11.* h *Serm. 4. ſup. Sal. Reg. n. 19.* i *Serm. 5. ſup. Sal. Reg. n. 5.* k *Serm. 5. ſup. Sal. Reg. n. 6.*

misericordes oculos ad nos converte. Non dubitamus Domina, quùm si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suū retardare effectum. Miserabiles necnon & amabiles illi tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam ducis salutem, nè venenatos oculos basilisci timeamus. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam: nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dœmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demùm ad cœlestia trahit. O quàm beati, o Domina, quos tui viderint oculi. Hos ergo oculos ad nos Domina converte. Sit pietatis tuæ *(l)* ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. Et JESUM *(m)* benedictum fructum ventris tui, nobis post exilium ostende: ut videndo ipsum habeamus, ipsum videndo beatitudine repleamur. Te enim *(n)* Mater misericordiæ per ipsum sincerissimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens provolata pedibus Luna, idest Ecclesia, mediatricem sibi apud Solem justitiæ constitutam devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amavit præ omnibus, & ornavit Stolâ gloriæ induens, & Coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Te quoque *(o)* Domina exorante, renovetur ut aquilæ juventus nostra, ut novi nova voce novum Canticum novis Civibus aggregati illic ubi nova sunt omnia, jubilum sempiternum celebrantes, in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur crassa nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus Divini luminis absorbeamur à Spiritu Domini: ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti, unus cum ipso spiritus efficiamur. Præstet hoc nobis tuo interventu o MARIA, Filius tuus JESUS Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

Octavò

l Serm.4.in assumpt.B.M.n.9. m Serm.5.sup.Sal.Reg.nu.6. n Serm.1.de Virg. Deip.n.16. o Serm.3.de Virg.Deip.num.7.

8. Altiùs intueamini (*p*) quanto devotionis affectu à nobis Mariam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Preciosum hodie (*q*) munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando & accipiendo, fœlici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrestria cælestibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublimis, vnde data optima & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est: denique Mater est Unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest omninò in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit. Hæc est unica (*r*) Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem inuenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Intueré (*s*) o homo consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium universum contulit in Mariam. Quid mirum (*t*) si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantùm igitur viscera illa Virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam & ante mentem replevit quàm ventrem, & cùm processerit ex utero, ab animo non recessit. Data est Mariæ potestas (*u*) in cœlo & in terra, quæ posse potestas est: & in manibus ejus vita & spiritus nostri: & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ (qua plena est) in tempore opportuno. Quia (*x*) nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. Quid ad Mariam (*y*) accedere

dere

p *Ser.2.de Virg.Deip.num.6.* q *Serm.1.in Assumpt.B.M.num.2.* r *Serm.3.de Virg.Deip.num.2.* s *Ser.2.de Virg.*Deip.num.6. t *Serm.1.in* Dom.1.*post* *O*ct.*Epiph.* *nu.2.* u *Serm.1.super* Sal.Reg.*num.1.* x *Serm.3.in Vig. Nat.* Dom. *num.* 10. y *Ser.2. de Virg.D*eip*.num.2.*

dere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentiùs Evangelicæ historiæ seriem universam,& si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA: de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si (ut verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inveneris; age gratias Deo, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Agnoscit certè (z) & diligit diligentesse,& propè est in veritate invocantibus se: præsertim his,quos videt sibi conformes factos in castitate,& humilitate: si tamen charitatem adiecerint,& totam spem suam (post Filium suum) in ea posuerint, & toto corde quæsierint orantes, & frequenter dicentes: Subveni Domina clamantibus ad te iugiter. Non aspernatur affectum prædulcem, ingens desiderium, inundationem lachrymarum, assiduitatem precum quorumlibet quamvis peccatorum: si tamen laverint à malitia cor. Omnibus (A) misericordiæ sinum aperit,ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiã, Angelus lætitiam. Sic potentissima (b) & piissima charitas MARIÆ,& affectu compatiendi,& subveniendi abundat effectu: æquè locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Amplectamur MARIÆ vestigia (c) & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Et ipsa (d) dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & Mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuerat invitata ad nuptias: multò magis compatietur

no

---

z *Serm.1.super Sal.Reg.num.1.* A *Serm.1. de Virg. Deip.num. 2.* b *Serm. 4. in Assumpt. B.M.num.8. & 9.* c *Serm.1.de Virg.Deip.n.5.* d *Serm.2. in Dom.1. post oct. Epiph.num.4.*

nobis, si piè fuerit invocata. Nimirùm èa est *(e)* quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodùm enim ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic Maria quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu. O laudabilis *(f)* clementia Salvatoris, qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatus est elargiri! Et ideo non est timendum quin misereatur miseris, Maria, ad illam partem inclinans sententiam quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam quam peperisti. Fidelis planè *(g)* & potens mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sed Divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in Deitate humanitas, nõ quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Jam itaque nè ipsa mulier benedicta in mulieribus videretur ociosa, invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorẽ istum: nec alter nobis utilior, quàm Maria, quæ *(h)* mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum Causam, sicut ad Negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno: & qui nos præcesserunr, & nos qui sumus, & qui sequentur: & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui in cœlo, ut resarciantur: & qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Totis ergo *(i)* medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas Dei est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere o homo, solo auditu territus ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talẽ Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua. An

 verò

e *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 3.* f *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 6.* g *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 1.* h *Serm. 2. in die Penterost. num. 4.* i *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 7. & 8.*

verò trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi Fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare Divinam, quòd licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in MARIA, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne Filius aut repellere, aut ſubſtinere repulſam? non audire, aut non audiri Filius poteſt? Neutrum planè. Inveniſti (ait Angelus) gratiam apud Deum. Feliciter. Semper MARIA inveniet gratiam, & ſola eſt gratia, quâ egemus. Quæramus ergo gratiam, & per MARIAM quæramus: quia quod quærit invenit, & fruſtrari non poteſt. Hæc eſt enim (*k*) quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetravit. Conſtat enim pro univerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: Ne timeas MARIA inveniſti gratiam, utique quam quærebas. Studeamus & nos (*l*) per MARIAM invenire gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit. Planè (*m*) per MARIAM ſperemus nos poſse conſequi, quidquid totius bonitatis Factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri. Ipſa nempe (*n*) mediatrix noſtra ipſa eſt, per quam ſuſcepimus miſericordiam tuã Deus: ipſa eſt, per quam & nos Dominum JESUM in domos noſtras excipimus. Cæterùm quidquid illud eſt (*o*) quod offerre paras o homo, MARIÆ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratię gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus & ſine hoc aquæductu (ideſt MARIA) infundere gratiam prout vellet, ſed tibi vehiculum voluit providere: nè verbum (*p*) quod de ore Patris ad nos egreſsum eſt Virgine mediante, vacuum revertatur: ſed per eandem nihilominùs Virginem gratiam pro gratia referamus. Ideoque (*q*) modicum iſtud quod offerre

k *Serm. 4. in Aſſumpt. B. M. num. 8.* l *Serm. 2. in Advent. Dom. num. 5.* m *Serm. 2. ſuper Salve Reg. num. 5.* n *Serm. 2. in Aſſump. B. M. num. 2.* o *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 18.* p *Ibidem num. 23.* q *Ibidem num. 18.*

ferre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nec est dubium (r) quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursùm cùm Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus. Nam si iuxta Salamonem, Filius sapiens gloria est Patris: quantò magis gloriosum est Matrem ipsius effici Sapientiæ? Hæc Sapientia (s) quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domũ, ipsam scilicet Matrem suam Virginem MARIAM. Quando (t) ex ipsa illibata carnis ejus substantia, quasi de lignis Libani, architectura ineffabili domum sibi ędificavit Dei Sapientia. Hic est Christus Dei virtus (u) & Dei Sapientia, de quo Apostolus: Qui factus est, inquit, nobis Sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. Hæc autem quæ dixi (x) absque præjudicio sanè dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. Noverint tamẽ (y) qui me tanquã de ociosa & non necessaria explanatione sugillant, non tam intendisse exponere Evangelium, *Missus est*: quàm ex Evangelio sumere occasionem loquendi, quod loqui delectabat. Si verò peccavi quòd propriã magis ex hoc excitavi devotionem, quàm communem quęsierim utilitatem: potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque opusculum devotissimè destinavi. Et hæc autem (z) propter nos dixerim, ut in memoria tantæ Virginis non modò affectus devotionis excitetur: sed & mores ædificentur ad profectum conversationis, in laudem & gloriam Filii ejus Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Deo Gratiarum Actio, & Beato Bernardo, Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. in conclus. tract. medit. de Vita Christi.

 THE-

r *Serm. 4. super missus num. 1.* s *Serm. 52. int. diversi. num. 2.* t *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2.* u *Serm. 52. int. div. n. 2.* x *Epist. 174. num. 8.* y *In Calce ultimi sermonis super missus* z *Serm. 1. in Assumpt. B. M. num. 3. & 4.*

THESAURI
DIVITIARUM CÆLESTIUM
PARS SECUNDA.
DE PROGRESSU SALUTIS HUMANÆ,
INITIATÆ IN INCARNATIONE
FILII DEI PATRIS,
IN UTERO
VIRGINIS MATRIS.

CAPUT PRIMUM.

De Incarnatione Verbi Dei, præcognita à Prophetis, & ab eisdem prænunciata populo veteri.

1. Proemium Operis de Mysterio Incarnationis Dominicæ. 2. Quam Prophetæ præsentientes in spiritu, ardenter desiderabant. 3. Eamquè prænunciabant veteri populo, querulanti de tardo Aduentu Messiæ.

1. CONCALUIT cor meum intra me *(A)* & in meditatione mea exarsit ignis. Ille sine dubio, quem Dominus Jesus misit in terram, & voluit vehementer accendi: ut nimirùm *(b)* vobis aliquas scintillulas colligerem, exilientes de illo magno camino claritatis Verbi Incarnati. Sed quis ego sum, ut præsumam os meum in cœlum ponere? Scriptum quippe est: Bestia quæ tetigerit mon-

---

S. Bern. Abb. Claravallen. iuxta edit. eius operum in VI. Tomis impressam Paris. anno 1667. A Serm. 1. in fest. Omn. Sanct. n. 3. b In proem. tr. de 3. præcip. Myst. to. 5. p. 578.

montem lapidabitur. Et rursùm: Altiora te nè quæsieris. Et, Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria. Denique (c) intueor mediam metuendæ profunditatis abyſſum. Abyſſus planè imperſcrutabilis Incarnationis Dominicæ Sacramentum, abyſſus impenetrabilis: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Quis enim inveſtiget, quis attingat, quis apprehendat? Ad hoc (d) inveſtigandum myſterium minùs ſe idoneum confitetur ille magnus Joannes, cùm ſe indignum perhibet ſolvere corrigiam calceamenti. Quis inquam (e) etiamſi linguis hominum Angelorumquè loquatur, explicare queat quemadmodum ſuperveniente ſpiritu, obumbrante Virtute Altiſſimi, Caro factum ſit Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia? Puteus altus eſt (f) & in quo hauriam non eſt mihi. Verumtamen ſolet interdùm ſuperpoſita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea ſanè licet irrumpere verear propriæ conſcius infirmitatis, frequenter tamen velut ſuper os hujus putei expando ad te Domine, manus meas, pro eo quòd anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Et nunc ſiquidem quo (aſcendente de deorsùm nebula) tenuis ebiberit cogitatio, vobis, fratres, modicum illud ſine invidia communicare curabo, velut expreſſo linteamine, vel exigua refundens cæleſtis ſtillicidia roris. Nemo quidem (g) hominum novit, nec noſcere ad plenum poteſt, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem: penes ſeipſam contineat hujus venerandi myſterii inſcrutabilis altitudo, quã Propheta conſiderans expavit, non penetravit: & Præcurſor Domini indignum ſe judicavit, qui penetraret. Cæterùm ſi non licet perſcrutari Divinæ Sacramentum voluntatis, licet tamen ſentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet ſcire, non licet tacere, quia gloria Regum celare verbum, & gloria Dei inveſtigare ſermonem. Supereſt jam (h) ut diſtribuam quæ paravi. Vos autem conſiderate potiùs dantem Dominum, quàm miniſtrum diſtribuentem. Ego enim quantùm in me eſt, nihil aliud ſum quàm conſervus

c *Ser. 2. in Annunciat. B. M. n. 1.* d *Tract. ad Hugonem cap. 5. num. 21.* e *Serm. 1. in Aſſumpt. B. M. num. 3.* f *Serm. 2. in Annunc. B. M. num. 1.* g *Tract. de error. Abailar. cap. 8. num. 19. & 20.* h *Serm. 1. in feſtiu. Omn. Sanct. n. 3.*

vus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cœlo, & alimoniam vitæ. Sit Sponsæ Ecclesiæ fons proprius (*i*) in quo ei non communicet alienus, nec indignus bibat ex eo. Est quippe hortus conclusus, fons signatus. Cæterùm derivantur aquæ inde in plateas. Eas me habere ad manum fateor, dum tamen nemo mihi molestus sit aut ingratus, si de publico haurio & propino. Nam ut paulisper ministerium meum in hac parte commendem: non nullius profectò fatigationis est atque laboris, quotidie scilicet exire & haurire etiam de manifestis rivulis Scripturarum, & ex eis singulorum necessitatibus inservire, ut absque suo labore quisque vestrum habeat aquas spirituales ad omne opus: verbi gratia, ad lavandum, ad potandum, ad cibos coquendos. Est nimirum aqua sapientiæ salutaris sermo divinus non modò potans, sed & lavans, dicente Domino: Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Sed & crudos carnis cogitatus igne Sancti Spiritus accedente coquit divinum eloquium, ac vertit in sensus spirituales & cibos mentis, itaut dicas: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Accipe itaque (*k*) syllabas aliquas ex sacris literis, passim sparsimquè comprehensas, in quibus si quid flagrantiæ, si quid dulcoris, si quid interni saporis palato pij cordis degustaveris, nolo mihi tribuas: sed nobilibus illis pigmentariis, de quorum apothecis emendicatum est, referas gloriam. Lege eas (*l*) & quas volves in ore literas, scintillas senties in pectore, quibus & concalescet cor tuum intra te, tanquam ex illo igne quem Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescebat ignis, è quibus hujusmodi evolabant scintillæ. Ignitum (*m*) eloquium ejus vehementer, & ignitum illo igne quem Dominus misit in terram. Legi illud, & concaluit cor meum intra me. Benedixi illi fornaci, de qua hujusmodi scintillæ evolassent. Nam in ea (*n*) invenio cibum non ventris, sed mentis: non holocausta medullata, nec boves cum hircis, sed Agnum de Virgine natum: cui confitetur anima mea, & sanat eam quæ peccavit ei. Ille mihi sit Via in hoc opuscu-

i *Ser. 22. in Cant. num. 2.* k *In Proœm. tract. de 3. præcip. Myst.* l *Epist. 11. num. 1.* m *Epist. 146. n. 1.* n *Prolog. in Serm. in vlt. Cœna Dom. tom. 6. pag. 649.*

opusculo, & in omnibus actionibus meis, ut illo duce quæ gessero, incipiam & finiam: ut annunciem nomen Domini in Sion, & laudem ejus in Hierusalem: ut dum convenerint populi in unum, & reges ut serviant Domino, merear illum videre in bonitate electorum suorum, & lætari in lætitia gentis suæ, qui est benedictus in sæcula.

2. Ardorem desiderii Patrum (o) suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans compungor, & confundor in memetipso: & nunc vix contineo lachrymas: ita pudet teporis, temporisquè miserabilium temporum horum. Cui namque nostrûm tantum ingerat gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum veteribus Sanctis accenderat desiderium promissio? Illorum ergo desideriū flagrans & piæ expectationis affectū spirat mihi vox ista: Osculetur me osculo oris sui. Senserat nimirùm in spiritu quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta foret gratia diffusa in labis illis: propterea loquens in desiderio animę ajebat: Osculetur me osculo oris ovis sui: nimirùm omnimodis cupiens tantæ suavitatis participio non fraudari. Nec sanè præsumo me osculatum iri ab ore ipsius (est enim hoc assumpti hominis unicæ felicitatis & prærogatiuæ singularis) sed humiliùs ab osculo oris sui peto me osculari: quod commune utique est multorum, qui dicere possunt: Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus. Intendite. Sit os osculans, Verbum assumens: osculatum, caro quæ assumitur: osculum verò, quod pariter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus. Hac ergo ratione Sanctorum nemo dicere præsumebat, Osculetur me osculo suo, sed tantùm osculo oris sui: ipsi sanè servantes prærogativam istam, cui singulariter semelquè os Verbi impressum tunc est, cùm ei se corporaliter plenitudo omnis Divinitatis indulsit. Fęlix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur. Et ibi quidem contactus labiorum complexum significat animorum: hîc autem confęderatio naturarum divinis humana componit, quæ in terra sunt & quæ in cœlis pacificans. Ipse est enim pax nostra, quæ fecit utraque unum.

Ad

o *Serm. 2. in Cant. num. 1. & 2.*

Ad hoc igitur osculum Sanctus quisque antiqui temporis suspirabat, eò quòd jucunditatem & exultationem thesaurizari super eum, & thesauros omnes sapientiæ & scientiæ in ipso absconditos præsentirent, cuperentquè & ipsi de plenitudine ejus accipere. Sentio, *(p)* placet vobis quod dicitur. Sed accipite & alium sensum. Non latuit Sanctos & ante adventum Salvatoris Deum super mortalium genus cogitare cogitationes pacis. Nec enim faceret verbum super terram, quod non revelaret servis suis Prophetis. Hoc quippe multifariè *(q)* multisque modis, cæteris revelatum est Patribus & Prophetis. Absit autem ut à diligentibus Deum aliquando fuerit negligenter auditum, nisi fortè negligere videbatur, qui dicebat: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: aut fastidire, qui clamabat: Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Erat tamen *(r)* verbum hoc absconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodū spes in pluribus quoq; illorum, qui expectabant redemptionem Israel. Vnde *(s)* & dicebat Esajas: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Sed & qui ajebat: Gemitus meus à te non est absconditus, profectò monstrabat absconditum esse, qui soli Deo non esset absconditus. Nec vacui gemitus, quibus è cœlo tam misericorditer respondetur: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Qui verò præsciebant *(t)* ipsi & prædicebant Christum in carne venturum, & cum ipso pacem. Unde quidam, Et pax erit, inquit, in terra nostra cùm venerit. Immò per ipsum Dei gratiam recuperaturos, cum omni fiducia sicut divinitùs acceperant, prædicebant. Quod & præcursor Domini Joannes suo tempore impletum agnovit, & perhibuit: Gratia, inquiens, & Veritas per Jesum Christum facta est. Et ita verum esse omnis nunc Christianus experitur. Quid? Num *(u)* amatus est à Patriarchis & Prophetis? Est, sed non priùs, quàm visus est & ab ipsis. Neque enim non viderunt quem præviderunt: nisi ita quis absque spiritu sit, ut videntem in spiritu, putet videre nihil. Unde ergo videntes (nam sic Prophetæ appellati sunt) si nihil viderunt? Inde est, quòd

p *Ibidem num.3.* q *Serm.6.in Vig.Nat.n.4.* r *Serm. 2.in Cant.n.3.* s *Serm.59.in Cant.n.5.* t *Ser.2.in Cant.n.3.* u *Serm.70.in Cant.n.2.*

voluerunt videre, quæ non viderunt: nec enim poterant velle videre in corpore, quē in ſpiritu non vidiſsent. Sed dico, Nunquid omnes Prophetæ? Quaſi omnes videre voluerint, aut fuerit omnium fides? Sed enim qui viderunt, aut prophetæ fuerunt, aut Prophetis acquieſcentes. Et credidiſse enim, vidiſse eſt. Non modò namque qui per prophetiæ ſpiritum, ſed & qui per fidem videt, ſi quis ipſum quoque dicat videre in ſpiritu, mihi non videtur errare. Videamus (x) & de olfactu Iſaac, ne fortè aliquid quod pertineat ad hæc ipſa quæ in manibus ſunt, pertranſierit. Loquitur de illo Scriptura ſic: Statimque ut ſenſit veſtimentorum ejus fragrantiam (haud dubium quin Jacob) Ecce, inquit, odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Veſtimenti fragrantiam ſenſit, ſed veſtiti præſentiam non agnovit: ſoloquè veſtis tanquam floris odore forinſecùs delectatus, quaſi fructus interioris dulcedinem non guſtavit, dum & electi filii ſimul & Sacramenti fraudatus cognitione remanſit. Necdum (y) ſpeciem ſuam ille flos agri (Chriſtus) induerat, & jam dabat odorem ſuum, quando eum (ut hoc præ gaudio exclamaret) præſenſit ſpiritu, corpore marcens Sanctus & ſenex Patriarcha Iſaac, caligans viſu ſed odoratu ſagax. Chriſtum quidem (z) in carne naſciturum & moriturum odoraverunt Prophetæ & Patriarchæ, ſed non dederunt tunc eundem odorem ſuum: quia non exhibuerunt in carne, quem in ſpiritu præſenſerunt. Non dederunt odorem ſuum, nec ſecretum ſuum publicaverunt, expectantes ut revelaretur in ſuo tempore. Quis ſanè tunc caperet Sapientiam in myſterio abſconditam, in corpore non exhibitam? Denique (A) multi (inquit Lucas Evangeliſta) reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quare? ut videlicet clariùs largiùſquè perciperent, quod vix tenuiter obſcurèque præſenſerant. Alioquin quid opus erat foris videre carnem, & carnis audire ſermones, ſi jam intùs à Spiritu fuerant perfectè inſtructi de omnibus, præſertim cùm Dominus dicat: Caro non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui vivificat? Quod ſi Prophetæ & qui illuſtriores.

x *Tract. exhort. ad milites templi c. 7.* y *Serm. 4. in Cant. num. 3.* z *Serm. 60. in Cant. num. 8.* A *Tract. ad Virginem cap. 5. n. 14. & 15.*

res videbantur in illo populo, non omnes omnia liquidò æqualiter agnoscere valuerunt, sed alii plùs, alii minùs, prout eis Spiritus dabat, dividens singulis prout volebat, idquè absque præjudicio suæ sanctitatis atque perfectionis? quantò magis simpliciores quique justi sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum & ordinem nescire potuerunt? quæ tamen certa spe & fide uti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt. Et ità multi ante Salvatoris adventum, Deum Omnipotentem tenentes & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem: credentes in promissione fidelem: sperantes certissimum Redemptorem: in hac fide & expectatione salvati sunt, licet quando & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent.

3. Cæterùm *(b)* Prophetis prænunciantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis, nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret. Itaque causabantur homines moras, quòd ille toties nunciatus necdum veniret Princeps pacis, sicut locutus fuerat per os Sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum ejus: & suspectas habentes promissiones, Signum promissæ reconciliationis (quod est osculum) flagitabant: ac si Nunciis pacis unus quilibet responderet de populo: Quousque tollitis animas nostras? Jam olim prædicitis pacem, & non venit? promittitis bona, & adhuc turbatio? Ecce hoc ipsum multifariè multisque modis & Angeli Patribus, & Patres nostri anuunciaverunt nobis, dicentes: Pax, pax; & non est pax? Si mihi vult esse persuasum Deus, quod de suæ beneplacito voluntatis tàm crebra jam legatione spondet nec exhibet, Osculetur me osculo oris sui: sicquè in signo pacis faciat de pace securum. Nam verbis jam quomodo credam? Opus magis est opere verba firmari. Probet veridicos Nuncios suos Deus, si tamen Nuncii ejus sunt: & sequatur eos ipse, ut sæpiùs promiserunt, quia sine ipso possunt facere nihil. Misit puerum, tulit baculum, & necdum est vox, neque vita. Non surgo, non suscitor, non excutior de pulvere, non respiro in spem, si non Propheta ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui. Huc accedit *(c)* quòd is, qui nostrum profitetur se mediatorem ad

 Deum,

b *Serm. 2. in Cant. num. 3.* c *Ibidem num. 4.*

Deum, Dei filius est, & Deus est. Tamen si verè (ut dicitis) decrevit misereri Deus, cogitatquè ut complacitior sit adhuc; statuat testamentum pacis, & fœdus perpetuum feriat mihi in osculo oris sui: ut quæ procedunt de labiis suis, non faciat irrita, exinaniat se, humiliet se, inclinet se, & osculetur me osculo oris sui. Vt ex æquo partibus congruens mediator neutri suspectus sit, Deus Filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc osculo oris sui. Securus suscipio mediatorem Dei Filium, quem agnosco & meum. Minimè planè jam mihi suspectus erit. Frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me jam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea. Ita ergo *(d)* vetus querela sacrosanctum osculum, id est incarnandi Verbi mysterium exigebat, dùm longa & molesta expectatione fatigata fides deficeret, & infidelis populus adversùs promissa Dei victus tædio murmuraret. Adinventio mea est, si non hoc idem & vos recognoscistis de Scripturis. Inde profectò erant querulæ illæ & plenæ murmure voces: Manda, remanda: Expecta, reexpecta. Modicum ibi, modicum ibi. Inde anxiæ illæ & plenæ pietate preces: Da mercedem Domine sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Item, Suscita Domine precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. Inde blandæ illæ & plenæ consolatione promissiones: Ecce apparebit Dominus, & non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Item, Propè est ut veniat tēpus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Et ex persona promissi: Ecce ego, inquit Isaias, declino in vos ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloriam gentium. In quibus verbis satis apparet & prædicatorum instantia, & diffidentia populorum. Sic itaque & plebs murmurabat, & fides nutabat: & juxta Isaiæ vaticinium, Angeli pacis amarè flebant. Nè ergo *(e)* universum genus humanum moram faciente Christo, desperatione periret, dùm se contemni suspicaretur infirma mortalitas, suæquè reconciliationis cum Deo de gratia toties repromissa diffideret: Sancti, qui de Spiritu certi erant, certitudinem de carnis præsentia exoptabant: ac signum reformandæ pacis propter pusillanimes & incredulos

d Serm. 2. in Cant. num. 5. e Iidem num. 6.

los omni inſtantia requirebant. Hoc ſignum pacis (*f*) Propheta Iſaias quondam regi Achas proponebat petendum à Domino Deo ſuo ſive in excelſum ſupra, ſive in inferno deorsùm. Sed impius rex recuſavit non credens miſer, quòd in ſigno hoc ima ſummis in pace ſocianda eſſent: quatenus & inferi Domino deſcendente ſalutati in oſculo ſancto ſignum pacis & ipſi recipiant: & ſuperni Spiritus id ipſum nihilominùs cùm ad cœlos redierit, æterna ſuavitate participēt. Et quia diſſimulavit Achas (*g*) poteſtatis excelſæ ſeu incomprehenſibilis profunditatis Sapientiæ quærere ſignum: propterea ſignum bonitatis & charitatis domui David ipſe Dominus promiſit, ut quos nec poteſtas nec ſapientia terruit, alliciat ſaltem exhibitio charitatis. Propter hoc (inquit Iſaias) dabit Dominus ipſe vobis ſignum, in quo manifeſtè & majeſtas & charitas innoteſcat. Ecce Virgo concipiet, & pariet filiū, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. Quia autē Deus (*h*) & Pater Domini noſtri Jesu Christi, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, jam cogitavit ſuper humano genere cogitationes pacis, & nō afflictionis: ideò cùm revocare diſpoſuit ovem quę perierat, Patriarchas miſit, legem dedit, ſignis & prodigiis conſuluit, beneficiis innumerabilibus ſubvenit. Videntur proinde mihi (*i*) quoddam ſemen fuiſſe Divinæ cogitationis tanquam è Cœlo jactatum in terras, allocutiones & promiſſiones factæ cœlitùs ad Patres, Abraham ſcilicet, Iſaac, & Jacob: de quo ſemine ſcriptum eſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Floruit autem hoc ſemen in mirabilibus, quæ oſtenſa ſunt in exitu Iſrael de Ægypto: in figuris & in ænigmatibus per totum inter in deſerto, uſque in terram promiſſionis: & deinceps in viſionibus, & vaticiniis Prophetarum: in ordinatione quoque regni, & Sacerdotii uſque ad Chriſtum. Chriſtus autem hujus ſeminis, & horum florum non immeritò fructus eſſe intelligitur, dicente David: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Et iterum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Eia

f *Serm. 2. de Adven. Dom. num. 1.* g *Tract. de 3. præcip. myſt. cap. 3.* h *Serm. 1. ſuper miſſus num. 3.* i *Serm. 2. in die Pentec. num. 2.*

Eia igitur fratres *(k)* cogitemus ſuper nos & in nos opera Trinitatis ab initio mundi uſque ad finem: Et videamus quàm ſollicita fuerit illa majeſtas (cui adminiſtratio pariter & gubernatio ſæculorum incumbit) ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & ſapienter omnia gubernabat, & utrarumque rerum tam potentiæ quàm ſapientiæ ſigna manifeſtiſſima tenebantur in creatione,& conſervatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis, ſed latebat in corde Patris cumulanda quandoque ſuper genus filiorum Adam tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus: Ego cogito cogitationes pacis: ut mitteret nobis illum, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum: ut jam daret pacem ſuper pacem, pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Tibi Chriſte *(l)* Sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam oſtendiſti nobis ſemini nequam, filiis ſceleratis & perditis. Cùm adhuc inimici tui eſſemus, Domine, & mors iniqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne ſemen Adam erat obnoxium lege primordialis culpæ: recordatus es verbi miſericordiæ tuæ, & proſpexiſti ex ſublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis noſtræ & miſeriæ. Vidiſti afflictionem populi tui, & tactus dulcore charitatis intrinſecùs, appoſuiſti cogitare ſuper nos cogitationes pacis & redemptionis.

CAPUT II.

De Incarnatione CHRISTI ſpecialiter promiſſa Arahæ: & de Concilio Dei coacto cum Angelis, ad agendum de redimendo genere humano.

1. *Abraham merito obedientiæ & fidei, primus meruit accipere à Deo promiſſionem Incarnationis* CHRISTI. 2. *De Concilio Dei, in quo agebatur de redemptione hominis reveſtiendi quatuor virtutibus, quibus ſpoliatus fuit per peccatum.* 3. *In eodem Concilio ortam inter quatuor virtutes controverſiam* com-

l *Serm. de Paſſ. Dom. num. 2. tom. 2. par. 1. pag. 302.*

composuit Rex Filius Dei, declarans se velle assumere naturam humanam ad redimendum genus humanum.

1. PRocedat in medium (*m*) magnus ille Patriarcha Abraham, fidei lumen, obedientiæ forma, justitiæ principatus. Audit ab Omnipotente: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui: & veni in terram quam mostravero tibi. Et ad unius jussionis vocem patriam fugit, relinquit parentes, deserit hæreditatem, & aliorum fines hospes ingreditur novus. Magna res & primitivæ dignitatis privilegio in patre multarum gentium consecrata. Primus primùm suis facultatibus renunciat, & obedientiæ viam indefessa velocitate percurrit. Abrahæ planè(*n*) præcipitur exire de terra, & de cognatione sua, ut videre & possidere mereatur terram viventium. Denique (*o*) cùm accipisset filium in senectute sua, in quo totius mundi benedictio fuerat cumulanda, dicit ei Deus: Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac: & offer illum mihi in holocaustum. O quanta in verbis istis amaritudo! quanta à corde patris separatio pietatis! Jubetur namque filium occidere, os ex ossibus suis, & carnem de carne sua, filium magnæ promissionis, extremæ senectutis, propriæ mulieris, filium mirabiliter promissum, feliciter natum, educatum innocenter. Et nè quid deesset, ut tenerrimum intrà paterna viscera doloris incendium exundaret, additur, *unigenitum*. Sunt namque multi filii, sed non unigeniti. Iste sic est filius, ut & unigenitus. Iste unicus patri, unigenitus matri, hæreditati reservatus. Nè respicias ad Ismael, quia qui in servitute & ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem & hæreditatem minimè pertinebat. Quia verò multi filii & unigeniti, sed non dilecti: ad exaggerandam itaque in corde patris tribulationẽ, & comprobandã in mente justi obedientiam, Dominus subjungit, *quem diligis*. Vt verò teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recrudesceret, & interior pietas ad dilectæ vocis sonum tota ferveret, *puer* nominatur ex nomine, quod vocatũ erat à Domino priusquàm in utero conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahæ pietas feriatur, cui præcipitur

ut

m *Serm 41. inter div. num. 2.* n *Epist. 107. num. 1.* o *Serm. 41. de divers. num. 2.*

ut filium tollat,occidat unigenitum,quē diligit immolet,Isaac percutiat? Multùm tentatus, multùm probatus, adustus est multùm: dulcis relatio filii ad patrem, patris ad filium. Hanc dulcedinem & omnis affectus vicissitudinem obliviscitur Abraham: sternit asinum suum, ligna componit, ignem accendit, eximit gladium. Non à Domino quærit, quare? non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum doloris ostendit: sed omnium quæ præcipiuntur gnarus, in mortem filii pia crudelitate festinat. Ideo summæ & admirabilis obedientiæ virtus in Abraham, & singularis excellentiæ laudibus prædicanda. Proinde Abrahã (*p*)impletâ obedientiâ,tunc audivit:Nunc cognovi quòd timeas Deum.Tempus deviationis (*q*) cucurrit à lapsu protoplástorum usque ad tempus Abrahæ, qui in fidei signum accepit Circumcisionis mandatum. Ab initio Deus (*r*) modum acceperat, & nihil unquam immoderatum illius placuit æquitati. Hinc fuit quòd nō modò in pondere & mensura & numero condidit universa, sed & protinùs ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit, dicens: Ex omni ligno paradisi comedes,de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas. Levissimum planè mandatum, & larga omninò mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Vnde & avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursùs modum instituit, promulgavit legem, sed nòn priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta, nè superfluitas subintraret: hìc jam indicta abscissio est,ut Sacramenti rememedio quæ subintraverat tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructu ejus vesceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Abrahæ denique (*s*) fides tàm manifestè probata est & approbata, ut primus ipse futuræ Incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. Ipse enim (*t*) repromissionem gratiæ primus à Domino audivit sibi dicente: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Vnde Apostolus: Abrahæ dictæ sunt promissiones,

p Ser.45.in Cant.n.3. q Tract.de trib.præcip.myst.cap.2. r Ser.2.in Circumcis.Dom. num.1. s Serm.4.de omn.SS.num.2. t Tract.de trib.præcep.myst.cap.2.

fiones, & femini ejus. Non dicit:Et feminibus,quafi in multis: fed quafi in uno: Et femini tuo, qui Chriftus eft. Et Lucas Præco imo Evangelifta nobis gratiam de Incarnatione Verbi dicit: Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem noftrum daturum fe nobis. Item: Sicut locutus eft ad patres noftros, Abraham, & femini ejus in fæcula. Ab initio quippe (*u*) locutus eft Deus ad patres noftros, quod in fine fæculorum cœpit declarare: ut unus idemquè lapis, & antiquos & novos filios in unius fidei charitatifquè compagem colligaret: effetquè una columba, & una fpeciofa: & quæ venturum crediffet, & quæ venientem excepiffet. Inter quos utique patres, egregius & princeps & maximus fuit Abraham, in cujus femine æftimantur fideles omnes. Hinc eft, quòd (*x*) Abraham pater omnium credentium exultavit, ut videret diem hunc, & vidit,& gavifus eft. Alioquin quomodò fervum jurantem fibi per Deum Cœli, fub femore fuo manum ponere præcepiffet, nifi ipfum utique Deum Cœli ex eodem nafciturum femore prævidiffet? Hoc quoque confilium cordis fui homini fecundùm cor fuum revelavit Deus, qui juravit veritatem, & non fruftrabitur eum: De fructu, inquiens, ventris tui ponam fuper fedem tuam. Verumtamen (*y*) movet, fateor, quòd difponente Deo peccant rationales creaturæ, & multis annorum millibus tàm cœleftia quàm terreftria in caffum ftare videantur, femirutis illis,iftis dirutis. Stat illa magna Civitas Civium fuorum numerofitate fraudata, & à ftellantibus palatiis multiplex habitantium multitudo propellitur. Obfcurantur ftellarii ignes (Solem loquor & Lunam & Stellas) multa fui luminis claritate mulctantur.Terra maledicitur,cùm damnatur hominum fucceffio: & omnis creatura juxtà Apoftolum, parturit & ingemifcit. Tacet Deus Omnipotens, & ordinans ejus omnipotentia tantam diffimulat confufionem.

2. Tandem nafcitur MARIA, & ad nubiles annos egrediens, fpeciem induit fpeciofam, quâ ipfum alliciat Deum, & Divinitatis oculos in fe convertat. Vide quid inde dicat ille non minùs explorator fecretorum Dei: Audi, inquit, filia &

u *Serm.fuper Magnificat.num.11.* x *Serm.6.in Vig.Nat.Dom. num.4.* y *Serm.2. in Nat.Dom.num.2.tom.6.pag.614.*

vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum, quõniã ipſe Dominus Deus tuus. Audivit planè, (a) & vidit: audivit & credidit, vidit & intellexit. Et inclinavit aurem ſuam ad obedientiam, & cor ſuum ad diſciplinam: & oblita ta eſt populum ſuum, & domum patris ſui: quia nec populum ſuum augere prolis ſucceſſione, nec domui patris ſui relinquere curavit hæredem: ſed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuiſſet, omnia arbitrata eſt ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Videt (A) & ardet ille vehemens amator, & totum epithalamium in ejus laudibus decantat, ubi manifeſtè Sponſus inducitur ſpirans amorem ſinceriſſimum: nec ultrà valens diſſimulare quod patitur; evocatur ſtatim cœleſtis ille conventus, & juxta Prophetam Iſaiam, Init Deus conſilium, cogit concilium, facit ſermonem cum Angelis de reſtitutione eorum, & de redemptione hominum, de elementorum renovatione. Init, inquam, (b) conſilium tota Trinitas, conſilium illud, de quo alius Propheta dicit: Conſilium tuum antiquum verum fiat. Quia verò (c) multifariè multiſquè modis de Chriſto prædictum fuerat à Prophetis, quòd in terris videndus eſſet, & inter homines converſaturus: quonammodò id factum ſit? & impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitaverit gloria in terra noſtra? Pſalmiſta indicat in his verbis. Ac ſi manifeſtiùs dicat: Ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Magnum Sacramentum, fratres, & diligentiùs perſcrutandum, niſi & intellectus myſterio, & ipſi quoque intellectui verba deeſſent? Dico tamen utcunque modicum id quod ſentio, ſi fortè vel occaſionem dediſſe videar ſapienti. Videre mihi videor, dilectiſſimi, quatuor virtutibus his amictum Primum hominem ab ipſo creationis ſuæ exordio, & (ut Propheta Iſaias meminit) veſtimento ſalutis indutum. Eſt enim in his quatuor illa ſalutis integritas: nec ſine his omnibus poteſt conſtare ſalus, præſertim cùm nec poſſint eſſe virtutes,

ſi ab-

---

a *Ser. 3. ſuper miſſus n. 3.* A *Ser. 1. de Nat. Dom. n. 1. tom. 6. pag. 614.* b *Lib. 2. de amore Dei cap. 11. num. 33. tom. 9. pag. 517.* c *Serm. 1. in Annunc. B. M. num. 6.*

si abinvicem separentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam*, custodem scilicet atque pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum: ipsaquè protegeret, & conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recèns orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non sicùt jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri, quàm *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando veritatis. Interim verò ne sapiens inveniretur ut malum faceret, esset-què peccatum ei tanquam scienti bonum & minimè facienti; *Justitiam* quoque quâ regeretur, accepit. Adhuc autem & *Pacem*, quâ foveretur & delectaretur, addidit manus benignissima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intùs pugnæ, nec foris timores: id est nec caro concupisceret adversùs spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestis omnibus liberè imposuit nomina: & serpens ipse, qui vilentiâ non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat. Sed heu! Homo iste *(d)* ad multam perniciem & insipientiam sibi, descendit de Hierusalem in Jerico. Siquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. Denique proscriptus *(e)* de loco voluptatis, de Paradiso amœnitatis detrusus in vallem plorationis, & factus est miser ille viator, vel potiùs de viator, qui descendit de Hierusalem in Jerico, & incidit in manus latronum, in arbitrium malignorum spirituum, qui vulneratum eum in naturalibus, spoliaverunt in gratuitis: & abierunt semivivo relicto, imò duplici morte corporis & animæ affecto. An non despoliatus, *(f)* qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec verò poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine ejus despoliatione. Et vide, si non propter has quatuor partes vesti-

 men-

d ibidem num. 7. e Tract. de trib. precept. myst. cap. 1. num. 3. f Serm. 1. in annunciat. B. M. num. 7. & 8.

mentorũ,quæ amiſerat Primus & vetus homo,in totidẽ quoque diviſa ſunt Secundi & novi hominis veſtimenta. Sed quia ſpoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonammodò ſingulis ſit ſpoliatus, congruum eſt ut dicamus. I. Perdidit homo *Juſtitiam*, cùm Eva ſerpentis, Adam mulieris voci obedivit potiùs quàm divinæ. Erat tamen reſiduum aliquid, quod apprehendere poſſent, idquè Dominus ſuo illo ſcrutinio innuebat, ſed abjecerunt etiam illud, converſi in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Prior enim juſtitiæ portio, non peccare: ſecunda per pœnitentiam damnare peccatum. II.Perdidit & *Miſericordiam*, cùm ſic exarſit Eva in concupiſcentia ſua, ut nec ſibi, nec viro, nec filiis parceret naſcituris, ſimul omnes terribili maledicto & neceſſitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ mulierem,pro qua peccaverat, obiecit: quaſi poſt tergum ejus volens declinare ſagittam. Vidit enim mulier lignum quòd eſſet pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave: & à ſerpente audierat tanquam Deos ſe futuros. Funiculus triplex difficilè rumpitur, curioſitatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc ſola mundus habet, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. His abſtracta & illecta miſericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam, qui mulieri malè miſertus eſt ut cùm ea peccaret, benè noluit miſereri ut pœnam ſuſtineret pro ea. III. Privata eſt etiam mulier *Veritate*, primò quidem malè detorquens quod audierat, morte morieris: & dicens, nè fortè moriamur: demùm ſerpenti credens, penitùs abneganti & dicenti, Nequaquam moriemini. Privatus eſt & Adam Veritate, vbi eam confiteri erubuit, folia, hoc eſt excuſationum operimenta prætendens. Siquidem ipſa dicit: Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo. IV. *Pacem* quoque protinùs amiſerunt: quia non eſt pax impiis, dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant in membris ſuis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? Timui ego, inquit, eò quòd nudus eſſem. Non ſic miſer, non ſic paulò antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus ſicut & modò?

3.Ex

3. Ex hoc (g) sanè (ut Prophetæ ipsius parabolam prosequamur, qui sibi obuiasse eas, & reconciliatas in osculo memoravit) gravis quædam inter Virtutes videtur orta contentio. Siquidem Veritas & Justitia miserum hominem affligebant: Pax & Misericordia zeli hujus expertes judicabant magis esse parcendum. Sunt etenim collectaneæ hæ duæ sibi, quemadmodùm & priores. Vnde & factum est, ut, perseverantibus Veritate & Justitia in ultione, & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præsentes molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii: Pax & Misericordia secederent in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus siquidem ipse cogitabat cogitationes pacis, cùm afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat Pax, nec ei Misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro Paterna pulsantes viscera, loquebantur: Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Nunquid oblivisçetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Et quamvis diù multùmquè visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo Justitiæ & Veritatis: non tamen infructuosa fuit supplicantium Pacis & Misericordiæ importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno. Fortè enim (h) interpellantibus istis tale dicatur dedisse responsum: Vsquequò preces vestræ? Debitor sum & Sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus, Justitiæ & Veritati. Vocentur & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Festinant ergo legati cœlestes, & ut viderunt miseriam hominum & crudelem plagam (ut Propheta loquitur) Angeli pacis amarè flebant. Qui enim fideliùs quærerent aut rogarent quæ ad pacem sunt, quàm Angeli pacis? Sanè ex deliberatione communi ascendit Veritas ad constitutam diem, sed ascendit usque ad nubes: necdum planè lucida, sed subobscura & obnubilata adhuc zelo indignationis. Factumquè est ut legimus in Propheta: Domine in cœlo Misericordia tua, & Veritas tua usque ad nubes. Medius autem Pater luminum residebat, & utraque pro parte sua utilius quod

g *Ibidem num.9.* h *Ibidem nu.10.& 11.*

quod habebat, loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis? Quis audivit & enarrabit? Fortè inenarrabilia sunt,& non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur: Eget miseratione Creatura rationalis (ait Misericordia) quoniam misera facta est, & miserabilis valde. Venit tempus miserendi ejus, quia jam præteriit tempus. E contra Veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo errant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Vt quid ergo (ait Misericordia) ut quid me genuisti Pater citiùs perituram? Scit enim Veritas ipsa, quoniam Misericordia tua periit, & nulla est, si non aliquando miserearis? Similiter autem è contrario & Veritas loquebatur: Quis enim nesciat, quòd si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit? nec permanebit jam in æternum Veritas tua Domine? Ecce verò unus de Cherubim (*i*) id est magni consilii Angelus ad Regem Salomonem suggeritur esse mittendus. Quoniam Filio (inquit Joannes) datum est omne judicium. Et in ejus ergo conspectu Misericordia & Veritas obuiaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba querimoniæ repetentes. Fateor, ait *Veritas*, Zelum bonū Misericordia habet, sed utinam secundùm scientiam. Nunc autem quid prævaricatori potiùs quàm Sorori iudicat esse parcendum? At tu (inquit Misericordia) neutri parcis, sed tanta indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & Sororem. Quid mali merui? Si quid habes adversùm me, dicito mihi? sin autem, quid me persequeris? Grandis controversia, & intricata nimiùm disceptatio. Quis non illic diceret: Bonum nobis erat si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omninò sic erat, non videbatur quomodò simul possent erga hominem Misericordia & Veritas conservari. Cumquè adiiceret Veritas in ipsum quoque Judicem partis suę iniuriam retorqueri, dicens: Cavendum omninò, nè fieret irritum verbum Patris? nè sermo viuus & efficax qualibet occasione evacuaretur? Parcite quæso, ait Pax, parcite verbis huiusmodi, non nos talis altercatio decet, virtutum est inhonesta contentio.

i Ibidem num. 11.

tentio. Porrò (*k*) Judex inclinans ſe, digito ſcribebat in terrà. Erant autem verba Scripturæ, quæ Pax ipſa legit in auribus omnium: (ea ſiquidem propiùs aſſidebat) Veritas dicit, Perii, ſi Adam non moriatur? & Miſericordia dicit, Perii, niſi Adam miſericordiam conſequatur? Fiat mors bona, & habet utraque quæ petit. Obſtupuère omnes in verbo Sapientiæ, & forma Compoſitionis pariter atque Judicii. Siquidem manifeſtum fuit nullam eis querimoniæ occaſionem relinqui: Siquidem fieri poſſet quod utraque petebat, ut & moreretur, & miſericordiam conſequeretur. Sed id quomodo fiet? inquiunt Veritas & Miſericordia. Mors crudeliſſima & amariſſima eſt, mors terribilis & ipſo horrenda auditu. Bona fieri quanam ratione poterit? At Judex: Mors, inquit, peccatorum peſſima, ſed precioſa fieri poteſt mors Sanctorum. An non precioſa erit, ſi fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Precioſa, inquiunt Veritas & Miſericordia: Sed quomodo fiet iſtud? Fieri (ait ille) poteſt, ſi ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neq; enim detinere poterit mors innoxium, ſed forabitur (ut ſcriptum eſt) maxilla Leviathan, & deſtruetur paries medius, ſolveturquè chaos magnum, quod inter mortem vitamquè firmatum eſt. Nimirum charitas fortis ut mors, imò & fortior morte: Si fortis illius intraverit atrium, alligabit eum & diripiet utique vaſa ejus: ſed & ipſo tranſitu ſuo ponet profundum maris viam, ut tranſeant liberati. Bonus viſus eſt ſermo, (*l*) utpotè fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, ſed ex voluntate? non ex malo merito, ſed ex beneplacito ſuo? Circuit Veritas orbem terræ, & nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Sed & Miſericordia cœlum omne perluſtrat, & in Angelis quoque nè dixerim pravitatem, minorem tamen invenit charitatem. Nimirum hæc Victoria illi debebatur, quo majorem charitatem nemo haberet, ut animam ſuam poneret quis pro ſervis inutilibus & indignis. Nam etſi ipſe jam non dicit nos ſervos, hoc ipſum immenſæ dilectionis eſt, & eximiæ dignationis. Nos autem etſi omnia quæ præcepta ſunt nobis, faceremus, quid aliud dicere

cere

k *Ibidem num.*12. *l* *Ibidem num.*13. & 14.

cere deberemus, nisi quòd servi inutiles sumus? Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constitutam diem Veritas & Misericordia, anxiæ plurimùm non invento quod desiderabant. Tunc verò seorsùm Pax consolans eas, Vos, inquit, nescitis quidquam nec cogitatis: Non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit Rex quid loquetur, & ait: Pœnitet me fecisse hominem. Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Scio enim *(m)* quid faciam. Moriar innocens pro nocente, & plùs poterit incomparabiliter bonitas mea, quàm hostilis malitia: pœna innocentiæ meæ, quàm pœna inobedientiæ humanæ. Videbat quippe Dominus *(n)* quantùm ad hominem omnia confusa, omnia turbata, nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis tam longè, ut per se nec sciret nec posset redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei, dicens: Ponam sedem meam ab Aquilonem, & ero similis Altissimo. Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse sicut dii. Ergone (inquit Deus Pater) Filius meus splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei similitudine tot æmulos habebit, & pares, & socios? Præcipitatus est uterque. Videns imago Dei Deus Filius Angelum, & Hominem (qui facti erant ad ipsam, idest imaginem Dei, non tamen quod ipsa, idest imago Dei) per inordinatum imaginis, & similitudinis appetitum periisse: Heu, inquit, sola miseria caret invidiâ: sed subveniendum homini, cui subvenire non prohibet justitia. Exhibeo me igitur bonum hominem, despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, ut zelet & imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam præproperè festinat, ut possit audire à me: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Tunc ergo *(o)* dixit: Ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Angelis stupentibus *(p)* & mirantibus præ gaudio, quæritur modus redemptio-

m *Lib.2.De amore Dei cap.12.n.36.* n *Ibid.c.11.n.34.* o *Serm.1.in Annunc. B.M.nu.14.* p *Serm.2.de Nat.Dom.num.2.to.6.pag.614.*

demptionis: & statim de Thesauro Divinitatis, MARIÆ NOMEN evoluitur: & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine Deo nihil est factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur Epistola Gabrieli, in qua Salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Et accersito Gabriele, (q) Vade, inquit, dic Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit. Fistinavit ille, & ait: Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem. Porrò venturum Regem Misericordia & Veritas prævenerunt, sicut scriptum est: Misericordia, & Veritas præcedent faciem tuam: Justitia thronum præparat, secundùm illud: Justitia & judicium præparatio Sedis tuæ. Pax cum Rege venit, ut propheta fidelis inveniretur qui dixerat: Pax erit in terra nostra cùm venerit. Inde est quod nato Domino Angelorum chorus canebat: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Sed & tunc Justitia & Pax osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hactenùs dissidere. Prior enim si qua erat ex lege Justitia, non osculum sed aculeum magis habebat urgens timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide noscitur esse Justitia. Alioquin quid erat quòd nec Abraham, nec Moyses, nec cœteri iusti temporis illius, in obitu suo pacem illam Beatitudinis æternæ apprehendere, aut Regnum pacis poterant introire, nisi quòd minimè adhuc Justitia & Pax se se fuerant osculatæ?

CAPUT III.

De Modo & Ordine Adventûs Filii Dei in Mundum.

Ecce venit is saliens in montibus, transiliens Colles. *Cant.* 2.

 1. *Per*

q *Serm.* 1. *in Annunc. B. M. num.* 14.

1\. *Per montes significantur Angeli Sancti, in quibus saliit Filius Dei, descendens ad terras, ut eorum officio fungeretur ad Evangelizandum hominibus. 2. Per montes item intelliguntur Patriarchæ & Prophetæ, quibus Deus consueverat apparere in subjecta creatura Angelica. 3. Colles significantur dæmones, quos transiliit Deus ob eorum superbiam, & visitavit terram humilium generis humani.*

1\. MISSUS Angelus Gabriel à Deo (r) etiam antequam ad Virginem perveniret, invenit Deũ Virgineis illapsum visceribus. Non enim ait, Ave MARIA replenda, sed plena: Non Dominus veniet in te, sed Dominus tecum: quia inde jam eam sibi rapuerat Spiritus Sanctus, & cœlestibus insignierat ornamentis. Jam consecrata erat in loco voluptatis, de quo fons ille debebat ascendere, qui universam terræ superficiem irrigaret. Quid mirum (s) si gratiâ plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc potiùs mirandum, quomodò qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine? Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem Nuncium celerior ipse preveniret ad terras? Nec mirum. Nam cùm esset Rex in accubitu suo, Nardus Virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini. Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, exultavit ut gigas ad currendam viam: & licet à summo Cœlo egressio ejus, nimio tamen pervolans desiderio prævenit suum Nuncium ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Quem prospiciens à longè venientem gratulans & exultans ait Ecclesia: Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles. Planè (t) transiliit Gabrielem, & pervenit ad Virginem, eodem Angelo attestante cùm ait: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quid? Quem modò reliquisti in cœlo, nunc in utero reperis: Quonam modo? Volavit & prævolavit super pennas ventorum. Victus es ô Archangele: transiliit te, qui præmisit te. Sed (u) accipite alia. Ecce venit is (inquit Sponsa Ecclesia) saliens

in

---

r *Serm. 2. de Nat. Dom. num. 2. tom. 6. p. g. 615.* s *Serm. 3. super missus num. 2.*
t *Serm. 54. in Cant. num. 2.* u *Ibidem num. 1. & 2.*

in montibus, transiliens colles. Sponsum loquitur: qui profectò tunc in montibus saliit, cùm missus à Patre ad euangelizandum pauperibus, Angelorum fungi non est dedignatus officio, factus magni consilii Angelus, qui Dominus erat. Per se descendit ad terras, qui alios delegare solebat: per se notum fecit Dominus Salutare suum, per se in conspectu Gentium revelavit justitiam suam. Cùm itaque omnes iuxta Pauli sententiam, Administratorii spiritus sint, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: qui erat super illos, factus est inter illos tanquam unus ex illis, dissimulans injuriam, & accumulans gratiam. Sed audi ipsum: Non veni, inquit, ministrari, sed ministrare, & animam meam dare pro multis. Quod quidem cæterorum nemo fecisse inventus est, ut omnes quotquot ministrasse visi sunt, ipse devotis transierit fidelibusquè obsequiis. Bonus minister, qui carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam ministravit in precium. Bonus planè, qui spiritu alacer, charitate fervens, pietate devotus, non solùm salit in montibus, sed & transilit colles, idest, superat & vincit alacritate ministrandi, utpotè quem unxit Deus suus oleo lætitiæ præ consortibus suis. In quo utique singulariter exultavit ut gigas ad currendam viam. Nunc jam consideremùs, (x) qui sint illi Montes seù Colles, super quos salientem, & transilientem eos, Ecclesia Sponsum lętis spectavit obtutibus? Credo cùm properaret ad ipsius redemptionem, cujus concupierat decorem. Nam id quidem propterea ita & non dubiè senserim, quoniam simile quid de Propheta occurrit mihi evidenter in spiritu prævidente & exprimente Salvatoris adventum: In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo Cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus. Cursus & recursus is notissimus est à quo: & ad quid initus consummatusquè, notissimum. Qui sunt autē (y) hi spirituales Montes & Colles? Illos putamus, in quibus Euangelium refert olim fuisse relictas nonaginta novem oves, cùm pius Pastor earum venit unam in terris quærere, quæ perierat. Nihilominus & adhuc in

 ob-

x *Serm. 53. in Cant. num. 3.* y *Ibidem num. 4. & 5.*

obscuro res est, & intellectus hæret, dum difficilè sit inveni-
re spirituales illas & supercœlestes beatitudines, (nam ipsæ
sunt sine dubio, quæ ibi memoratæ sunt oves) quos vel qua-
les alios habeant spirituales similiter montes vel colles ad ha-
bitandum, pascendumquè in illis. Verumtamen si non in
veritate aliqui essent, Veritas hoc non dixisset. Sed neque
Propheta longè ante de Civitate superna Hierusalē protulis-
set, quia fundamenta ejus sint in montibus sanctis; si non verè
inibi essent montes sancti. Denique quod cœlestis habitatio
illa sancta verè habeat non modò spirituales, sed & vivos ac
rationales montes collesquè, audi Esajam: Montes & colles
cantabunt coram Deo laudes. Quinam igitur isti, nisi iidem
ipsi Cœli inhabitatores Spiritus, quos Dominica voce oves
diximus appellatos, ut ipsi sint montes, qui oves? Hi inquam
(2) illi sunt montes atque colles, in quibus Ecclesia vidit cœ-
lestem Sponsum mira alacritate salientem, cùm ad suos pro-
peraret amplexus: nec modò salientem, sed & transilientem
eos. Vis tibi hos saltus Sponsi ex literis Prophetarū Apostolo-
rumquè demonstrem? Dicit de illo David, quia posuit in
sole tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus proce-
dens de thalamo suo: exultavit ut gigas ad currendam viam,
à summo cœlo egressio ejus. En quantum saltum dedit à
summo Cœlo ad terras? Sanè enim non invenio alibi, ubi in
sole posuerit tabernaculum suum, idest in luce & in mani-
festo suam dignatus sit exhibere præsentiam ipse lucis inac-
cessibilis habitator, nisi utique in terris? Denique in terris
visus est, & cùm hominibus conversatus est. In terris, in-
quam, palàm, quod est, in sole posuit tabernaculum suum,
corpus videlicet, quod de Virginis corpore ad hoc sibi aptare
dignatus est, ut in eo in se invisibilis videretur: & sic vide-
ret omnis caro Salutare Dei, cùm in carne venisset. Salit
ergo in montibus, idest in illis supremis Spiritibus, cùm ad
eos usque descendit: Sacramentum à seculis absconditum, &
magnum pietatis mysterium eis dignanter aperiens. Sed
transiens hos superiores atque eminentiores Montes, Cheru-
bim scilicet atque Seraphim; necnon Dominationes, Prin-
cipatus & Potestates, Virtutesquè, etiam usque ad inferio-

 rem

2 *Ibidem num.7.*

rem ordinem Angelorum descendere tanquam ad colles dignatus est. Sed nunquid vel in illis remansit? Transiliit & colles. Non enim (inquit Apostolus) Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, quod utique Angelis inferius est: ut sermo impleretur, quem dixit David Propheta, loquens ità ad Patrem de Filio: Minuisti eum paulòminus ab Angelis. Quanquàm hoc sanè ad commendationem naturæ humanæ dictum possit intelligi, quòd homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus, ac præditus ratione instar utique Angeli, modicum tamen distet ab Angelo propter corpus de terra. Sed audi (*A*) Apostolum Paulum apertè pronunciantem de eo: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitrabatur esse se æqualem Deo: quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Et rursùm: Ubi venit (inquit) plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Qui ergo factus ex muliere, factus & sub lege est, proculdubiò non solùm montes, idest majores Superioresquè beatitudines, sed etiam minores Angelos descendendo transiliit: qui quidem Angeli in comparatione Superiorũ meritò colliũ nomine designantur. Cœterùm qui minor est in regno cœlorum, major est quovis carnem portante super terram, etiamsi sit ille magnus Joannes Baptista. Nam etsi sanè Deum hominem fateamur, etiam in homine super omnem principatum & potestatem longè incomparabiliter præeminere: certũ tamen est, quia etsi præit majestate, sed infirmitate succumbit. Ita ergo salit in montibus, & transilit colles, cùm non solùm superioribus, sed & inferioribus Spiritibus dignãtissimè se inferiorem exhibuit. Nec modò illis supernis Spiritibus, sed & ipsis qui domos luteas inhabitant, subjectum se exhibuit, transiliens & vincens humilitate etiam hominum humilitatem. Erat denique subditus Mariæ & Joseph, cùm esset duodennis in Nazareth: & apud Jordanem Joannis se manibus iam juvenis inclinavit.

2. Aut certè saliebat in montibus (*b*) cùm in Angelis olim Patribus apparebat, quod utique proprietati literæ magis con-

A *Ibidem num.* 8. b *Serm.* 54. *in Cant. num.* 3.

convenire videtur. Non enim sponsa ait, Saliens in montes, sed in montibus, ut ipse in eis videatur salire, qui facit & dat ut saliant, quemadmodùm loquitur in Prophetis, operatur in justis, cùm illis verba, & istis opera tribuit. Adde quòd aliqui eorum personam ejus gerebant, ita, ut loqueretur quisque illorum non tanquam Angelus, sed tanquam Dominus. Verbi gratia. Ille Angelus qui cum Moyse loquebatur, dicebat: Non ego Domini, sed, Ego Dominus: atque id frequentiùs iterabat. Saliebat ergo in montibus, idest in Angelis, in quibus & loquebatur, suam hominibus exhibebat præsentiam. Ad homines enim saliebat, sed in Angelis, non in se: non in sua natura, sed in subjecta creatura. Qui enim salit, de loco ad locum vadit: quod non cadit in Deum. Quoniam (c) multifariè multisquè modis apparens Patribus Deus, suscipiebatur hospitio, participabat convivio, animabat alloquio, instruebat consilio, donabat filiis, illustrabat victoriis, divitiis cumulabat. Et eo modo (d) quondam Patribus crebra illa atque ambitiosa divinæ præsentiæ familiaritas dignanter indulta est: quanquam ne ipsis sicuti est, sed sicut dignata est. Nec uno omnibus modo, sed (ut ait Apostolus) multifariè multisquè modis: cùm ipse in se sit unus, dicente ipso ad Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est. Et hæc demonstratio non quidem communis, sed tamen foris facta est, nimirùm exhibita per imagines extrinsecùs apparentes, seù voces sonantes. Animæ (e) corporibus & corporeis egent sensibus, per quæ sibi invicem innotescant & valeant. At non ità Omnipotens Deus, cui de sola voluntate celeris suppetit efficientia tam creandis rebus quàm ordinandis, prout voluerit. Valet cui vult, quantùm vult, & absque corporalium officio obsequiovè membrorum. Operatur tamen (f) immensa & innumera per subjectam creaturam corporalem, sivè Spiritualem: sed quasi imperans, non quasi mendicans. Jam verò (g) quòd & supercœlestes Spiritus opus corporibus habeant, illa maximè certos nos faciat vera & verè divina sententia. Nonne omnes (ait Apostolus) administratorii Spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem

c *Serm. de S. Martino n. 8.* d *Serm. 31. in Cant. num. 4.* e *Serm. 4. in Cant. num. 4.* f *Serm. 5. in Cant. num. 6.* g *Ibidem num. 2.*

tem capiunt salutis? Quonam ergo modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore? Denique non est discurrere, neque de loco ad locum transire, nisi corporum? quod frequenter Angelos facere tam indubitata quàm nota probat auctoritas. Hinc est quod & visi sunt Patribus, & ad eos intraverunt & manducaverunt, pedes laverunt. Ita inferior superiorquè Spiritus propriis corporibus egent, sed tamen quibus iuvent, non etiam juventur. Ergo in montibus *(h)* id est in Angelis saliebat, qui in se non poterat: & saliebat usque ad colles, id est ad Patriarchas & Prophetas, cæterosquè spirituales viros de terra. Sed transiliebat & colles, cùm non solùm magnis & spiritualibus viris, sed & aliquibus de populo, etiam & nonnullis mulieribus æque in Angelis loqui & apparere dignatus est. Enimverò *(i)* juxtà hunc modum etiam modò propè est Verbum in corde tuo, & in ore tuo, tantùm si recto quæsieris corde: nempè Apostolo interpretante, Verbum fidei istud est, de quo Moyses ait. Vnde & alibi idem Apostolus: JESUS CHRISTUS, inquit, heri, & hodie, & in æternum. *Hesternum* quidem ab initio sæculi usque ad Ascensionem Dominicam: *Hodiernum* verò diem exinde usque ad sæculi consumationem: porrò *Æternũ* intellige post communem omniũ Resurrectionem. Nulli horum deest CHRISTUS, nulli deest JESUS, nulli deest unctio, nulli salus. Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est, Apostolis in humanitate, Martino in fide, Angelis in speci. Quam sanè speciem & electis omnibus ostensurum sese promiserat, non quidem hodie, sed in æternum. Neque tamen est quod causemur nostro huic negatã tempori, sive eam quæ ad Patres veteris testamenti facta est, apparitionem, sive eam quæ Apostolis exhibita est per præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc Carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in Sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu & veritate: ut tempori gratiæ quæ nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit dili-

h *Serm. 54. in Cant. num. 3. & 4.* i *Serm. de S. Martino n. 10. & 11.*

diligentibus se: nobis tamen revelavit per Spiritum suum. Nec mireris quòd carnales Patribus manifestationes exhibuit: qui carnalem ejus præstolabantur Aduentum. Nobis enim tantò efficacior gratia,& revelatio dignior necessaria est, quantò nimirùm excellentiora constat esse quæ expectamus. Deniq;(k)montes & colles,Patriarchas & Prophetas accipe:& quemadmodùm venerit saliens & transiliens, in libro generationis lege: Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob &c. Ex his montibus prodiit radix Jesse, unde (juxta Prophetam Esaiam) egressa est virga: & exinde Flos ascendit, super quem requievit Spiritus septiformis. Quod manifestè alio in loco aperiens idem Propheta, Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur,Nobiscum Deus. Quem enim priùs Florem,ipsum deinde Emmanuelem:& quam dixerat virgam, manifestiùs exprimens Virginem nominavit. Libet autem hujus manifesti Adventus viam considerare: quoniam viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ. Ecce (inquit sponsa) venit is saliens in montibus,transiliens colles. Videte processus gratiæ(l)& dignationis Divinæ animadvertite gradus. Attendite sponsæ devotionem atque solertiam, quàm vigili utique oculo Sponsi observat Adventum, & deinceps ipsius omnia intuetur. Venit ille, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur: & nihil horum momentorum sponsæ industriam effugit, anticipatuè notitiam. Venit in Angelis, accelerat in Patriarchis, appropiat in Prophetis, adest in carne, respicit in miraculis, alloquitur in Apostolis. Vel sic. Venit affectu & studio miserendi, accelerat subveniendi zelo, appropiat humiliando semetipsum, adest præsentibus, prospicit in futuros, loquiturdocens & suadens de regno Dei. Sic ergo est Adventus Sponsi. Benedictiones & divitiæ salutis cum eo: & universa quæ de ipso sunt, affluunt deliciis, redundantia certè jucundis ac salutaribus Sacramentis. Porrò quæ amat, vigilat & observat, & beata quam Dominus invenerit vigilantem. Non transibit illam, nec prætéribit ab ea, sed stabit & loquetur ei, loqueturquè amatoria, siquidem ut dilectus. Sic quippè habes: En dilectus meus loqui-

k *Serm. 1. de Advent. Dom. num. 11.* l *Serm. 57. in Cant. num. 1.*

quitur mihi. Benè dilectus, qui venit amatoria locuturus, non autem increpatoria.

3. Ecce (ait sponsa) venit is saliēs in montibus, transiliens colles. Colles (*m*) dicit aereas potestates, quæ inter montes quidem minimè jam numerantur, pro eo quòd à virtutum celsitudine defluxerunt per superbiā, nec tamen usque ad humilia vallium, sive ad valles humilium per pœnitentiam detumescunt. De his arbitror illud dictum in Psalmis: Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini. Hos itaque tumentes ac steriles colles, tanquam medios positos inter montes perfectorum & valles pœnitentium, proculdubiò transiliit qui in mōtibus salit: hisquè pręteritis & despectis, descendit ad valles, ut valles abundēt frumento. Porrò illi è regione æterna ariditate & sterilitate damnantur, sicut habes Prophetæ super illos imprecationem: Nec ros, inquit, nec pluvia descendant super vos. Atque ut noveris quòd ad Angelos (qui prævaricati sunt) sub figura montium Gelboe ista loquatur, ubi, inquit, ceciderunt vulnerati multi. Quàm multi in his maledictis montibus de exercitu Israel ceciderunt à principio, & quotidie cadunt. De quibus & habes in eodem Propheta, cùm dicit Domino: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor ampliùs, & ipsi de manu tua repulsi sunt! Non est ergo mirum (*n*) si steriles & infructuosi permanent isti, non montes cælici, sed aerii colles, super quos nec ros nec pluvia descendit, quippe auctore gratiæ & benedictionum largitore transiliente eos, & descendente ad valles, ut cælesti imbre perfundat humiles, qui sunt super terram: ut fructum afferant in patientia, fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum. Denique visitavit terram, & inebriavit eam: multiplicavit locupletare eam. Terram visitavit, non aerem: quia misericordiâ Domini plena est terra. Denique operatus est salutem in medio terræ: nunquid & in medio aeris? Hoc adversùm Originem, qui in aere Dominum gloriæ denuò pro dæmonibus impudenti crucifigit mendacio, cùm hujus conscius mysterii Paulus affirmet, quòd resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Verùm (*o*) non solùm visitavit terram, qui aerem

m Serm. 54. in Cant. num. 4. n Ibidem num. 5. o Ibidem num. 6.

transilivit; sed etiam cœlum, dicente scriptura: Domine in cœlo Misericordia tua, & Veritas tua usque ad nubes. Usque ad nubes enim cœlum est quod inhabitant Sancti Angeli, quos non transiliit sponsus JESUS, sed salit in eis, ita ut imprimat ipsis duo quædam vestigia pedum suorum, Misericordiam & Veritatem. A nubibus verò & infrà dæmonum habitatio est in aere isto infimo & caliginoso, in quibus non salit sponsus JESUS, sed transilit illos & præterit, nec ullum in se retinent Dei transeuntis vestigium. Nam quomodò in diabolo veritas est? de quo in Evangeliis Veritatis sententia extat, quòd in veritate non stetit: sed mendax extitit ab initio. Sed nec misericordem quis dixerit diabolum, qui nihilominus ab initio homicida fuisse eadem ipsa Evangelii veritate convincitur. Porrò autem qualis paterfamilias, tales & domestici ejus. Pulchrè proindè de Sponso JESU Ecclesia psallens quòd in altis habitet, & humilia respicit in cœlo & in terra, nullam omninò mentionem facit de his qui in aere versantur spiritibus superbis: quoniam Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Videt ergo illum (p) salientem in montibus, & transilientem colles juxtà imprecationem David dicentis: Omnes montes qui in circuitu sunt (idest in circuitu Gelboe) visitet Dominus, à Gelboe autem transeat, diabolo nempe, qui per Gelboe designatur: hincinde sunt montes quos visitat Dominus, supra Angeli, infrà homines. In pœnam siquidem suam diabolus locum in aere isto medium inter cœlum & terram de cœlo cadens sortitus est, ut videat & invideat, ipsaquè invidiâ torqueatur, Scriptura dicente: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Quàm miser cùm suspicit cœlos, in quibus innumeros montes intuetur divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia? Quàm miserior cùm respicit terram, montes nihilominùs quàm plurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate spaciosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cœli tanquàm de saltu Sponsi JESU quotidianam capientes benedictionem? Cum quanto putamus dolore & rancore aspiciat ille cupidissimus gloriæ istos in circuitu

suo

p *Ibidem num. 7.*

suo tam gloriosos, cùm se & suos è regione incultos, tenebrosos, bonis omnibus infœcundos respiciat, ita ut se sentiat esse opprobrium hominum & Angelorum, qui omnibus exprobrat secundùm illud in Psalmis: Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Atque hoc (q) quia ob ipsorum superbiam transilit eos Sponsus Jesus, saliens in montes qui in circuitu ejus sunt, tanquam fons ascendens de medio Paradisi irrigans universa, & implens omne animal benedictione. Beati, qui torrente voluptatis hujus potari interdum vel rarò promerentur, in quibus etsi non continuè fluit, saltem per horas salit aqua sapientiæ & fons vitæ, ut fiat in ipsis quoque fons aquæ salientis in vitam æternam. Et quidem hujus fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, & sanè perenniter & affluenter. In nostros autem montes qui in terra sunt, utinam interdùm facta quasi inundatione saltus dare aliquos non despiciat, quibus sufficienter irrigati, nobis quoque qui valles sumus, stillare vel raras guttulas possint, nè omnino aridi & steriles remaneamus. Miseria & egestas & omnino fames valida in regione illa, quæ nullis unquam istiusmodi vel saltibus, vel instillationibus humectatur, præterfluente & transiliente illam fonte sapientiæ. Et quia non habuerunt (inquit Deus) sapieniam, perierunt propter suam insipientiam. Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles. Ad hoc salit ut transiliat, qui non vult ad omnes pertingere. Neque enim in omnibus beneplacitum est Deo. Fratres, si juxta sapientiam Pauli scripta sunt ista ad correctionem nostram, observemus Sponsi Jesu discretos & circumspectos saltus, quẽadmodùm videlicet tam apud Angelos quàm apud nos, & in humiles saliat, & superbos transiliat: Siquidem excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Hæc, inquam, attendamus, quo cauti simus Sponsi Jesu nos salutiferis saltibus præparare, nè veluti à montibus Gelboe fortè transeat & à nobis, si indignos nos sua visitatione conspexerit. Quid superbis terra & cinis? Et de Angelis transilit Dominus execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum: scripta est enim ad ipsorum correctionem. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum,

q *Ibidem num. 8. & 9.*

lum, & lavem manus meas in ſanguine peccatoris. Qualiter inquis? Audi. Superbo certè diabolo horrenda & formidoloſa malediƐtio intorquetur, Propheta David in ſpiritu dicente de illo ſub typo Gelboe, ut ſupra memoratum eſt: Montes, inquit, qui in circuitu ejus ſunt, viſitet Dominus, à Gelboe autem tranſeat.

CAPUT IV.

De motivis, quibus inclinatus eſt Deus, ut deſcenderet de Cœlo in terram, & incarnaretur.

1. Motivum fuit, propria Dei benignitas & miſericordia. 2. Veritas, quâ ſe promiſerat venturum. 3. Puritas, & humilitas Virginis MARIÆ, quibus alleƐtus fuit Deus, ut ex ea incarnaretur.

1. VERBUM DEI (r) in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſcenderet, propria benignitas invitavit, miſericordia traxit. Hoc quippè eſt (s) propter quod exinanivit ſe, formâ ſervi accipiens, qui in forma Dei Patris æqualis erat: Sed exinanivit majeſtate & potentia, non bonitate & miſericordia. Quid enim ait Apoſtolus? Apparuit, inquit, benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Apparuerat antè potentia in creƐtione rerum, apparebat ſapientia in earum gubernatione: ſed benignitas miſericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis poteſtas in ſignis & portentis, unde & in lege ſæpiùs invenies: Ego Dominus, Ego Deus. Philoſophis quoque abundantibus in ſenſu ſuo Majeſtas innotuit, quoniam (juxtà Apoſtoli verba) quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Verumtamen & Judæi poteſtate ipſa premebantur, & Philoſophi ſcrutatores majeſtatis opprimebantur à gloria. Poteſtas ſubjeƐtionem, majeſtas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas cui poſſit homo (qui ad imaginem tuam creatus eſt) conformari: nam majeſtatem, poteſta-

r Serm. 2. in die Pentecoſt. num. 2. s Serm. 1. in Nat. Dom. num. 1.

teſtatam, ſapientiam, nec imitari poſſumus, nec expedit æmulari. Quouſq; anguſtata eſt miſericordia tua in ſola Angelorum parte, reliquam occupat judicium cum tuo pariter humano genere? Domine in Cœlo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes, terram univerſam condemnans, & aereas poteſtates. Dilatet Miſericordia terminos ſuos, extendat funes, expandat ſinus, attingat à fine uſque ad finem fortiter, diſponēs omnia ſuaviter. Reſtrictus eſt Domine judicio ſinus tuus, ſolve cingulum & veni miſerationibus affluēs, & ſuperfluens charitate. Videbatur quidem (t) oblitus eſſe miſereri Deus, quando uſque ad finem ſæculorum diſtulit mittere Filium ſuum: ſed recordatus, quod nunquam oblitus fuit: ut nos ſemper memores ſimus, & in æternum miſericordias Dei cantemus. Apparuit enim benignitas (u) & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Priuſquàm appareret humanitas, latebat benignitas. Siquidem & priùs erat, nam & miſericordia Domini ab æterno. Sed unde tanta agnoſci poterat? Promittebatur, ſed non ſentiebatur: unde & à multis non credebatur. Multifariè quippe multiſquè modis loquebatur Dominus in Prophetis, Ego, inquiens, cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Sed quid reſpondebat homo afflictionem ſentiens, pacem neſciens? Quouſquè dicitis: Pax, pax, & non eſt pax? Propter hoc Angeli pacis amarè flebant, dicentes: Domine, quis credidit auditui noſtro? Sed nunc credant homines vel viſui ſuo: quia teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis. Vt enim nec turbatum quidem oculum lateat, in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Ecce pax non promiſſa, ſed miſſa: non dilata, ſed data: non prophetata, ſed præſentata. Ecce quaſi ſaccum plenum miſecordiâ ſuâ Deus Pater miſit in terram: ſaccum, inquam, in paſſione concidendum, ut effundatur quod in eo latet precium noſtrum. De quo (x) reſurgens CHRISTUS ait: Quia conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Saccum utique (y) etſi parvum, ſed plenum. Paruulus ſiquidem datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis. Poſtquàm enim venit plenitudo temporis, venit

t *Serm. ſuper Magnific. num.* 10. u *Serm.* 1. *in Epiphan. Domin. num.* 1. x *Serm.* 2. *in Epiphan. num.* 1. y *Serm.* 1. *in Epiph. Dom. num.* 2.

venit & plenitudo Divinitatis. Venit in carne, ut vel ſic carnalibus exhiberetur: & apparente humanitate benignitas agnoſceretur. Vbi enim Dei innoteſcit humanitas, jam bebignitas latere non poteſt. In quo enim magis commendare poterat benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam? Meam inquam, non carnem Adam, id eſt non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantoperè declaret ejus miſericordiam, quàm quod ipſam ſuſcepit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quàm quod Dei Verbum factum eſt fœnum? Domine, quid eſt homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Hîc attendat homo quanta ſit cura ejus Deo: hinc ſciat quid de eo cogitet, aut quid ſentiat. Non interroges o homo ea quæ pateris, ſed quę paſſus eſt ille. Quanti te fecit ex his qui pro te factus eſt, agnoſce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quantò enim minorem ſe fecit in humanitate, tantò majorem ſe exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior eſt. Apparuit (inquit Apoſtolus) benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Magna planè & manifeſta benignitas, Dei humanitas: & magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit. Licet autem (a) paruulus ad nos venerit, non parùm tamen attulit, non parùm contulit nobis. Si quæris, quæ attulit? Primò omnium attulit miſericordiam, ſecundùm quam teſte Apoſtolo, Salvos nos fecit. O mira (*A*) & inexhauſta bonitas! ò inaudita & inæſtimabilis pietas! quis unquam poterit explicare ſermone, aut ſtylo exarare & graphio, quanta pietate auctor pietatis redundet? quanta largitate bonitatis ipſe auctor exuberet? Mihi credite: Si omnes homines niterentur & Angeli, fontis tantæ pietatis non poſſent haurire vobis etiam minimam guttam, habito reſpectu ad ipſam abundantiam pietatis. Hæc eſt inquam maximæ immenſitas pietatis, ingens eminentia bonitatis, quòd Creator omnium Deus ſeipſum exinanivit, formam ſervi ſuſcepit, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo: manens Deus in homine, ut homo maneret in Deo: Vita mortem aſſumens, ut ſibi mors aſſumeret vitam. O dulciſ-
ſima

a Serm. 1. in Nat. Domi. num. 5. A Serm. 11. in ult. an. num. 84. tom. 6. pag. 658.

ſima (*b*) reconciliatio! O ſatisfactio ſuaviſſima! O verè reconciliatio facilis, ſed perutilis! ſatisfactio parva, ſed nō paruipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erit poſtea: & ſicut modò nemo eſt qui reconciliari non poſſit, ità poſt paululum nemo qui poſſit: quoniā ſicut benignitas apparuit ultrà omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem: ſimilem expectare poſſumus judicii diſtrictionem. Noli ergo ò homo, contennere Dei miſericordiam, ſi non ſentire vis juſtitiam, ſed iram, ſed indignationem, ſed æmulationem, ſed furorem. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vt enim ſcires quanta diſtrictio ſuccedit, tanta illa manſuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immenſus eſt enim Deus & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia: multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum. Sed miſericordia quidem priora ſibi vendicat, ut ſi voluerimus, diſtrictio invenire non poſſit in quem ſæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati, ſeveritatem videamus ſecuri. Propterea voluit non ſolùm ad terras deſcendere, ſed etiam innoteſcere: non ſolùm naſci, ſed & agnoſci. Et verè (*c*) in nullo ſic commendat Deus charitatem ſuam, quomodò in Myſterio Incarnationis: in nullo ſic revelatur ejus pietas, in nullo ſic apparet benignitas, quomodò in humanitate, Apoſtolo teſte qui ait: Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Manifeſtè ergo ſtat (*d*) Incarnationem Verbi Dei ex ſola ubertate divinæ gratiæ eſſe factam. Vnde obſecramus vos chariſſimi (*e*) proſit vobis tāta charitas, quam vobis Deus majeſtatis exhibuit: tanta humilitas, quam ſuſcepit: tanta benignitas, quæ vobis per Chriſti humilitatem apparuit. Agamus gratias Redemptori & mediatori noſtro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Siquidem talem jam novimus ejus animum, ut non immeritò dicamus: Sic currimus, non quaſi in incertum.

2. Verbum Dei (*f*) in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſ-

b *Serm.1.in Epiph.Dom.num.5.* c *Serm.29.de diverſ.num.3.* d *Serm.87.de diverſ.num.3.* e *Serm.2.in Epiph.Dom. num.4.* f *Serm.2. in die Pentecoſtes num.2.*

-descenderet, Veritas, quâ se promiserat venturum, compulit. Vnde (g) & in Bethleem Judæ nascitur (sicut ait Angelus) Civitate David, utique propter Veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. Descendit itaque (h) cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Opus (i) æquè nostrum, & Dei ipsius, & Sanctorum Angelorum. Nostrum, ut auferret jugum captivitatis nostræ: Suum, ut impleretur propositū voluntatis ejus: Angelorum, ut numerus impleretur eorum. Et ideo (k) semetipsum exinanivit usque ad hoc, ut pasceretur ipse omnium pastor, & inventus est inter lilia, & visus ab Ecclesia, adamatus est ab inope pauper, factus dilectus propter similitudinem: non solùm autem, sed & propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: quòd per eum scilicet promissiones adimpletæ sunt: quòd superbi dœmones unà cum principe suo judicati sunt: quòd iniquitates remissæ sunt. Talis ergo apparuit qui meritò amaretur, verax per se, mitis hominibus, justus pro hominibus. O verè amandum & totis medullis cordis amplectendum Sponsum JESUM! Quid jam cunctetur Ecclesia totam se tota devotione committere tam fido redditori, tam pio indultori, tam justo propugnatori? Levemus (l) etiam oculos nunc in ipsam personā Domini, qui in Euangelio loquitur: Ego sum Via, Veritas, & Vita. Viam dicit humilitatem (m) quæ ducit ad Veritatem: una labor, altera fructus laboris est. Vnde sciam, inquis, quòd ibi de humilitate locutus sit, cùm indeterminatè dixerit, Ego sum Via? Audi apertiùs: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Se ergo proponit humilitatis exemplum, mansuetudinis formam. Si imitaris eum, non ambulas in tenebris, sed habebis lumen Vitæ. Quid est lumen Vitæ, nisi veritas? quę illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ostendit ubi sit vera vita. Ideo cùm dixisset, Ego sum Via & Veritas: subdit, & Vita. Ac si diceret: Ego sum Via, quæ ad Veritatem duco: Ego sum Veritas, quæ Vitā promitto: Ego sum Vita, quam do. Hæc est enim, ait Joannes, Vita æterna,

---

g *Serm.6.in Vigil.Nativit.Dom.num.4.* h *Serm.2. de Virg. Deip. num. 10.* i *Tract.de error.Abailar.cap.8.nu.19.* k *Serm.70.in Cant.n.4.* l *Ibid.nu.5.* m *Tract.de grad.humil.cap.1.num.1.tom.4.p.314.*

na, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti JESUM Christum. Vel sic quasi tu dicas: Viam considero, idest humilitatem: fructum desidero, Veritatem. Sed quid si tantus est labor viæ, ut ad optatum lucrum non possim pervenire? Respondet, Ego sum Vita, idest viaticum quo sustenteris in via. Clamat igitur errantibus, & viam ignorantibus, Ego sum Via: dubitantibus, & non credentibus, Ego sum Veritas: jam ascendentibus, sed lassescentibus, Ego sum Vita. Si enim (n) solùm promitteret regnum, & in itinere deesset viaticum, omninò conquererentur homines, & responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc seculum Vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc seculo Centuplum providentissima pietate promisit, cùm dicat: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxores, aut filios, aut agros propter nomen meum, Centuplum accipiet, & Vitam æternam possidebit. Illud enim in via: (o) hæc in patria est. Immò hæc patria, illud via. Illud consolatio præsentis laboris: hæc futuræ fœlicitatis consummatio est. Sic nimirùm & operariis hujus seculi solet cibus in opere, merces in fine dari: sic militantibus & stipendia ministrantur pro necessitate laboris, & novissimè donatiuum majus erogatur pro qualitate laboris. Sic & filiis Israel donec terram promissionis intrarent, in deserto manna nõ defuit: & ab Ecclesia post quæsitum regni cœlestis adventum, quotidianus panis petitur in oratione, quam ipse Salvator instituit. Habes hanc duplicem promissionem & in Propheta evidenter expressam, ubi ait: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum, & deducet illos in via mirabili. Ipsa est enim via testimoniorum Domini, in qua Propheta David, sicut in omnibus divitiis delectatum se esse testatur. At fortè (p) adhuc secularis ad hæc quispiam dicat: Ostende mihi Centuplum quod promittis, & libens universa relinquo? Vt quid ostendam? Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An potiùs homini ostendenti, quàm Veritati crederes

---

n *Serm. 4. super Ps. 90. num. 1.* o *Tract. de Vit. & mor. Cleric. cap. 21. num. 67.* p *Ibid. cap. 22. num. 68.*

promittenti? Deficis scrutans scrutinio. Nisi credideris, non intelliges? Manna absconditum est, quod in Apocalipsi Joannis victori promittitur. Nouum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Datum optimum est Centuplum hoc, desursùm descendit à Patre luminum. An non denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non Centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu Sancto? qui Christum habet in pectore? Nisi quòd longè plùs quàm Centuplum est visitatio Paracliti Spiritus, & præsentia Christi. Quàm magna (inquit David) multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! perfecisti eis qui sperant in te! Vides quomodò memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructet anima sancta? quomodò exprimere gestiens, verba multiplicet? Quàm magna, inquit, multitudo! Hoc deniquè Centuplum (q) adoptio filiorum est, libertas & primitiæ Spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est: non utique esca vel potus; sed Justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sanè non modò in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc Virtus in alto, quæ Andræam fecit amplecti Crucem; Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem donum & pax Electis Dei: pax utique vitæ præsentis, & donum futuræ. Illa superat omnem sensum: sed & huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia devotionis, & unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit. Manna enim est (r) omnem saporem habens, & odoris delectationem: & requies est vera & sincera, suavis & salubris, jucunda & sancta. Hæc promissio est vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ vitæ quis explicet? Si expectatio justorum lætitia, & tanta lætitia est, ut omne quod desideratur in seculo, non valeat ei comparari: ipsum quod expectatur quid erit? Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Cùm autem (s) ex toto corde

q *Ibid. num. 69.* r *Serm. 4. sup. Ps. 90. nu. 2. & 3.* s *Lib. 3. de Amore Dei cap. 28.*

de diligendus eſt Deùs in beneficiis ſuis : ex tota anima ſimili modo eum in ſuis promiſſis amare tenemur : Ille ſiquidem, qui veritas eſt, qui ſalvare nos vult & ſcit & poteſt, promittit nobis requiem à labore, ſecuritatem à timore, gaudium à mœrore, reſurrectionem à morte, vitam æternam à tranſitu hujus vitæ: promittit regnum Cœlorum, refectionem in menſa Patris: promittit quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit diligentibus ſe. In omnibus promiſſionibus, quæ omne deſiderium ſuperant, tota animæ poſſibilitate curramus. Magna ſunt hæc, (*t*) ſed tu magne Domine promiſiſti. Ex tua promiſſione ſperamus, inde audemus dicere: Si corde clamamus pio, certè debes ex promiſſo. Cœterùm quo pacto (*u*) eam quam ſibi repoſitam præſumit Paulus, coronam vocat juſtitiæ? An quoniam juſtè, jam ex debito requiritur quodcunque, vel gratis promittitur? Denique ait: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare. Dei promiſſum, ſuum appellat depoſitum: & quia credidit promittenti, fidenter promiſſum repetit. Promiſſum quidem ex miſericordia: ſed jam ex juſtitia perſolvendum. Eſt ergo quam Paulus expectat, corona juſtitiæ: ſed juſtitiæ Dei, non ſuæ. Juſtum quippè eſt, ut reddat quod debet. Debet autem quod pollicitus eſt. Et hæc eſt juſtitia de qua præſumit Apoſtolus, promiſſio Dei: nè ſi hanc contemnens, ſuam velit ſtatuere, Juſtitiæ Dei non ſit ſubiectus: cuius tamen ſuæ iuſtitiæ ipſum Deus voluit habere conſortem, ut & coronæ faceret promeritorem. In eo enim ſibi iuſtitiæ conſortem, & coronæ ſtatuit promeritorem: cùm operum quibus erat illa repromiſſa Corona, habere dignatus eſt coadiutorem. Porrò coadiutorē fecit, cùm fecit volentem, hoc eſt ſuæ voluntati conſentientē.

3. Verbum Dei (*x*) in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſcenderet, MARIA (*y*) Virginitate & humilitate ſua de Cœlo eduxit. His nimirum (*z*) Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoq uè mentis pariter & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua & pulchritudine ſua in cœleſtibus co-

 gnita,

t Serm. 16. ſuper Pſalm. 90. nu. 4. u Tract. de grat. & lib. arbr. cap. 14. num. 51. x Serm. 2. in die Pent. n. 2. y Serm. 4. ſuper Salue Reg. n. 21. z Serm. 2. ſuper miſſus num. 2.

gnita, Cœli civium in ſe provocavit aſpectus, itaut & Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cœleſtem nuncium ad ſe de ſupernis educeret. Etſi placuit *(A)* ex Virginitate,tamen ex humilitate concepit, ſicut ipſa perhibet: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus. Vnde conſtat quia etiam ut placeret Virginitas, humilitas proculdubiò fecit. Vnde tibi *(b)* humilitas & tanta humilitas ô beata? Digna planè quam reſpiceret Dominus, cuius decorem concupiſceret Rex, cuius odore ſuaviſſimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu. Videamus enim quàm manifeſtè ſibi concinant Virginis noſtræ Canticum, & nuptiale Carmen: nimirùm cuius uterus Sponſi thalamus fuit. Audiamus MARIAM in Euangelio: Reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ. Audiamus eandem in epithalamio: Cùm eſſet Rex, inquit, in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuũ. Nardus quippè herba humilis eſt, & pectus purgat, ut manifeſtum ſit humilitatem nardi nomine deſignari, cuius odor & decor invenerit gratiã apud Deum. Nardus *(c)* idem ſignificat quod Viola,ideſt humilitatis virtutem: cuius fragrantiâ delectatus eſt Rex, Filius Regis. Deus Dei Filius cùm eſſet in accubitu ſuo,ideſt in ſinu Patris,& odore tàm delectabili quaſi quadam illius violentia tractus eſt in Virginẽ, & voluit concipi Flos in flore.Bonus profectò flos Viola,qui Florem cœleſtem Verbum æterni Patris in uterum terreni floris Beatiſſimæ Virginis mirifica dulcedine ſui odoris attraxit, ipſa atteſtante quæ ait: Exultavit ſpiritus meus in Deo Salutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Magna *(d)* humilitatis Virtus, cui etiam Deitatis Maieſtas tam facilè ſe inclinat. Solito placet *(e)* Deo humilitas. Solito planè atque ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit. Et ideo cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, ideſt in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit. Bonus humilitatis odor *(f)* qui de hac valle plorationis aſcendens, perfuſis circumquaque vicinis regionibus, ipſum quoque Regium accubitum grata ſuavitate reſpergat. Eſt nardus humilis herba,

---

A *Serm. 1. ſuper miſsus num. 5.* b *Serm. 4. in Aſſumpt. B. Mariæ num. 7.* c *Tract. de Vite Myſt. cap. 17. num. 67.* d *Serm. 43. in Cant. nu. 1.* e *Serm. 42. in Cant. num. 9.* f *Ibidem num. 6.*

ba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ hi qui herbarum vires curioſiùs explorarunt: & ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea ſanè dico, quoniam eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas quam charitas format, & inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intùs ad lumen veritatis & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius (quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtravit) ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes: voluiſſes proculdubiò (quod in te eſt) eandem de te omnes tenere ſententiã, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis. Sanè quod in te eſt dixerim, quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia, quæ nos ſcimus de nobis: atque ipſa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palàm fieri velle quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore tui tentus detines pariter intra te judicium veritatis incluſum, cui dubium eſt minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? Vides igitur (g) non eſſe idipſum, hominem de ſeipſo non altum jam ſapere, veritatis lumine redarguitum: & humilibus ſpontè conſentire, munere charitatis adjutum. Illud enim neceſſitatis eſt, hoc voluntatis. Semetipſum exinanivit (inquit Apoſtolus) formam ſervi accipiens, & formam humilitatis tradens. Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit non neceſſitate judicii, ſed noſtri charitate. Poterat nimirùm vilem ſe & contemptibilem demonſtrare, ſed planè non reputare, quoniam ſciebat ſeipſum. Voluntate proindè humilis fuit, & non judicio, qui talem ſe obtulit qualem ſe neſcivit: magis autem placuit minimum reputari, qui ſe ſummum non ignorabat. Deniqueait: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Corde dixit, cordis affectu, id eſt volun-

g [illegible] n.m.7.

voluntate. Itaque neceffitatem exclufit,qui voluntatem confeffus eft. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam fuppliciis, dignos plagis: non, inquam, ita & Chriftus: quæ tamen omnia expertus eft, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate quam cordis fuafit affectio, non quam extorfit difcuffio veritatis. Propterea *(b)* dixi hanc voluntariæ humilitatis fpeciem, non redarguitione veritatis, fed charitatis intra nos infufione creari: quia cordis eft, quia affectionis, quia voluntatis: an verò rectè, tu judica. Itemquè etiam hoc tuo æquè examinetur judicio, dignène eandem Domino affignaverim? quem charitate conftat exinanitum, charitate minoratum ab Angelis, charitate parentibus fubditum, charitate Baptiftæ manibus inclinatum, charitate carnis infirma paffum, charitate poftremò morti obnoxium, cruce in gloriam extitiffe. Sed & hoc unum adhuc tui fit confiderare arbitrii, rectène etiam hanc ipfam humilitatem ita charitate calentem, herba humili & calida, ideft nardo putaverim defignatam? Et fi ita cuncta probaveris (probabis enim rationi manifeftiffimæ acquiefcens, tunc fi jam apud teipfum humiliatus es neceffaria illa humilitate, quam fcrutans corda & renes veritas fenfibus ingerit animæ vigilantis) adhibe voluntatem, & fac de neceffitate virtutem, quoniam nulla eft virtus fine convenientia voluntatis. Sic autem fiet iftud, fi nolis aliter apparere foris, quàm te invenis intùs. Alioquin time ne de teipfo legas in Pfalmo: Quoniam dolosè egit in confpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Pondus (inquit Salamon) & pondus abominatio eft apud Deum. Quid enim? Tu te depreciaris in fecreto apud teipfum veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius precii mentiens majori te pondere vendis nobis quàm ab ipfa accepifti? Time Deum, & noli hanc rem peffimam facere: ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim refiftere veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiefce Deo, & fit voluntas fubdita veritati: nec tantùm fubdita, fed & devota. Nonne Deo (inquit David) fubjecta erit anima mea?

C A-

b Ibidem num. 8.

CAPUT V.

De Circumstantiis Adventûs Domini in mundum; ad incarnandum ex MARIA Virgine.

1. Quæritur, Quis sit, qui venit? 2. Unde, & quò venit? 3. Quando, & qua via venit?

1. DILIGENTER pensate (*i*) rationem Adventûs Domini, quærentes nimirùm, Quis sit, qui veniat? Laudabilis sine dubio curiositas ista est & salubris. Neque enim tam devotè Ecclesia universa celebraret Adventum Domini, nisi lateret in eo magnum Sacramentum? Igitur cum Apostolo stupente & admirante intuemini & vos, quantus sit iste qui ingreditur. Ipse enim est (secundùm Gabrielis testimonium) Altissimi Filius, ac proinde coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis fateri necesse est altitudinis, & ejusdem penitùs dignitatis. Nam & filios Principum Principes, & filios Regum Reges esse quis nesciat? Porrò (*k*) advertite quod scriptum est: Deus habitat lucem inaccessibilem. Et rursùm: Deus noster ignis consumens. Quod utrumque dictum est de Divina Essentia, in qua Pater unum est cum Filio & Spiritu Sancto: quia in illa Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Unde & Filius ait: Ego & Pater unũ sumus. Unum quippè est, (*l*) sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus: non affectibus distat, ut anima: nõ formis subſtat, ut omne quod factũ est: sed neq; formæ, ut Philosophis visum est. Sed nec conjunctio (*m*) vel quasi compositio, vel tale aliquid quod unius non est. Est autem Patri Filioquè natura, essentia, voluntas, non modò una, sed unum. Hoc nempe est illis esse, quod naturam esse: hoc velle quod esse, vel naturam esse.

i *Serm. 1. de Adv. Dom. num. 1. & 2.* k *Tract. de trib. præcip. myst. cap. 7. nu. 19.*
l *Lib. 5. de consid. c. 7. n. 16.* m *Serm. 71. in Cant. n. 8.*

se. Non est itaque quòd unitas (quâ unum sunt Pater & Filius) dicatur fieri de naturis vel essentiis, vel voluntatibus, quia non sunt: non est quod dicatur vel fieri, quia est. Nec enim factitia est, sed nativa. Sunt in se Pater & Filius non solùm ineffabili, sed etiam incomprehensibili modo sui ipsorum capabiles pariter & capaces: sed sanè ita capabiles, ut non partibiles, ita capaces, ut non participes. Nam ut in Hymno Ecclesia canit: In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Est Pater in Filio, in quo sibi semper benè complacuit: & est Filius in Patre, à quo ut nunquam non natus, ita nunquam est separatus. Si ergo unum sunt, *(n)* habitant eandem lucem inaccessibilem. Sunt idem ignis consumens: & eadem charitas: eadem potentia: eadem sapientia: eadem majestas: eadem æternitas. Est itaque Filius à Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor paternæ gloriæ. Hinc & Apostolus ait: Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, haud dubium quin Patris. Splendet ergo æquè Filius ut Pater, imo idem splendor Filius qui Pater. Propterea *(o)* in Adventu Domini, si personam venientis intueor, non capio excellentiam majestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavesco. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inæstimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem cognosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo venisse dicitur, qui semper ubique fuit? Venit non locum *(p)* mutando, sed præsentiam suam nobis per carnem exhibendo. Christus *(q)* etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat ejusdem, cujus nunc est, sapientiæ, & potestatis, utpote Dei virtus, & Dei sapientia. Et *(r)* cùm esset Filius Dei, Deus verus, Deo Patri Sanctoquè Spiritui coæternus & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansquè omnia verbo virtutis suæ: non despexit in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem suam inclinare, ubi nostram & gustaret & absorberet

n *Tract. de trib. præcip. myst. cap. 7. n. 19.* o *Ser. 3. de Adven. Dom. n. 1.* p *Ser. de Pass. Dom. n. 3.* q *Serm. 3. in Nat. Dom. n. 1.* r *Serm. de Pass. Dom. num. 3.*

beret miseriam, nosquè repararet ad gloriam. Parum fuit charitati suæ ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim aut Seraphim aut unum ex Angelis destinare: ipse venire ad nos dignatus est per mandatum Patris, cujus nimiam charitatem experti sumus in ejus Filio. Attamen (s) velim nosse, quid sibi voluerit quòd ad nos venit ille? aut quare non magis ivimus nos ad illum? Nostra erat enim necessitas: sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ità est, nos magis ad eum venire dignum fuit, sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri, ille verò lucem habitat inaccessibilem: & jacentes paralytici in grabato, Divinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Salvator & medicus Animarum descendit ab altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laternâ quadam, illo utiquè glorioso & ab omni labe purissimo corpore quod suscepit: ut obiectu (t) vivificæ carnis viderent Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Hæc est (u) illa levissima planè & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum Propheta prædixerat, ut descenderet in Ægyptum. Descendit profectò (x) de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus: descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videtur infirmus? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola matris ubera noverit? Facta est igitur (y) res mira & obstupenda. Infirmata est Virtus summa, & ut ita dicam si dici liceat, quod tamen reverenter dico: quasi infatuata est Sapientia. Nec erubesco dicere, quod non erubuit Doctor gentium docere. Sic nempe credidit, sic docuit, sic scriptum reliquit: Nos, inquit, prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

s Ser. 1. de Advent. Dom. n. 8. t Ser. 3. in Ascens. Dom. n. 3. u Ser. 1. de Adven. Dom. num. 8. x Serm. 4. in Ascens. Dom. num. 6. y Serm. 57. de divin. num. 1.

2. Ecce audistis (z) quis sit qui veniat: considerate jam unde veniat, & quò. Venit utique de corde Dei Patris, in uterum Virginis Matris: quatenus scilicet (*A*) plenitudo Divinitatis corporaliter in ipsa habitare incipiat. Venit inquam, (*b*) Filius Dei à regali Solio sublimis gloriæ suę, in humilem & abjectam in oculis suis puellam, pio virginalis continentiæ voto sigillatam: in cujus sacro utero sola Spiritus Sancti inanerrabilis Virtus eum concipi fecit, & nasci in veræ humilitatis natura: ita ut nec Divinitatis in eo majestatem, nec Virginitatis integritatem in Matre violaret nativitatis occasio. Ille (*c*) per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, Summi Patris Vnigenitus, eidem Patri consubstantialis & coæternus, par majestate, æqualis gloria, idem in essentia, ipsius Virtus & Sapientia: hic talis & tantus, cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, de sinu Patris in vallem nostræ plorationis descendit: in utero puellæ se contraxit. Et qui erat in principio apud Deum, factum est Verbum abbreviatum. Et vide quàm abbreviatum, quàm immensum, quàm breve factum. Intra puellæ viscera se clausit, ibi sanguineis circumdatus involumentis, tædia novem mensium sustinuit. Sed quis (*d*) etiamsi linguis hominum Angelorumquè loquatur, explicare queat quemadmodùm superveniente spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia: & Dominus majestatis, quem non capit universitas terræ, intra virginea sese clausit viscera factus homo. O venter (*e*) diffusior cœlis, terrisquè amplior, capacior elementis! qui totum claudit omnia concludentē, in quo Deus gloriæ reclinatur. O venter mirabilis (*f*) qui potuit capere Salvatorem! O venter laudabilis, qui potuit recipere Redemptorem! Verbum enim Dei (*g*) in sublimi constitutum, ut ad nos descenderet, puritas uteri virginalis (salva Virginis integritate) suscepit. Verbum inquam (*h*) ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: Dies diei eructat verbum. Vtiq; dies Pater: siquidē dies ex die Salu-

---

z *Ser. 1. de Advent. Dom. num. 6.* A *Ser. 4. super missus n. 2.* b *Ser. de Pass. Dom. n. 3.* c *Tract. de trib. pracip. myst. cap. 6. nu. 10.* d *Serm. 1. in assumpt. B. M. nu. 2.* e *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 2. tom. 6. pag. 615.* f *Serm. 5. super Sal. Reg. num. 6.* g *Serm. 2. in die Pentecost. num. 2.* h *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 11.*

Salutare Dei. Pater enim non exiit, (*i*) ſed Filius à Patre proceſſit, & venit in mundum: ut qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in utero Matris. A Deo, inquam, exivit (*k*) quia de ſinu Patris in uterum Beatæ Virginis venit. Dies diei (*l*) eructat verbum: Deitas virginitati de utero paternæ majeſtatis, in utero maternæ integritatis. Eructavit (*m*) cor Dei Altiſſimi de ſuo impenetrabili abyſſo Verbum, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immenſus immenſum, & per omnia ſibi coæqualem. Conſiderantibus ergo quis veniat (*n*) magna omninò & ineffabilis Majeſtas innotuit. Suſpicientibus unde veniat, grandis planè patuit via ſecundùm ejus teſtimonium, qui prophetico præventus ſpiritu, Ecce, inquit, nomen Domini de longinquo. Venit quippe à ſummo cœlo in inferiores partes terræ. Porrò quò veniat intuentibus, apparuit inæſtimabilis dignatio & penitùs inexcogitabilis, quòd in carceris hujus horrorem tanta deſcendere dignata eſt celſitudo. Jam quis dubitet magnum aliquid in cauſa fuiſſe, ut majeſtas tanta de tam longinquo, in locum tam indignum deſcendere dignaretur? Planè magnum aliquid, quia miſericordia magna, quia miſeratio multa, quia charitas copioſa. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti. Ego enim audiens (*o*) quia tranſit ante carcerem Filius magni Regis, cœpi altiùs gemere, & mirabiliùs exclamare dicens: Filii Dei miſere mei. At ille ſicut benigniſſimus, Quiſnam eſt, inquit, ille fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei: Ipſe eſt Adam proditor ille, quem Pater veſter trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum ſuppliciis faciat interire. Quid ageret cujus natura bonitas, cui proprium miſereri ſemper & parcere? Deſcendit in carcerem, venit ut educat vinctum de domo carceris. Dixi vobis ſæpiùs (*p*) nec mente excidere debet, quoniam in caſu primi hominis cecidimus omnes. Cecimus autem ſuper aceruum lapidum, & in luto: unde non ſolùm inquinati, ſed etiam vulnerati & graviter quaſſati ſumus. Cecidimus, inquam, (*q*) per ſuggeſtionem, delectatio-

 nem,

i Serm. de S. Benedicto num. 9. k *Serm. 2. in vlt. Can. nu. 5. tom. 6. pag. 653.* l *Serm. 49. de div. num. 1.* m *Serm. de Paſſ. Dom. num. 23.* n *Serm. 1. de Adven. Dom. num. 6. & 7.* o *Serm. 3. in Circumc. Dom. num. 4.* p *Serm. 1. in Cana Dom. num. 3.* q *Serm. 45. de div. num. 1. 2. & 3.*

nem, consensum, ab illa Summa Trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, in quandam contrariam & fœdam trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, & immunditiam. Memoria enim facta est impotens & infirma: Ratio imprudens & tenebrosa: Voluntas impura. Porrò *Memoria*, quæ simplicis Divinitatis potentiam stans cogitabat, ab illa cadens & velut supra saxa corruens, in tres partes confracta dissilit, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, ociosas. Affectuosas voco illas, quibus memoria afficitur, videlicet in curis rerum necessariarum, edendi, bibendi, cæterorumquè similium: Onerosas, in exterioribus administrationibus, & occupationibus duris: Ociosas, quibus nec afficitur nec oneratur, & tamen nec ab æternorum contemplatione per illa distenditur, ut si cogitet v.g. equum currentem aut avem volantem. *Rationis* quoquè triplex casus est. Siquidem ejus erat discernere inter bonum & malum, verum & falsum, commodum & incommodum. In quibus discernendis tanta modò caligine cæcatur, ut sæpè in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo, & è converso. Nunquam verò in his falleretur, si nunquam lumine à quo creata est, privaretur. Sed quia & ipsa inde cecidit, proculdubiò nihil aliud quàm tenebras suæ cæcitatis invenit. *Voluntatis* etiam ruina similiter tripartita est. Quæ enim summæ benignitati & puritati inhærere, & eadem diligere debuit: per propriam iniquitatem à supernis in hæc infima lapsa, per concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari? Vbi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ substantia perimitur, quæ in eo præfert vestigium quoddam illius Summæ Trinitatis, quòd ex memoria, ratione, & voluntate consistit. Verumtamen (r) hunc tam gravem, tam tenebrosum, tam sordidũ lapsum nostræ naturæ reparavit illa Beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, immemor culpæ nostræ. Venit ergo à Patre missus Dei Filius, & dedit fidem: post Filium missus Spiritus Sanctus, & dedit charitatem. Post hæc duo, idest fidem & charitatem, facta est spes redeundi ad Patrem. Et hæc

est

r *Ibidem num.* 4.

est Trinitas, scilicet fides, spes, charitas, per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinem illa incommutabilis & Beata Trinitas mutabilem, lapsam,& miseram trinitatem nostræ animæ. Et fides quidem illuminavit rationem: Spes erexit memoriam: Charitas verò purgavit voluntatem. Cùm ergo venit (ut dictum est) Dei Filius, factus est homo,qui erat Deus: & tanquã medicus bonus dedit præcepta, quibus observatis reformaretur salus amissa: ut verò præceptis faceret fidem, exhibuit signa: ut eorundem præceptorum persuaderet utilitatem, promisit beatitudinem.

3. Tempus est jam (s) ipsum quoque considerare tempus, quo Salvator advenit. Venit enim non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongruè factum est, sed verè sapienter disposuit Sapientia, ut cùm magis esset necessarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Verè enim advesperascebat, & inclinata erat jam dies, recesserat paulominùs Sol justitiæ: ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in terris. Nam & lux Divinæ notitiæ parva admodùm erat,& abundante iniquitate, fervor refriguerat charitatis. Jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione victi,præ nimia utiquè duritia hominum & obstinatione. At ego (ait Filius) tunc dixi, Ecce venio. Sic sic dùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit. Quod Apostolus innuens ajebat: Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Nimirùm plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Oportunè ergo tunc advenit Æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cætera sileam,ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum describeretur universus orbis. Christus autẽ (t)non venit vacuè,quia nõ venit vacuus. Nam quomodo vacuus in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus est ad mensuram Spiritus. Denique & venit in plenitudine temporis, plenum proindè venire se indicans. Benè ple-

s Serm.1.de Adven.Dom.num.9. t Serm.16.in Cant.num.12.

plenum, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Vnxit & misit plenum gratiæ & veritatis. Vnxit, ut ungeret. Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Ideo ait: Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me: ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino. Veniebat (ut audis) ungere contritiones nostras, & lenire dolores. Ideoque venit unctus, venit mansuetus & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus se. Sciebat se ad infirmos descemdere, exhibuitquè qualem oportuit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque providus medicus medicamina curavit afferre. Attulit spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini. Vide (u) quot phialas plenas odoramentis Cœlestis medicus præparavit ad sananda vulnera illius miseri, qui incidit in latrones? Septem sunt numero. Spiritus autem vitæ erat in phialis. Ex his profectò infudit oleum meis vulneribus: infudit & vinum, sed minus quàm olei. Sic nempè congruebat infirmitatibus meis, ut misericordiam superexaltaret judicio, quemadmodùm vino oleum superfertur infusum. Attulit proindè quinque cados olei, vini nonnisi duos. Vinum siquidem timor tantùm & fortitudo fuêre, reliqua quinque oleum propria suavitate designant. In Spiritu denique fortitudinis tanquam potens crapulatus à vino descendit ad inferos, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, alligavit fortem, & vasa captivitatis eripuit. Descendit nihilominùs in Spiritu timoris, sed timendus, non timidus. O Sapientia quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ sanitatem restauras, fortiter suavis, & suaviter fortis. Fortis pro me, & suavis mihi. Denique attingis à fine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter, propellens inimicum, & infirmum fovens. Habetis ergo jam (x) & personam venientis, & locum utrumque, idest à quo, & ad quem venit: causam quoque & tempus non ignoratis. Vnum restat, Via scilicet per quam venit: & hæc quoque diligenter requirenda, ut possimus

sicut

u [illegible] num. 13. & 14. x Serm. 1. de Adven. Dom. num. 10.

ficut dignum eft, ei occurrere, qui ad operandam falutem in medio terræ venit in carne vifibilis. Miffus eft (y) coluber tortuofus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipfius mentem transfunderet, & fic refunderet in totius pofteritatis originem. Miffus eft interim Gabriel Angelus à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipfius eructaret, ut eadem via intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Dignum (z) quippè fuerat per fuperiores oculorum feneftras Veritatem intrare in animam: fed hoc nobis, ô anima, fervatur in pofterum, cùm videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepfit morbus, inde remedium intret, & per eadem fequatur veftigia vita mortem, tenebras lux, venenum ferpentis antidotum Veritatis: & fanet oculum qui turbatus eft, ut ferenus videat quem turbatus non poteft. Auris primò mortis janua, prima aperiatur & vitæ. Auditus qui tulit, reparet vifum: quoniam nifi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, vifus ad præmium. Vnde Propheta: Auditui meo, inquit, dabis gaudium & lætitiam: quòd fidelis retributio auditionis, beata vifio fit: & beatæ meritum vifionis, fidelis auditio: Beati, ait, mundo corde, quoniam ipfi Deum videbunt. Porrò fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodùm habes: Fide mundans corda eorum. Interim ergo dum necdum paratus eft vifus, auditus exercitetur, auditus excipiat Veritatem. Beata, quæ credidit (A) quoniam perfecta funt in ea, quæ dicta funt ei à Domino. Siquidem fide concepit, fide peperit. Sed jam advertiftis (b) quoniam Virgo regia ipfa eft via per quam Salvator advenit, procedens ex ipfius utero tanquam fponfus de thalamo fuo. Tenentes ergo viam, ftudeamus & nos ad ipfum per eam afcendere, qui per ipfam ad nos defcendit: per eam venire in gratiam ipfius, qui per eam in noftram miferiam venit. Huius (c) proinde Adventûs tantæ majeftatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis noftræ, ab univerfa Ecclefia femel in anno folennis memoria celebratur. Sed utinam ita femel ageretur, ut femper! id quippe digniùs. Quantæ enim infaniæ, ut poft

tanti

y *Serm.2.in die Pent.num.3.* z *Serm.28.in Cant. num.5.* A *Serm.2.in Nat. Dom. num.4.* b *Serm.2.de Advent.Dom.num.5.* c *Serm.3.de Adv.Dom.num.2.*

tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negociis homines velint ſeu audeant occupari, & non magis, omiſſis omnibus, ſoli ejus cultui vacent, nec in ejus præſentia cujuſquam meminerint cœterorum? Sed non omnium eſt quod ait Propheta: Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt: ſiquidem nec omnes hæc momoria paſcit. Ita pudet teporis *(d)* temporiſquè miſerabilium temporum horum. Cui namque noſtrûm tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſſio?

CAPUT VI.

De modo ineffabili Incarnationis Verbi Filii Dei.

Et Verbum caro factum eſt. *Joan.* 1.

1. Verbum Filius Dei ſuperveniente Spiritu Sancto, & obumbrante Virtute Altiſſimi, caro factum eſt. 2. Verbum Æterni Patris carni unitum eſt fide Virginis Matris. 3. Verbum Sapientia Dei Patris carnem de carne MARIÆ Virginis ſuſcepit.

1. VEnit Verbum *(e)* in carnem, Deus ad hominem: Verbum caro factum eſt, & Deus factus eſt Homo. Sonuit vox lætitiæ *(f)* in terra noſtra, vox exultationis & ſalutis in tabernaculis peccatorum. Auditum eſt verbum bonum, verbum conſolatorium, ſermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Jubilate montes laudem, & omnia ligna ſylvarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite cœli, & auribus percipe terra, obſtupeſce & lauda univerſitas, ſed tu magis ô homo. Quia *(g)* Dominus Majeſtatis, quem non capit univerſitas creaturæ, intra virginea ſeſe clauſit viſcera factus Homo. Ibi *(h)* confœderata ſunt terrenis cœleſtia, & obviaverunt ſibi in oſculo pacis, quando in unam eandemquè perſonam concurrerunt Divinitas & Humanitas. Factumquè eſt novum illud ſuper terram, ut

d *Serm. 2. in Cant. n. 1.* e *Ser. 7. in ult. Cana n. 47. um. 6. pag. 675.* f *Ser. 1. in Vig. Nat. Dom. n. 1.* g *Serm. 1. in Aſſumpt. B. M. n. 3.* h *Serm. 3. de Virg. Deip. n. 3.*

ut esset Deus homo, & homo Deus. Tantam(i) tamquè expressam unionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus & homo unus est Christus: ut si duo illa de se invicem prædices, nō erraveris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum verè catholicèquè pronuncians. O breve verbum (k) de Verbo abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum! Laborat affectio mellifluæ dulcedinis copiam latiùs effundere gestiens, nec inveniens verba. Quis enim (l) etiamsi linguis hominum Angelorumquè loquatur, explicare queat, quemadmodùm superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, Caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omia? Quis (m) tam lapidei cordis, cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annunciari dulcius poterat? Quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? Exultemus proinde (n) ruminantes intra nosmetipsos, & invicem eructantes suave verbum, eloquium dulce: Verbum caro (o) factum est, & habitat jam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, quia usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim priùs cogitaret homo de Deo, nisi forsitan Idolum in corde fabricaretur? Nec mihi (p) quis ad ista respondeat indevotus, ingratus, irreligiosus: Non est hoc novum, olim auditum est, olim factum est, olim natus est Christus. Ego enim dico, Olim & ante. Nec mirabitur Olim & ante, cui propheticum illud occurrerit: In æternum & ultra. Natus est ergo Christus non modò ante hæc nostra tempora, sed ante tempora universa. Verùm illa quidem nativitas posuit tenebras latibulum suum, imo verò lucem magis habitat inaccessibilem: latet in corde Patris, in monte umbroso & condenso. Vt ergo aliquatenùs innotesceret, natus est & in tempore, natus ex carne, natus in carne: factum est Verbum caro. Meritò proinde (q) in testimonium fidei vestræ, ubi fit vox annunciationis hujus in auribus vestris, exultatis in gaudio, agitis gratias, prostrati solotenùs adoratis, cōcurrentes velut sub umbram alarum ejus, & sub pen-

 nis

i *Lib. 5. de consid. cap. 9. num. 21.* k *Serm. 1. de Vig. Nat. Dom. num. 1.* l *Serm. 1. in Assumpt. B. M. num. 3.* m *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. nu. 1.* n *Serm. 6. in Vig. Nat. Dom. num. 2.* o *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 10.* p *Serm. 6. in Vig. Nat. Dom. num. 3.* q *Ibidem num. 5.*

nis ejus ſperantes. Nunquid non ſingulari Nativitate Salvatoris audita clamatis in cordibus veſtris, dicentes cum David: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt? Aut potiùs illud quod idem Propheta ait: Deo ſubjecta eſto anima mea? Infelix autem (r) quiſquis fictè proſtratus, corde rigido corpus humiliat. Eſt enim qui humiliatur nequiter, interiora autem ejus plena ſunt dolo. Quiſquis enim neceſſitatem ſuam minùs conſiderat, minùs ſentit incommoda, minùs pericula pavet; minùs devotè confugit ad remedia ortæ ſalutis, minùs affectuosè ſe ſubjicit Deo, minùs fideliter pſallit: Domine refugium factus es nobis. Hujus adoratio minùs accepta, hujus proſtratio minùs verax, hujus humiliatio minùs habens, hujus etiam victorioſa minùs imò & minùs vivida fides. Angelus (s) ad MARIAM ait: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Cujus dicti intelligentia eſt: Spiritus Sanctus operabitur in te incarnationem Verbi incarnandi, ſeparando à carne tua portiunculam, quæ animabitur, & divinæ eſſentiæ in unitate perſonæ copulabitur. Quid eſt (t) Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi? Qui poteſt capere capiat. Quis enim (excepta fortaſſis illa, quæ hoc ſola in ſe fæliciſſimè meruit experiri) intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis Virgineis ſeſe viſceribus infuderit? & ut illa inacceſſibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula ejuſdem corporis cui ſe animæ contemperavit, reliquæ maſſæ umbraculum fecerit? Et fortaſsè propter hoc maximè dictum eſt, obumbrabit tibi: quia res nimirùm in Sacramento erat, & quòd ſola per ſe Trinitas in ſola & cum ſola Virgine voluit operari. Soli datũ eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri. Modum autem illum tàm incomprehenſibilem (u) mihi videtur nè ipſi quidem Gabrieli qui nunciabat, fuiſſe præcognitum, quod & ipſe fatetur, ſi ejus verba diligenter advertimus. Reſpondet quippè: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. Nonne apertè mittit ad magiſterium Spiritus Sancti, cujus unctione doceatur de omnibus Virgo; quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam? & diſcat experiendo, quod audiendo non poterat? Deinde

r *Ibidem.* s *Tract. de trib. præcip. myſt. cap. 7. num. 20.* t *Serm. 4. ſuper miſſus num. 4.*
u *Tract. ad Hugonem cap. 5. num. 21.*

de (x) subjungit Angelus: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: expressiùs profectò significans modum secretissimum arcani incomprehensibilis, & ineffabilis Sacramenti, quo quasi in umbra cum sola & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura Divinum. Dicatur ergo (y) Spiritus Sanctus superveniet in te: qui utique suâ potentiâ fœcundabit te. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: hoc est illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus & Dei Sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenùs sibi tantùm notus habeatur & tibi. Fluvius, ait scriptura; egrediebatur (z) de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita. Fluvius iste est Dominus meus JESUS, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, & ex utero Virginis. Vnde Propheta: Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exiliens in terram sitientem: sed ineffabilibus differentiis longè aliter à Patre quàm à Matre egreditur: quia etsi hæc temporalis nativitas gloriosa est, multò gloriosior est æterna. De utraque per Prophetam Isaiam dici puto: Generationem ejus quis enarrabit? Quia & Patris illa ineffabilis & inaccessibilis est, ac nulli pervia creaturæ. Hoc sensu credo Apostolum dixisse de Deo, qui solus habitat lucem inaccessibilem: cùm etiam puriores naturæ tanto reverberentur intuitu, ut nec possint irrumpere in tantæ claritatis abyssum. Ipse etiam Filius protestatur: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Nec tamen sicut est, sed sicut capere potest cui tanta dignatio revelatur. Vnde & illa sublimis anima (scilicet Sancti Pauli) quæ usque ad tertium cœlum in divitias gloriæ Dei rapta fuerat, dicit: Ego me non arbitror comprehendisse. Verissima ergo deffinitio est (A) quia illam Gignentis & Geniti generationem nullus omninò penetrat intellectus. Hanc etiam de Matre omni humanæ creaturæ reor inextricabilem, & nescio utrum ab illa excellentiori natura valeat comprehendi? Quis enim comprehendat unitionem carnis & Verbi: qualiter Deus & ho-

x *Ibidem.* y *Serm.4.super missus num.4.* z *Serm.2.de Nat.Dom.n.3.tom.6.pag.615.*
A *Ibidem num.4.*

homo in unam personam conveniat, salvis imperturbatisquè proprietatibus naturarum? Ad hoc investigandum mysterium *(b)* minùs se idoneum confitetur ille magnus Joannes, cùm se indignum perhibet solvere corrigiam calceamenti. Non sum, inquit, *(c)* dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Venerat enim ad nos calceata majestas, Divinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso utiquè & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant signacula libri.

2. Hîc volo *(d)* ut intendat attentio vestra, quia paulò subtiliùs ad audiendum materiæ præcipit magnitudo. Venit Verbum ad carnem *(e)* Deus ad hominem: Et Verbum factum est caro: & Deus factus est homo. *Verbum*, quod erat *(f)* in principio apud Deum, & Deus erat: *Anima*, quæ de nihilo creata est, & antea non erat: *Caro* de massa corruptionis sine corruptione aliqua, divino segregata artificio (qualis nulla iam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his tribus genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulominùs ab Angelis minoratum. Hæc sunt Evangelica illa tria sata farinæ, quæ pariter fermentatur, ut sit panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Advertere est *(g)* in hoc admirabili Sacramento iuxtà numerum satorum, miræ & decentissimæ distinctionis gradus, novum, antiquum, æternum. Novum, animam quæ de nihilo tunc creata creditur, cùm infusa. Antiquum, carnem quæ à primo usque homine (id est Adam) traducta cognoscitur: Æternum, Verbum quod ab æterno Patre coæternum illi genitum indubitate veritate asseritur. Et in his triplex (si diligenter advertas) Divinæ potentiæ genus habes; quòd factum sit de nihilo aliquid, de vetusto novum, æternum beatumquè de damnato & mortuo. Quid hoc ad nostram salutem? Multùm per omnem modum. Primum quidem, quòd peccato redacti ad nihilum, per hoc quodammodò iteratò creati sumus, ut simus

ini-

---

b *Tract. ad Hug. cap. 5. num. 12.* c *Serm. 1. in die Pasch. num. 9.* d *Serm. de Nat. Ioan. Bapt. num. 7. tom. 6. pag. 746.* e *Serm. 9. in ult. Cana num. 65.* f *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 4.* g *Lib. 5. de consid. cap. 10. num. 23.*

initium aliquod creaturæ eius. Deinde quòd ex vetusta servitute in libertatem filiorum Dei traslati, in novitate spiritus ambulamus. Postremò quòd de potestate tenebrarũ vocati sumus ad regnum claritatis æternæ, in quo iam & confidere nos fecit in Christo. Vnde (*h*) & illa tria sata de Evangelio mixta & fermentata in panem unum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videtur. Felix mulier, (*i*) benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superveniente igne Spiritus Sancti coactus est panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix inquam mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit: & ut ait Elisabeth, Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Quam benè ea mulier fermentavit, (*k*) ut nec divisione quidem facta carnis & animæ, à carne vel anima Verbum divideretur? Mansit & in separatione inseparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit unitati præscribere, permanenti in totis tribus. Sive coniunctis sive disiunctis duobus, nihilominus perseveravit in tribus unitas personalis. Æquè unus Christus, unaquè persona, Verbum, Anima, & Caro, etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis (ut sentio ego) commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa mulier, quæ miscuit & fermentavit. Nam fermentum non immeritò fortassè dixerim fidem Mariæ. Planè beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Perfecta autem non essent, si quominùs juxtà verbum Domini esset fermentatum totum, & perpetuò fermentatum: servans nobis tam in morte quàm in vita unum atque integrum mediatorem Dei & hominum cum sui Deitate hominem Jesum Christum. Quid (*l*) Divinitate potentius? Inde est, quòd nec morte incidente ullatenùs intercidi hæc unitas potuit, etsi carne & anima ab invicem separatis. Et fortassis hoc sensit ille, qui se indignum professus est solvere corrigiã calceamenti hujus. Porrò attende (*m*) quia sicut in illa singulari Divinitate Trinitas est in per-

h *Ibidem num.22.* i *Serm.2.in Adv. Dom.num.2.* k *Lib.5.de consid.cap.10. nu.22.* l *Ibidem num.21.* m *Serm.3.in Vig.Nat.Dom.num.8.*

personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantiis, in personis unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem: ita & hîc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Dicimus Patrem, (n) dicimus Filium, dicimus Spiritum Sanctum non tamen tres Deos, sed unum. Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Substantia una est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsùm à substantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè unum sunt. Aut si tu facilè explicatu id putas dicendo tres, dicito quid numerasti? Naturas? Vna est. Essentias? Vna est. Substantias? Vna est. Deitates? Vna est. Non hæc sed personas numero, inquis. Quæ non sint, illa una natura, illa una essentia, illa una substantia, illa una Divinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis. Personarum proprietates, (o) non aliud quàm personas, ipsasquè non aliud quàm unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam & summam majestatem fides Catholica confitetur. Quamobrem (p) cùm dico unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, non partitur. Rursùm cùm dico tria, non me arguit intuitus unitatis, quæ illa quæcunque tria sive illos tres nec in confusionem cogit naturæ, nec in singularitatem redigit. Idem me sentire fateor (q) & de illa unitate, cui secundum ab ista inter cœtera una honorem dedi. Dico in Christo Verbum, Animam, & Carnem, sine confusione essentiarum unam esse personam, & item absque præjudicio personalis unitatis in sua numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, quâ Anima & Caro unus est homo. Decuit quippè familiarius similiusquè cum hominis convenire con-

n *Lib.5. de consid. cap.7. num.17.* o *Ibidem cap.8. num.18.* p *Ibidem nu.19.*
q *Ibidem cap.9. num.20.*

constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentum. Decuit & cum summa, quæ in Deo est & Deus est, unitate congruere: ut quomodo ibi tres personæ una essentia, ità hîc convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint una persona. Videsne pulchrè inter utramque unitatem hanc collocari: in eo utique qui constitutus est mediator Dei hominisquè Homo Christus JESUS. Pulcherrima inquam, convenientia, ut salutare Sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, & salvanti videlicet & saluato. Ita hæc unitas duarum consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur; quantùm superiore inferior, tantùm inferiore superior. Summa illa Trinitas (r) hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia & super omnia opera sua. Verbum enim & anima & Caro in unam convenêre personam: & hæc tria unum: & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed unitate personæ.

3. Nec mireris (s) quòd fide Virginis MARIÆ mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem & carnem ipsam de ejus carne suscepit. Cum MARIA utique (t) tanta Deo consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua Virginisquè substantia unum Christum efficeret, vel potiùs unus Christus fieret. Quid enim (u) Virga Aron florida nec humectata portendebat, nisi MARIAM concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus mysterium Esaias edisserit, dicens: Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: virgam, Virginem: florem, Virginis partum intelligens. Deinde (x) illud sanè diligenter attende, quòd florem hunc de radice, non de virga dixerit ascensurum. Quia etenim si nova Christi caro in Virgine creata esset ex nihilo (quod æstimaverunt nonnulli) non radice flos, sed fortè de virga dici poterat ascendisse. Nunc autem quia prodiit ex radice, sine dubio ab origine communem probatur habuisse materiam nouus homo & verus homo,

---

r *Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 8.* s *Serm. 2. in Vig. Nativ. Dom. num. 4.* t *Serm. 3. sup. missus num. 4.* u *Serm. 2. super missus num. 2.* x *Serm. 2. in Annunt. B. M. num. 5.*

mo, qui veram carnis nostræ suscepit originem, sed fermentum vetus concupiscentiæ non suscepit. Quid denique (*y*) illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento Virginitatis? Carnem videlicet (*z*) quæ à primo usque homine, idest Adam, traducta dignoscitur. Alieni sint à nobis Novatiani, qui Christi à nobis carnem alienare conantur, novam creatam in Virgine, & non de Virgine sumptam, impiè asserentes. Pulchrè propheticus spiritus longè antè occurrit huic sententiæ, immò blasphemiæ impiorum: Egredietur, inquiens, virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Dixisse poterat, & flos de virga, sed maluit, de radice: ut unde virgam, inde florem duxisse originem demonstraret. Inde igitur sumpta caro, unde orta Virgo: nec nova in Virgine, quæ prodiit ex radice. Ecce (*A*) venit hic saliens in montibus, transiliens colles. Montes & Colles, Patriarchas & Prophetas accipe: & quemadmodùm venerit saliens & transiliens, in libro generationis lege: Abraham genuit Isaac: Isaac genuit Jacob &c. Ex his montibus prodiit radix Jesse, unde (juxtà Prophetem Isajam) egressa est virga: & exinde flos ascendit, super quem requievit Spiritus septiformis. Quod manifestiùs alio in loco aperiens idem Propheta, Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus. Quem enim priùs florem, ipsum deinde Emmanuelem: & quam dixerat virgam, manifestiùs exprimens, Virginem nominavit. Ad commendationem verò gratiæ suæ (*b*) & ad destructionem humanæ sapientiæ, Deus de fœmina sed Virgine, descendente de spinosa patrum origine, dignatus est carnem assumere: ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissimè deleret. Humilitas per sexum fœmineum commendatur, gloria Virginis & majestas opitulatur, peccatum gratiâ

y *Serm.2.sup.missus num.7.* z *Lib.5.de consid.cap.10.num.23.* A *Serm.1.de Adv.Dom.n.11.* b *Serm.de B.M.Deip.num.10.to.6.pag.765.*

tiâ eiicitur. Porrò (c) ipſa eſt quondam à Deo promiſſa Mulier ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus planè calcaneo in multis verſutiis inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa: ſola enim contrivit univerſam hæreticam pravitatem. Alius non de ſubſtantia Carnis ſuæ Chriſtum edidiſſe dogmatizabat: Alius paruulum non peperiſſe, ſed reperiſſe ſibilabat: Alius (vel poſt partum) viro cognitam blaſphemabat: Alius Dei Matrem audire non ſuſtinens, magnum illud nomen Theodocos, impiiſſimè ſuggillabat. Sed contriti ſunt inſidiatores, conculcati ſupplantatores, confutati derogatores: & beatam eam dicunt omnes genſrationes. Denique & continuò per Herodem draco inſidiatus eſt parienti, ut naſcentem excipiens Filium devoraret, quòd inimicitiæ eſſent inter ſemen mulieris, & draconis. Sed jam unicus ille ſtultus & totius ſtultitiæ princeps (qui verè mutatus ut luna ſapientiam perdidit in decore ſuo) ſub MARIÆ pedibus conculcatus & contritus miſeram patitur ſeruitutem. Ego ſum Vitis vera. (d) Plantari ſolet vitis in terra non ſeminari, translata de vite ſua: quod ad Conceptionem JESU mei pertinere videtur. Vitis enim primò nata eſt de vite: Et Deus genitus de Deo, Filius de Patre, Coæternus & conſubſtantialis ei, de quo genitus eſt. Sed ut majorem faceret fructum, plantatus eſt in terra, ideſt in Virgine MARIA conceptus, factus quod non erat, manens quod erat. Benedicta terra hæc, omnium Gentium proferens benedictionem. Verè benedicta, quæ Deo dante benignitatem, tàm benedictum protulit fructum. Hæc eſt terra, de qua ſcriptum eſt: Terram non operabatur quiſquam: ſed irrigabatur à fonte aſcendente de paradiſo. Terra quippe hæc non accepit operationem humanam, ut conciperetur in ea Filius Dei, ſed aquâ Spiritus Sancti irrigata fuit. Ita enim legis: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Rurſùm de hac terra ſcriptum eſt: Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Aperta quippè fuit per fidem, credens & obediens Angelo: germinavitquè Vitem ſalutarem, Salvatorem noſtrum æternæ vitæ præmia largientem. Erit, inquit Iſajas, (e) in die illa germen

Oo Do-

c *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 4.* d *Tract. de Vite Myſt. cap. 1. num. 1.*
e *Serm. 2. in die Pentec. num. 1.*

Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſalvati fuerint de Iſrael. Germen Domini, JESUS CHRISTUS ſolus de mundiſſimo conceptus ſemine: quia etſi in ſimilitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati: etſi filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ: qui non fuit naturâ filius iræ, ſicut reliqui omnes qui in iniquitatibus ſunt concepti. Illud ergo germen quod de virga Jeſſe virore virgineo pullulavit, in magnificẽtia fuit cùm reſurrexiſſet à mortuis. Ineffabiliori enim modo (f) Spiritus Sanctus ſupervenit in Virginem, quam tota Divinitatis plenitudo ſine menſuræ diſcretione perfudit, ut totum caperet qui fecit totum, ut non ſolùm repleta Spiritu Sancto, ſed & de Spiritu Sancto concepiſſe credatur: quia quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Inde eſt, quòd ſingulari prærogativa fides Catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu Sancto confitetur, ut Divinitatis & Humanitatis indiviſibilis adunata connexio vocabulorum indifferentiâ deſignetur.

CAPUT VII.

De Incarnatione Verbi Dei, quam fecit tota Sancta Trinitas.

1. Sicut tota Trinitas ſanctificavit ſibi MARIAM, in qua habitaret: ſic quoque tota Trinitas fecit Incarnationem ſecundæ Perſonæ. 2. Quare Filius magis incarnatus eſt quàm Pater, aut Spiritus Sanctus? Item quare propter nos homines potiùs, quàm propter Angelos deſertores incarnatus eſt? 3. Afferuntur aliæ rationes, quòd magis congruebat, ut Filius Dei incarnaretur.

1. SICUT Sancta Trinitas (g) Virginem ſibi ſanctificavit, ac Templum ſanctiſſimum conſecravit, hoſpitiumquè mundiſſimum ſibi præparavit, thalamum quo-

f *Serm. de S. Ioanne Baptiſta num. 3. tom. 6. pag. 743.* g *Serm. de B. M. Deip. num. 9. to. 6. pag. 764.*

quoque, de quo Sponſus præ filiis hominum ſpecioſus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neque enim Pater abeſſe potuit, ubi Spiritum & Filium cooperari voluit. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadem ſimiliter & Filius facit. Neque enim Filius poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur in libro Pſalmorum: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Apoſtolus quoque de tribus perſonis ita ait: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria. Pater ergo in conſecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus Sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus Sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius Sapientiam, Spiritus Sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus Sanctus charitatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus Sanctus compunctionem, Pater cœleſtium contemplationem. Filius docuit eam divina operari, Spiritus Sanctus amare & amari, Pater cœleſtia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus eam provehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat, Pater eam honorificat. Hæc dicens, opera vel dona Trinitatis non divido, ſed fideliter inſeparabilia aſſero. Sicut enim in eſſentia unitas, ità in operatione identitas. Sic quoque *(h)* Incarnationem ſecundæ in Trinitate perſonæ ſimul fecerunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Implevit quidem & Pater & Spiritus Sanctus carnem Filii, à quo neuter eorum poterat ſeparari: ſed implevit majeſtate, non ſuſceptione. Et fortaſsè *(i)* propter hoc maximè dictum eſt, Obumbrabit tibi: quia res nimirùm in Sacramento erat, & quòd ſola per ſe Trinitas in ſola & cũ ſola Virgine voluit operari. Quod autẽ in Beata Maria *(k)* Sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præſentiam majeſtatis, ubi ſolus Filius erat per ſuſceptionem humanitatis) teſtatur nuncius cœleſtis, qui ei arcana myſteria reſerans ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Nec tantùm *(l)* Dominus Filius te-

Oo 2 cum

h Serm. 57. de diverſ. num. 1. i Serm. 4. ſuper miſſus num. 4. k Serm. 52. de div. num. 2. l Serm. 3. ſuper miſſus num. 4.

cum, quem carne tua induis: ſed & Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipies: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium ſuum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat uterum. Et poſt pauca *(m)* ait: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, qui utique ſua potentia fœcundabit te. Et Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: hoc eſt illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei Virtus & Dei Sapientia Chriſtus ſic in ſuo ſecretiſſimo conſilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus ſibi tantùm notus habebatur, & tibi. Ecce habes Dominum, *(n)* habes Virtutem Altiſſimi, habes Spiritum Sanctum. Habes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Neque enim poteſt eſſe aut Pater ſine Filio, aut ſine Patre Filius, aut ſine utroque procedens ab utroque Spiritus Sanctus, ipſo Filio dicente: Ego in Patre, & Pater in me eſt. Eſt iterum: Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Auctor mirabilium Deus *(o)* tria quædam mirabilia operatus eſt in MARIA. Integritatem munditiæ mirabiliter ſuſcitavit, ut Arca teſtamenti auro puriſſimo tegeretur. Puritatem virgineam potentialiter fœcundavit, ut Rubus ardens non combureretur. Ima ſupernis ineffabiliter copulavit, ut, Scala Jacob mediante, terrena cœleſtibus unirentur. Benè Spiritui Sancto *(p)* in te complacuit ò MARIA, cùm divinis adeò myſteriis uterum tuum conſecrare dignatus eſt. Ipſe eſt enim ignis conſumens, qui Sanctiſſimam Animam tuam totam inflammavit, ſeipſo atque ſplendore Divinæ majeſtatis implevit: tuumquè uterum ineffabili modo fœcundavit: fecitquè ut Deum & hominem clauſa conciperes, clauſa pareres, & poſt partum Virgo permaneres. Fatiſcat ergo mœror, *(q)* triſtitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abſcedat, ut liceat vacare & videre cum Moyſe viſionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, recipiatur perditum, indebitum accipiatur.

To-

---

m *Serm.4.ſuper miſſus num.4.* n *Serm.52.de div.num.2.* o *Lib.ſentent.ſub num.28.tom.6.pag.1000.* p *Serm.3.de Virg.Deip. num.2.* q *Serm.2.in Nat. Dom.num.1.tom.6.pag.614.*

Totum me trahit affectio, sed oratio deficit. Dives cogitatio, vocis paupertate confunditur. Fervent interiora, & in undosam ebulliunt altitudinem, sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. Quis enim (r) comprehendat unitionem Carnis & Verbi? qualiter Deus & homo in unam personam conveniat, salvis imperturbatisquè proprietatibus naturarum? Vnusquisque in suo sensu abundat: ego hanc omnem sensum supergredi credo, veterum virorum vestigiis inhærens, qui super hæc sanas & inconcussas sententias reliquerunt.

2. Verumtamen (s) quid sibi vult, quòd è tribus personis (quas in Summa Trinitate credimus, confitemur, & adoramus) non Pater, non Spiritus Sanctus advenit, sed Filius? Minimè quidem ego id factum arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius fuit? Neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, ut Filius adveniret. Et si consideremus exilii nostri causam, fortassis advertere possumus vel ex parte, quàm congruum fuerit à Filio nos maximè liberari. Lucifer enim ille qui manè oriebatur, pro eo quòd Altissimi similitudinem usurpare tentavit, & rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est) præcipitatus illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixisse videtur: Mihi vindictam, & ego retribuam. Initium omnis peccati (t) superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clariùs micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit. Vnde & protinùs invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem, suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser? cùm Filius Altissimi scientiæ clavem habeat, imò & ipse sit Clavis David, qui claudit, & nemo aperit. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Tune eos ut homini præstes, iniquè furaberis? Videtis quia verè juxta Domini sententiam mendax iste est, & pater ejus. Nam & mendax fuit, dicens:

r *Ibidem num.4.* s *Serm.1.de Adv.Domini num.2.*
t *Ibidem num.3.*

cens: Similis ero Altissimo: & mendacii pater, cùm in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: Eritis sicut Dii. Tu quoque ô homo, si vides furem, curris cum eo. Audistis, fratres, quid lectum est in Isaia, dicente Domino: Principes tui infideles: vel (ut alia translatio habet) inobedientes, socii furum. Revera enim (u) principes nostri Adam & Eva principia nostræ propaginis, inobedientes, & socii furum; qui quod Filii Dei est, serpentis imò diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat iniuriam Filii Pater, (Pater enim diligit Filium) sed continuò & in ipsum hominem vindictam retribuit, & aggravat super nos manum suam: omnes enim in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitùs parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet, habuit: sed cõtinuo Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cũ omnibus suis plaga incurabili, castigatione creduli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo, & nè illi quidem misertus est, nec pepercit oculus ejus. Nunquid de bobus cura est Deo? Duas tantùm fecerat nobiles craturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodò propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est (ait Jonas) tollite me, & mittite in mare. Omnes invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Novit tamen in affectum malitiæ & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse, ideoque perire necesse est pænitere nolentes. Patris enim amor, & honor Regis judicium diligit. Propter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam. Nempè novit superbiam Moab, quòd superbus est valdè:

u *Ibidem num. 4. & 5.*

dè: & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. Sanè (x) nec diabolus caret libero arbitrio: quoniam quòd is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. At verò (y) hominis vice nullam postea condidit creaturam Deus, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem, quippè quem supplantavit aliena malitia: ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi ut ervas me, quoniam ego infirmus sum: quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum. Non penitùs quidem innocens, sed quantùm ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenùs. Mendacium mihi persuasum est, Domine: veniat veritas ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam veritatem, & veritas liberabit me: si tamen deprehensæ falsitati penitùs renunciavero, & cognitæ adhæsero veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstinatio diabolica. Nam perseverare in malo diabolicum est: & digni sunt perire cum illo, quicunque in similitudinem ejus permanent in peccato. Et licet (z) eandem Incarnationem simul fecerint Pater & Filius & Spiritus Sanctus: non tamen Pater aut Spiritus Sanctus incarnatus est, sed solus Filius. Pater licet (A) Filio & Spiritui Sancto semper cooperetur, nunquam tamen aut de Cœlo descendisse, aut ad terras legitur missus fuisse. Lego certè quòd misericordia Domini plena est terra: Et, pleni sunt Cœli & terra gloria tua: & multa hujusmodi. Lego & de Filio: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Et ipse Filius loquitur de se: Spiritus Domini misit me. Et per Isaiam Prophetam, Et nunc, inquit, Dominus misit me, & Spiritus ejus. Lego & de Spiritu Sancto: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Et cùm assumptus fuero, mittam vobis eum, haud dubium quin Spiritum Sanctum. Patrem autem in sua persona licèt nusquam non sit, nusquam tamen invenio nisi in Cœlis, ut in Evangelio: Et Pater meus qui in Cœlis est. Et in oratione: Pater noster qui

in

x *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 10. num. 35.* y *Serm. 1. de Adv. Dom. num. 5. & 6.*
z *Serm. 57. de div. num. 1.* A *Tract. de grad. humil. cap. 8. num. 22. & 23.*

in Cœlis eſt. Vnde nimirùm colligo, quòd quia Pater non deſcendit, Apoſtolus ut eum videret, ad tertium Cœlum aſcendere quidem non potuit, quò tamen ſe raptum memoravit. Denique nemo aſcendit in Cœlũ, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis. Et nè putes de primo dictũ vel ſecundo cęlo, dicit tibi David: A ſummo cœlo egreſſio ejus. Ad quod iterùm non ſubitò raptus, non furtim ſublatus, ſed videntibus, inquit, illis, ideſt Apoſtolis, elevatus eſt.

3. Quæro denique, *(b)* qua ratione Filius magis Incarnatus ſit quàm Pater, aut Spiritus Sanctus, cùm totius Trinitatis non modò æqualis ſit gloria, ſed una eademquè ſubſtantia. Sed quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Altiſſimum eſt myſterium, nec nos oportet temerè ſuper hujuſcemodi præcipitare ſententiam. I. Videtur tamen nec Patris nec Spiritus Incarnationem in pluralitate filiorum effugiſſe confuſionem, dum alius Deus, alius hominis diceretur. II. Videtur & illud maximè congruum, ut hic ſpecialiter filius fieret, qui Filius erat: nè quid eſſet ambiguitatis in nomine. III. Denique ipſa eſt Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum eundemquè cum Deo Patre meruit habere communem, quam ſanè periiſſe conſtaret ſi non Filius incarnaretur. Qui *(c)* etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis eſſet: nec duo Filii, ſed unus utriuſque Filius. IV. Sed nec nobis *(d)* alia dari poſſet occaſio ſimilis ſperandæ ſalutis & hæreditatis, factus Primogenitus in multis fratribus, qui Vnigenitus erat, adſciſcet eos ſine dubio in hæreditatem, quos vocavit in adoptionem. Si enim fratres, & cohæredes. Hic ergo Christus Jesus mediator fidelis, ſicut in perſona una Dei hominiſquè ſubſtantiam copulavit: ſic & in ipſa reconciliatione conſilio uſus altiſſimo, mediam non deſervit æquitatem: utriſque tribuens quæ oportebat, honorem Deo, homini miſerationem. Hæc enim optima inter offenſum Dominum & reum ſervum forma compoſitionis, ut nec honorandi Domini zelo ſervus opprimatur auſteriori ſententia: nec rursùm dum huic immoderatiùs

b *Serm. 2. in Annunt. B. M. num. 2.* c *Serm. 3. ſuper miſſus num. 4.*
d *Serm. 2. in Annunt. B. M. num. 2.*

tiùs condeſcenditur, ille debito fraudetur honore. Fidelis ſermo (*e*) & omni acceptione dignus, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Quare autem per hominem (*f*) qui erat Deus,& non per ſimplicem hominem? Satis manifeſtum eſt: quia omnes homines peccato erant obnoxii,& non poterat quiſquã aliorum ſolvere vincula, qui ſeipſum ſolvere non valebat. Chriſtus enim fortis, qui originali peccato nihil debebat, eò quòd ſingulari privilegio naſcendi ſine omni carnali concupiſcentia conceptus erat, qui ſolus eſt inter mortuos liber, ſolus à morte poterat mortuos liberare, ſicut ait Apoſtolus: Non habebat neceſſe pro ſe offerre ſacrificium, quemadmodùm alii Sacerdotes tàm pro ſua, quàm pro populi ignorantia. Si demùm quæritur (*g*) quare Deus potiùs per ſe, quàm per aliquam aliam creaturam hominem voluerit liberare? Poſſumus hoc quidẽ charitati ejus imputare, quàm ut nobis commendaret, non ſolùm incarnatus, ſed & mortuus eſt pro nobis, Tradidit nihilominus per hoc formam charitatis, ut parati ſimus cùm neceſſitas exegerit, pro fratribus noſtris animas noſtras ponere,cùm Regem noſtrum pro nobis animam poſuiſſe videmus. Eſt & adhuc alia rationabilis cauſa quare per Dominum redempti ſumus, ſcilicet quia nequaquàm decuit nos per alium reformari, quàm per eum, per quem formati eramus. Plùs enim excitat nos ad charitatem reformatio, quàm formatio. Si ergo per alium, quàm per ipſum per quem ſumus formati, reformati eſſemus, plùs reformatori noſtro quàm formatori deberemus: & ſic plùs diligeremus creaturam,quàm creatorem,quod eſſet inconveniens.Vt ergo incitaret nos ad diligendum ipſum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus noſtris, impendit nobis quidquid debuit creando & recreando nos optimus Deus, cujus beneficiis non communicat alienus. Sed dicit aliquis: (*h*) Non valuit opus ſuum reparare Creator abſque iſta difficultate? Valuit, ſed maluit cum iniuria ſui, nè peſſimum atque odioſiſſimum vitium ingratitudinis occaſionem ultrà reperiret in homine. Sanè multùm fatigationis aſſumpſit, quo multæ dilecti-

e *Tract. de error. Abailar. cap. 8. num. 20.* f *Tract. de vit. myſt. cap. 46. num. 182.*
g *Ibidem num. 183.* h *Serm. 11. in Cant. num. 7.*

lectionis hominem debitorem teneret: commoneretquè gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minùs esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo auctoris gravamine vel labore. Siquidem dixit & factus sum: quemadmodùm & universa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat, idquè ad excusationes in peccatis. Sed (i) obstructum est os loquentium iniqua. Luce clariùs patet quantùm modò pro te ô homo, dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis filius fieri non despexit. Memento jam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitates, hostis tentationes! nonne sibi crucis aggravavit ignominiâ, mortis cumulavit horrore? Necessariè quidem. Sic sic homines & jumenta salvasti Domine, quemadmodùm multiplicasti misericordiam tuam Deus? Hæc meditamini, in his versamini. Talibus odoramentis refovete viscera vestra, quæ diu torsit odor molestior peccatorum, ut abundetis & his unguentis non minùs suavibus quàm salutaribus. Delectatur quippè floribus Christus (k) qui in Nazareth & concipi voluit & nutriri. Gaudet Sponsus cœlestis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequenter libenterquè ingreditur, quòd istiusmodi refectum fructibus floribusquè respersum invenerit.

CAPUT VIII.

De triplici unione mirabili, quam fecit Deus in assumptione humanæ Carnis.

1. Con-

i Ibidem num. 8. k Tract. de dilig. Deo cap. 3. num. 8.

1. Conjuncta sunt Deus & Homo: 2. Virgo & Mater: 3. Fides & Cor humanum.

1. MAgna (l) opera Domini, ait Propheta David. Magna quidem omnia opera ejus, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem Propheta, dicens: Magnificavit Dominus facere nobiscum. Denique quàm magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamāt, ut ædificemus fidem nostrā, (m) & mirabilia quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulùm contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit Omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis: ita singulariter mirabilia & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint ampliùs super terram. Conjuncta quippè sunt adinvicem Deus & Homo, Virgo & Mater, Fides & Cor humanum. Adirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamquè divisa abinvicem, invicem potuerunt conjungi. Et primò quidem (n) intuere creationem, positionem, & dispositionem rerum, quanta sit videlicet in creatione potentia, quāta in positione sapientia, in compositione quāta benignitas. In creatione vide quàm multa & quàm magna potenter creata sunt: in positione quàm sapienter cuncta locata sunt: in bonitate quàm benignè suprema & infima connexa sunt, tàm amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quòd non solùm vitam habeant, sed & sentiant, quinque partita sensificatione vigentes. Addidit ad huc honore limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solùm vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & in commodū, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet semetipsum, limo nostro conjungeret, & in persona una sibi invicem uni-

l Serm. 3 in Nat. Dom. num. 1. m Serm. 3 in Vig. Nat. Dom. nu. 7. n Ibidem nu. 8.

unirentur Deus & limus, maieſtas & infirmitas, tanta vilitas & ſublimitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nihil vilius limo; & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaquè dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tàm ineffabili quàm incomprehenſibili Sacramento. Sicut enim *(o)* mediator noſter Chriſtus duas naturas, humanitatem videlicet & divinitatem coniunxit in una perſona: ita ſingula eius opera ad hanc ſivè illam neceſſe eſt pertinere naturam. Ad illam ſiquidem miſeria, ſed ad hanc pertinet potentia. Quidquid enim miſeriæ paſſus eſt, ex homine contraxit: quidquid potenter operatus eſt, à Patre habuit. Conſiderate denique *(p)* quid ſit Deus, & videte quid ſit, quòd depoſuerit tantam maieſtatem: quòd exinaniverit tantam poteſtatem: quòd infirmaverit tantam virtutem: quòd tantam altitudinem humiliaverit: quòd tantam ſapientiam infatuaverit. Nunquid hominis iuſtitia? Abſit. Omnes enim declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum. Quid ergo? Num aliqua eius egeſtas? Minimè. Eius enim eſt orbis terræ, & plenitudo eius. An fortè noſtri in aliquo eguit? Nequaquam. Deus quippè meus eſt: bonorum meorum non eget. Quid ergo? Verè Domine non mea iuſtitia, ſed tua miſericordia: non tua egeſtas, ſed mea neceſſitas. Dixiſti enim Miſericordia ædificabitur in Cœlis. Ità planè, quia miſeria abundabat in terris. Ideò in primo Adventu tuo miſericordiam cantabo tibi Domine. Miſericordiæ namque fuit, quòd infirmitates noſtras factus homo in ſe ſuſcepit: Miſericordiæ, quòd fidem divinitatis ſuæ miraculis confirmavit: miſericordiæ nihilominus, quòd dæmonum nobis calliditates detexit, & evacuavit virtutem: miſericordiæ, quòd meretricis attactum non reſpuit, ſed approbavit devotionem. Itaque quòd ſe exhibuit in humanitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppreſſione fortem, in peccatorum ſuſceptione mitem: totum hoc ex miſericordiæ fonte proceſſit, totum ex pietatis viſceribus emanavit. Et ideò in hoc primo Adventu tuo, miſericordiam cantabo tibi Domine. Et meritò, quia miſericordia

---

o Ser. ſuper verbis Sap. 7. n. 7. tom. 6. pag. 771. p *Ser. de Adv. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 600.*

dia tua plena eſt terra. Et hæc eſt prima (q) & ſuper excellens mixtura, & hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, & non ſis ſuperbus: quia Deo conjunctus es, & non ſis ingratus.

2. Secunda mixtura (r) eſt, Virgo & Mater, admirabilis planè & ſingularis. A ſæculo enim nõ eſt auditum, quòd Virgo eſſet, quæ peperit: quòd Mater eſſet, quæ Virgo permanſit. Nunquam juxta rerum ordinem Virginitas, ubi fœcunditas prædicatur: nec fœcunditas, ubi Virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt, in qua Virginitas & fœcunditas obviaverunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Rubus (s) qui viſus eſt ardere ſine ſui incendio, Virginem ſignificavit concepturam de Spiritu Sancto abſque virginitatis ſuæ detrimento. Rubus ad quem non eſt Moyſes auſus calceatus accedere, Virginem docuit ſine maritali opere mirabiliter parere. Miraculum (t) fuit, quòd Virgo peperit. A ſæculo enim (u) non eſt auditum, ut aliqua ſimul Mater eſſet & Virgo. Hanc (x) in Ezechielis viſione Orientalis Porta quæ nulli unquam patuit, præſignabat. Chriſto namque (y) naſcituro clauſus patuit uterus Virginis. O verè (z) Nativitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inviolata permanſit: fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium Matris habens cum Virginitatis honore. Beatiſſima enim Mater (A) fructum protulit benedictum, non amiſſo virginitatis flore, imò magis per partum mirabilem & mundiſſimum eſt decorata; ubi lex, ubi jura naturæ abſciſſa ſunt. Hæc MARIA (b) à natura reverenter conſervata, & à lege diligenter venerata, à gratia clementer eſt præelecta: quia ſic præfatis ſua jura ſingillatim reddidit, reddendo ſibi ſubdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet, & inſuper momenti quiddam ſuperadderet. *Natura* ſiquidem illi ſummæ virginitatis florem: *Lex* ſoli virgineæ fœcunditatis honorem: *Gratia* divinæ Maternitatis præ cæteris decorem, ac ſpiritualis matrimonii diviniſſimum refer-

q *Serm.3.in Vig.Nat.Dom.num.8.* r *Ibidem num.9.* s *Serm.de B.M.Deip.num.5. tom.6.pag.762.* t *Ibidem num.1.* u *Serm.1.ſuper miſſus num.7.* x *Serm.1.de Virg. Deip. num.8.* y *Serm.1. de S.Andr. num. 6.* z *Serm.4. in Vig. Nat.Dom. num.4.* A *Tract.de vii.myſt.cap.46.n.178.* b *Ser.de B.M.Deip. n.2.*

ſervavit odorem. *Natura* (quod ſuum eſt) illibatam Virginem ſervando: *Lex* reverenter eam ab aliis diſtinguendo: *Gratia* virginitatem ſine ſemine fœcundando. *Natura* rebus loquendo non verbis, dum in ea integritatem ſervaret: & de ea Deus naturæ intonaret, dicens ad ſerpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius. *Lex*, dum eam ab aliis diſtinguendo, clamaret: Mulier quæ ſuſcepto ſemine pepererit, immunda erit ſeptem diebus. Et quis non advertat *(c)* in ipſo ſententiæ hujus initio liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyſes mulierem quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper Matre Domini blaſphemiæ crimen incurrere? & idcircò præmiſerit, ſuſcepto ſemine. Alioquin niſi pariturã prævidiſſet ſine ſemine Virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet itaque quod lex iſta Matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine Filium peperit, ſicut prædictum erat per Hieremiam: Quia novum facere Dominus ſuper terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit, circumdabit virum. Non ab altero viro virum ſuſcipiet, non humana lege concipiet hominem, ſed intra viſcera intacta & integra virum claudet: itá ſanè ut intrante & exeunte Domino juxtà alium Prophetam, Porta Orientalis clauſa jugiter perſeveret. *Gratia*, *(d)* in eo quod dictum eſt: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Natura* huic detulit, dum terra ſine germine pareret in principio. *Lex*, dum Rubus arderet ſine incendio. *Gratia* dum ſine ſemine pareret Virgo. Deus ſiquidem *(e)* Matrem ſuam ſingulari in cœleſtibus donaturus gloria, ſingulari in terris prævenire curavit & gratia, quâ videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Hortus concluſus *(f)* tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Hortus deliciarum nobis eſt ſacratiſſimus tuus uterus ô MARIA: quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde profluxit. Tria nobis *(g)* contulit

c *Serm.3 in Purif. B.M. n.1.* d *Serm. de B.M. Deip. n.2.* e *Serm.2. ſuper miſſus n.1.* f *Serm.3. de Virg. Deip. n.4.* g *Lib. ſentent. n.28. tom.6. pag.*1000.

sit Mariæ fœcunditas. Avertit jugum captivitatis antiquæ: remisit iram indignationis Divinæ: delevit notam iniquitatis humanæ.

3. Tertia mixtura (h) est, Fides & Cor humanum: & hæc quidem primâ & secundâ inferior, sed non minùs forsitan fortis. Mirum enim est quomodò Cor humanum his duobus Fidem accommodavit: quomodò credi potuit, quòd Deus Homo esset: quòd Virgo manserit, quæ peperisset. Sicut ferrum & testa jungi non possunt: sic & hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus Sanctus. Ergone credendum est, quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum iniurias patitur? qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur, excelsus & immensus? Illane Virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est in convivio, in thalamo? qui ducit illam in Ægiptum, reducit ab Ægipto, & solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodò potuit hoc persuaderi generi humano, universo Orbi terrarum? Et tamen tam facilè tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista Fide deficere. Et hæc quidem mixtura excellens (i) sed excellentior secunda, tertia verò excellentissima est. *Primam* auris audivit, sed oculus non vidit: quia auditum est & creditum usque in fines terræ magnum illud pietatis Sacramentum: sed tamen oculus (Deus) non vidit absque te, quomodò te intra virginei ventris angustias humano corpori conjunxisti. *Secundam* oculus vidit, quia se fœcundam & Virginem illa singularis Regina conspexit, quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo: cognovit & Joseph non minùs testis, quàm custos tantæ virginitatis. *Tertia* in Cor hominis ascendit, cùm quod factum est, sicut factum est creditum est: cùm magis oraculo quàm oculo credidimus: cùm quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissimè, nullatenùs dubitantes. In *prima* vide quid, in *secunda* per quid, in *tertia* propter

h Serm. 3. in Vig. Nat. Domini num. 9. i Ibidem num. 10.

pter quid Deus dederit tibi? Dedit tibi CHRISTUM per MARIAM propter ſanitatem. In prima remedium eſt, quia ex Deo & Homine cataplaſma confectum eſt, quod ſanaret omnes infirmitates tuas. Contuſæ ſunt autem & commixtæ hæ duæ ſpecies in utero Virginis tanquam in mortariolo, Sancto Spiritu tanquam piſtillo illas ſuaviter commiſcente. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum eſt MARIÆ, ut per illam acciperes, quidquid haberes: quæ per hoc quòd Mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc quòd Virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani. Si ſola Mater eſſet, ſufficeret ei ut ſalvaretur per filiorum generationem: ſi ſola Virgo eſſet, ſufficeret ſibi, nec benedictus fructus ventris ejus, mundi precium eſſet. Cùm ergo in *prima* ſit remedium, in *ſecunda* adjutorium eſt: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per MARIÆ manus non tranſiret. In *tertia* autem meritum eſt, quia cùm hæc firmiter credimus, jam meritum habemus: & in fide ſanitas eſt, quia qui crediderit ſalvus erit. Ait enim Apoſtolus *(k)* Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in ipſum, non confundetur. Tria proponuntur hìc, & corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, & in illum credere: in quem qui crediderit, nõ confundetur. Solum Cor hominis capax eſt rationis, & ſuſceptibile myſteriorum Dei, quod purgatum atque politum ipſam divinitatis ſubſtantiam conſiderat, etſi nõ comprehendit, apprehendit tamen: cor eſt in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mẽte, Chriſtus in fide. Et hoc eſt puto, quod dicit Apoſtolus, habitare CHRISTUM per fidem in cordibus noſtris. Hoc igitur in meraciſſimam eliquatum eſt puritatem, cùm omnia myſteria Chriſtianæ Fidei, fide percipis inconcuſſa, nihilquè eſt quod tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc eſt conſummata iuſtitia, perfecta veritas, & vera perfectio. Si tamen oris confeſſio ſubſequatur. Fides enim cordis ſine oris fide, aut nulla eſt aut parva, Salvatore dicente: Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet. Et Propheta ait: Periit fides, & ablata eſt de ore eorum. Non dixit de corde, ſed de ore: quia

k *Serm. de S. Andr. tom. 3. tom. 6. par. 784.*

quia nihil valet fides cordis ſine fide oris, nec fides oris ſine fide cordis, cùm iſta iuſtitiam, illa donet ſalutem: quia ſalus à iuſtitia, vel iuſtitia à ſalute ſperari non poſſunt. Crede ergo & confitere, nihilominus confitere & crede: quia fides ad iuſtitiam, confeſſio fit ad ſalutem. Sequitur: *(l)* Qui credit in illum non confundetur. Credere Deo, eſt verbis eius fidem adhibere. Credere Deum, eſt confiteri ubique eſſe. Credere in Deum, eſt omnem ſpem ſuam in illum dirigere. Deum & Deo credunt dæmones, ſed in illum non credunt, quia ſpem ſuam non ponunt in illum: in quem qui credit non confundetur. Et hanc fiduciam *(m)* operatur charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Puritas cordis in duobus conſiſtit, in quærenda gloria Dei, & utilitate proximi: ut in omnibus videlicet actis ſuis vel dictis nihil ſuum quærat homo, ſed tantum aut Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut utrumque. Porrò duo ſunt præcipuè quæ bonam reddunt conſcientiam, pænitere de malis, & abſtinere à malis: hoc eſt, & commiſſa flere, & flenda non committere. Horum neutrum ſolum ſufficit. Fictam denique ego arbitror illam vocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex charitate vitâ moveri inchoat ad benè operandum, ſed non perſeverans deficit, & moritur tanquam abortiva. Eo utique ſenſu fictam dixerim nominatam, quo vaſa figuli vocamus fictilia, non quia videlicet utilia non ſunt quamdiu durant, ſed quia fragilia cùm ſint, diu minimè durant. De hac fidei fictione puto illos nonotari in Evangelio, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Interroga eos, qui dicunt charitatem à quo ſemel accipitur, nequaquam ultrà recedere. Ait Veritas de quibuſdam: Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vnde, & quò recedunt? Vtique à fide in infidelitatem, Item quæro: Poterantne in illa fide ſalvari, an non poterant? Si non poterant, quæ iniuria Salvatori, quævè tentatori lætitia, quòd hinc recedant, ubi ſalus non ſit? Siquidem nec Salvator zelatur niſi ſalutem, nec malignus invidet niſi ſaluti. Si autem poterant, quòmodò aut ſine charitate ſunt, quamdiu in illa fide ſunt, cùm ſine charitate ſalus eſſe nõ poſſit? aut deſerentes fidem, non etiam de-

l *Ibidem num. 11.* m *Tract. de offic. & mor. Epiſc. cap. 3. n. 10. & cap. 4. n. 13. & ſeqq.*

deserunt charitatem, cùm charitas & infidelitas simul esse non possint? Recedunt ergo quidam à fide, quia Veritas asserit: consequenter & à salute, quia Salvator redarguit: Inde nos colligimus, quòd & à charitate, sine qua salus esse non poterit. Et hi, inquit, radicem non habent. Nec negat eos habere bonum, sed in bono potiùs radicatos non esse causatur. Denique sequitur, & ait: Quia ad tempus credunt. Bonum est, sed utinam duraturum. Non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non autem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt.

CAPUT IX.

De operibus Incarnati Verbi Dei Patris, gestis pro salute nostra in utero Virginis Matris.

1. Verbum Dei Christus in utero Virginis conceptus mundavit conceptionem nostram immundam. 2. Ibi Sponsam Ecclesiam sibi desponsavit in osculo pacis. 3. Ibi facta est per eum reconciliatio inter Cœlum & terram.

1. CUM enim (*n*) fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hîc melius fecit, consecrans in Virgine sibi reclinatorium aureum, ut post tumultus Angelorum & hominum, & reclinaret, & requiem inveniret. Hæc est (*o*) unica illa Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Intuere ô homo (*p*) consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, precium universum contulit in MARIAM. Præcipuè enim (*q*) redemptio est plantata in terra benedicta, in Virgine Virginum MARIA. Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te ô Domina, (*r*) quando ex ipsa illibata

n *Serm. 2. de Nat. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 613.* o *Serm. 3. de Virg.* Deip. *num. 2.* p *Serm. 2. de Virg.* Deip. *num. 6.* q *Tract. de vite myst. cap. 42. num.* 177. r *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 2. & 3.*

libata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, architectura ineffabili domum sibi ædificavit Dei Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Jam ergo uterum tuum Domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur: quia in eo salus mundi initiata est. A planta pedis (*s*) usque ad verticem capitis non erat in nobis sanitas: erravimus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato & in peccato concepti. Christus ergo ibi primùm medicinā apposuit, ubi primus vulneri patebat locus: & substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu Sancto conceptus est: ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus etsi non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius ociosa, dùm novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans (ut dicitur) usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Sed etiam attende ô homo, pium medicum (*t*) attende medicum sapientem. Considera diligentiùs quàm nova medicamina portet, vide quàm non modò preciosas, sed & speciosas attulerit medicinas: non solùm perutiles ad sanitatis fructum, sed & delectabiles ad aspectum, & suaves ad gustum. Denique primam ejus medicinam, primum quod in sinistra portat, attende, & conceptum invenis sine semine. Intuere obsecro, quale sit illud, quàm novum, quàm admirabile, quàm jucundum. Quid enim pulchrius quàm generatio casta? Quid gloriosius quàm sancta & sincera conceptio? in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis. At quoniam minùs fortassis detineret nos grata licet admiratio novitatis, nisi fructus quoque salutis & utilitatis consideratio animum delectaret? Conceptus iste non modò gloriosus in ipsa quasi exteriori specie, sed & preciosus in interiori virtute: ut secundum quod scriptum est, In sinistra Domini gloria simul & divitiæ inveniantur: divitiæ, inquam salutis cum gloria novitatis. Quis enim potest facere

s *Serm. 2. in die Pent. num. 3. & 4.* *t* *Serm. 4. in Vig. Nat. Dom. num. 2.*

cere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus ſine omni illicita & immunda conceptus eſt voluptate? In ipſa radice & origine mea infectus & inquinatus ſum, immunda eſt conceptio mea, ſed eſt à quo tollatur iſta confuſio. Ipſe eam tollit, in quem ſolum ipſa non cadit. Ecce (*u*) Agnus Dei ſine macula, Agnus qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quam is in quem peccatum non cadit? Iſte ſine dubio lavare me poteſt, quē conſtat inquinatum non eſſe. Divitias ergo ſalutis habeo, (*x*) quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Chriſti puriſſimam conceptionem.

2. In utero Virginis (*y*) decorem indutus eſt Dei Filius: ac præelectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ formoſus in ſtola candida exultanter occurrit, deſideratum diu oſculum præelegit, ac prædeſtinatas à ſæculo nuptias Virgo cum Virgine prælibavit. In explicatione Sacramenti hujus magni (*z*) illud loquor, quod Doctor gentium interpretatus eſt in Chriſto & Eccleſia, ſanctum caſtumquè connubium: ipſum eſt opus noſtræ ſalutis: in eo inquam tres ſibi inuicem cooperantur, Deus, Angelus, Homo. Et Deus quidem quidni operetur, & curam gerat nuptiarum dilecti Filii ſui? Simile eſt regnum cœlorum homini regi (*A*) qui fecit nuptias Filio ſuo. Cumquè dies inſtaret nuptiarum, conſuluit Pater Filium, quam vellet ducere. Ille ſe elegiſſe & præelegiſſe Eccleſiam reſpondit à ſeculo. At Pater: Sed captiva, inquit, tenetur in Ægypto, ibiquè ſervit in luto & latere, venundata ſub peccato. Induratum eſt cor Pharaonis ſuper eam, & aggravata manus, nec dimittet eam niſi in manu forti. Et ego (inquit Filius) manus tua & brachium fortitudinis tuæ, intrabo Ægyptum in manu forti, & brachio extento, & liberabo eam: & ut obſtruam os loquentium iniqua, & redimam eam à calumniis hominum, appendam in ſtatera juxtà precium quo venundata eſt ſub peccato, voluntatem ſcilicet peccati, & è contra precium ſanguinis mei: & invenietur illa minùs habens, & perveniet ad victoriam judicium meum. At Pater: Planè, inquit, perveniet, ſed lex eſt conjugii, ſponſæ

u *Ibid. num. 5.* x *Ibid. num. 2.* y *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 3.* z *Serm. 78. in Cant. num. 1.* A *Parabola de Chriſto & Eccl. num. 1.*

ſæ requirere aſſenſum. Requiretur, inquit Filius. Inveni David ſervum meum, virum ſecundùm cor meum: mittam eum cum cythara, ut loquatur ad cor ejus, & advocet eam, & demulceat animos ejus in luto Ægypti aſſuetos & putrefaƈtos. Miſſus David Ægyptum ingreditur, & præparatum habens dulciſſimum epithalamii canticum, eruƈtavit de corde ſuo hoc verbum bonum: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Juſſus etiam Eſajas è veſtigio ſubſequitur, videnſquè illam in vinculis captivitatis: Conſurge, inquit, conſurge, induere fortitudinem brachii Domini. Elevare, elevare, conſurge Ieruſalem, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion. Cumquè jam (b) alii multi intraſſent Patriarchæ & Prophetæ, omnes eadem nunciantes. Tandem aliquando intelligens Eccleſia gratiam Dei, ſurgenſquè de pulvere, dixit: Recordatus es mei Domine Deus meus. Miſereris, cujus miſereris: & miſericordiam præſtas, cujus miſertus eris. Et ſubſequens quomodò ſapiens illa Abigail, Quis, inquit, me det in ancillam ſervorum Domini mei, ut lavem pedes ſervorum Domini mei? Moxquè exurgens ſicut ipſa Abigail, aſcendit ſuper aſinam, ideſt ſubdidit ſibi carnem ſuam, & ſecuta eſt ſervos Regis. Occurrit Sponſus feſtiuus & hilaris, tenenſquè manum dexteram ejus, & in voluntate ſua deducens eam, & cum gloria ſuſcipiens eam, introduxit in Civitatem regni ſui, & in cubiculum Genetricis ſuæ: & in leƈtulo charitatis ſuæ eam collocans, & gratiæ ſuæ ornamentis eam condecorans, levam ſuam ſub capite ejus poſuit, & dexterâ ſuâ eam amplexus eſt. Gaudete, (c) quia jam percepiſtis dona ſiniſtræ: gaudete, quia expeƈtatis præmia dexteræ. Læva (inquit ſponſa) ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læva quidem levat, dextera ſuſcipit. Læva medetur & juſtificat, dextera ampleƈtitur & beatificat. In læva ejus merita, in dextera verò præmia continentur. In dextera inquam deliciæ, in ſiniſtra ſunt medicinæ. O fatuam ſponſam Synagogam, (d) quæ contemnens Dei

b *Ibidem num. 2.* c *Serm. 4. in Vig. Nat. Domini num. 1.*
d *Serm. 67. in Cant. num. 11.*

Dei justitiam (ideſt gratiam Sponſi ſui) & ſuam volens conſtituere , juſtitiæ Dei non eſt ſubjecta . Ob hoc miſera repudiata eſt , & jam non eſt ſponſa , ſed Eccleſia cui dicitur: Deſponſavi te mihi in fide . Deſponſavi te mihi in judicio & juſtitia . Deſponſavi te mihi in miſericordia & miſerationibus. Non tu me elegiſti , ſed ego elegi te : nec ut te eligerem , tua inveni merita , ſed præveni . Ita ergo in fide deſponſavi te mihi , & non in operibus legis : deſponſaviquè in juſtitia, ſed juſtitia quæ ex fide eſt , non ex lege . Reſtat ut judices judicium rectum inter me & te , judicium quo te deſponſavi,ubi conſtat interveniſſe non tuum meritum , ſed meum placitũ . Hoc eſt autem judicium,ut tua merita non extollas,non præferas opera legis , non jactes pondus diei & æſtus : quæ magis in fide & in juſtitia quæ eſt ex fide : nec non in miſericordia & miſerationibus noſceris deſponſata.Quæ eſt iſta ſponſa?(e) & quis eſt Sponſus ? Hic eſt Deus noſter : & ſponſa nos ſumus cum reliqua quidem multitudine captivorum,quos ipſe novit . Omnes enim nos (f) ad ſpirituales nuptias vocati ſumus , in quibus utique Sponſus eſt Chriſtus Dominus: unde canimus in Pſalmo: Et ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo . Sponſa verò nos ipſi ſumus : ſi non vobis videtur incredibile , & omnes ſimul una ſponſa, & animæ ſingulorum quaſi ſingulæ ſponſæ . Sed quando hoc ſentire poterit fragilitas noſtra de Deo ſuo , quòd eo effectu ſe diligat , quo diligitur ſponſa à Sponſo ? Multùm enim hæc ſponſa Sponſo ſuo inferior genere , inferior ſpecie , inferior dignitate : attamen propter Æthiopiſſam iſtam de longinquo Filius æterni Regis advenit , & ut ſibi deſponſaret illam , etiam mori pro ea non timuit . Moyſes quidem Æthiopiſſam duxit uxorem , ſed non potuit Æthiopiſſæ mutare colorem . Chriſtus verò quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam , glorioſam ſibi exhibuit Eccleſiam , non habentem maculam, neque rugam . Verè ipſa eſt , (g) quam præſcivit & prædeſtinavit ante ſæcula Deus , præparavitquè dilecto Filio ſuo delicias ſempiternas in ſæculis æternis , ut ſit ſancta & immaculata in conſpectu ejus , germinans ſicut lilium , & florens

in

e *Serm 68. in Cant. num. 1.* f *Serm. 2. in Dom. 1. poſt oct. Epiph. num. 2.*
g *Serm. 78. in Cant. num. 8.*

in æternum ante Dominum Patrem Domini mei Jesu Christi Sponsi Ecclesiæ. Vnde enim tibi o humana anima, (b) unde tibi hoc? Vnde tibi tàm inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli ipsi prospicere? Vnde tibi hoc, ut ipse sit Sponsus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias? vide quantùm de Deo præsumas? vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, immò qui tanti te fecit? De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in cruce, & somnum mortis excepit. Propter te à Deo Patre exivit, & matrē synagogam reliquit, ut tu adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini qui secet te mediam, si fortè (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem.

3. In utero Virginis (i) ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cœlum & terram protoplastorum inobedientia construxerat. Tempore nempe suo (k) rorantibus cœlis desuper, & nubibus pluentibus justum, aperta est terra, & germinavit Salvatorem, per quem facta est Cœli terræquè reconciliatio. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, pacificans in sanguine suo quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Fidelissimus planè (l) & benignissimus mediator, qui quidem non discrevit, sed fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens, donans nobis omnia delicta: delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm triumphans illos, pacificansquè per sanguinem suum quæ

h *Ibidem num.3.* i *Serm.3.de Virg.Deip. num.3.* k *Serm.23.in Cant.nu.5.*
l *Serm.de S.Martino num.4.*

quæ ſunt in cœlo, & quæ ſuper terram. Propter hanc nempè ſalutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confeſtim ſub terra poſuit hominem ſicut peccando meruerat, ſed in terra. Siquidem reſpirandum eſt nobis, & nullatenùs deſperandum, donec in terra adhuc interim conſtituti & ſuſpicere cœlum poſſumus, & ſuſcipere data optima & dona perfecta deſursùm à Patre luminum, à Patre Spirituum, à Patre miſericordiarum. Nam & propterea rectum fecit hominem, etiam corpore ipſo, & os homini ſublime dedit, cùm prona utique ſpectent animantia cœtera terram: ut attollens ad ſidera vultus illicò ſuſpiret, ubi tam beatam & perennem conſpicit manſionem. Audi deinde *(m)* & diligenter obſerva Angelicam in hujus mediatoris ortu diſtributionem, Gloria, inquiunt, in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hujus denique gratia obſervationis fideli reconciliatori Chriſto nec *timoris* ſpiritus defuit, quo Patri ſemper reverentiam exhiberet, ſemper ei deferret, ſemper gloriam ejus quæreret: nec ſpiritus *pietatis*, quo miſericorditer compateretur hominibus. Vndè & neceſſarium habuit ſpiritum quoque *ſcientiæ*, per quem timoris pariter & pietatis diſtributio fieret inconcuſſa. Et nota, quòd in primo illo parentum noſtrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, ſed manifeſtè defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit Eva ſcientiam, quæ (ut ait Apoſtolus) ſeducta eſt in prævaricationem. Verùm hęc quidem ſerpenti non defuit (qui callidior deſcribitur cœteris animantibus) ſed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus eſt homicida. Adam verò pius fortè videtur mulierem non contriſtando, ſed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens quàm Divinæ. Vtinam magis timor Domini prævaluiſſet in eo, ſicut de Chriſto ſignanter legitur: Quia replevit eum non pietatis ſpiritus, ſed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus eſt: & ſolus ipſe eſt, qui totum ſibi hominem debeat vendicare. In his igitur tribus, timore, pietate, & ſcientia mediator noſter Chriſtus JESUS reconciliavit homines Deo. Nam in conſilio & fortitudine de manu adver-

m *Serm. 2. in Annunc. B. M. num. 3.*

adversarii liberavit. Consilio siquidem pristino jure privavit hostem, data potestate ut manus iniiceret nocenti. *Fortitudine* prævalvit, nè violenter posset retineri Redemptor, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo surrexit. Exinde (n) cibat nos pane vitæ & *intellectus*, & potat aquâ *sapientiæ* salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confortans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Et certè hujusmodi intelligentiâ veritatis internæ vivit anima, & hic est spiritualis cibus. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora traijcitur: ubi verò cœperis in ea oblectari, jam non cibus sed potus est, & sine difficultate intrat in animam, quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur: nè ipsius interioris hominis artubus, idest affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati. Ex omnibus ergo quæ salvandis populis fuerant necessaria, nihil penitùs defuit Salvatori. Ipse est enim, de quo præcinit Isajas: Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Benedictus Deus Pater, (o) qui propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, Filium suum dilectum in quo ei benè complacuit, misit: per quem reconciliati pacem habeamus ad eum, ut idem sit nobis reconciliationis hujus mediator & obses, Non est quod vereamur sub tam pio mediatore, non est quod de tam fide obside dubitemus. Ipse enim est, (p) per quem reconciliati pacem habemus ad Deum. Ipse, qui pacificavit in sanguine suo quæ in cœlis sunt, & quæ super terram, mediator Dei, & hominum Christus JESUS. Ad Patrem (q) verebaris accedere ô homo, solo auditu territus ad folia fugiebas: JESUM tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro

 reve-

n *Ibidem num. 4. & 5.* o *Serm. 5. in Nativ. Domini num. 1.*
p *Serm. 1. de omn. Sanctis num. 14.* q *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 7.*

reverentia sua: Pater enim diligit filium. An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua: tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare Divinã, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad MARIAM recurre. Pura siquidem humanitas in MARIA, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reveeentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum Scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.

CAPUT X.

De aliis operibus mysticis, gestis in utero Virginis.

1. In utero Virginis Christus Incarnatus, instar Elisæi se contraxit mortuo corpori generis humani, ut illud vivificaret. 2. Ibi Deus Pater Filium suum Unigenitum induit tunicã polymitâ, quæ significat Ecclesiam diversis ordinibus Ecclesiasticis distinctam. 3. Ibi Virgo Mater Filium suum, instar Esau induit pelle humana in similitudine peccati.

1. IN utero Virginis (r) magnus Elisæus in mensuram suscitandi pueri se se contraxit. Magnus inquam (s) ille vir Propheta potens in opere & sermone, de excelso monte cœlorum descendens, visitare dignatus est me cùm sim cinis & pulvis: misereri mortuo: inclinare se jacenti: contrahi & coæquari parvo: cœco partiri lumen oculorum suorum: & os mutum oris proprii osculo solvere: debilesquè manus suarum roborare contactu. Suaviter rumino ista, & replentur viscera mea, & interiora mea saginantur: & omnia

r Serm. 3. de Virg. Deip. num. 3. s Serm. 16. in Cant. num. 2.

nia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit Universitati humani generis. Hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus, & cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, & ori ædificationis verbum, & manibus opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre vtiliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex (qui difficilè rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad regna cœlestia) si rectè sentias, si dignè proloquaris, si vivendo confirmes. Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminibus ornans, fide & intellectu. Ori meo junxit suum, & mortuo signum pacis impressit: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justitiæ mortuos. Os ori applicuit, iteratò inspirans in faciem meā spiraculum vitæ, sed sanctioris quàm primò. Nam primò quidem in animam viventē creavit me: secundò in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ. Aut certè manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Et (t) oscitavit (inquit Scriptura) puer septies. Vide hunc septenarium. Sacer numerus est, non vacat. Sufficiebat (u) ad gloriam manifestandi miraculi oscitasse semel: sed multiplicitas & insignis numerus, mysterii admonent. Si illud ingens universi generis humani primum quidem exanime corpus attendas: vides ubique Ecclesiam (ex quo vitam, Propheta incumbente, recipit) quasi septies oscitare: quia septies in die laudem dicere consuevit. Si teipsum advertas, in hoc te noveris vita vivere spirituali, ac mysticum hunc implere numerum, si sensualitatis tuæ quinarium, charitatis binario subiicis, exhibesquè juxtà Apostolum membra tua servire justitiæ in sanctificationem, quæ priùs exhibuisti servire iniquitati ad iniquitatem: aut certè si eundem quinarium proximorum saluti impertiens ad perficiendum septenarium duo hęc adiicias, misericordiam scilicet & judicium cantare Deo. Habeo (x) & alias septem oscitationes, septem videlicet experimenta (sine quibus vera & certa salus redivivi spiritus minimè con-

t *Serm. 15. in Cant. num. 8.* u *Serm. 16. in Cant. num. 3.*
x *Ibidem num. 4.*

constat) quatuor ad sensum compunctionis, tria ad confessionis sonum pertinentia. Si vivis, si vox, si sensus est, tu quoque eadem in te recognoscis. Porrò sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici sentis compunctione morderi, pudore gemino, & gemino metu: nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur, de quibus postea videbitur. Nonne & Sanctus Hieremias in suo planctu observat hunc numerum? Et tu igitur in tua pro te lamentatione formam habens propheticam, Deum cogita *Factorem* tuum, cogita & *Benefactorem*, cogita *Patrem*, cogita *Dominum*. Ad omnia reus es, plange per singula. Ad primum & ultimum respondeat timor tuus: ad duo media pudor. *Pater* sanè non metuitur cùm Pater sit. Patris enim est misereri semper & parcere. Et si percutit, virga non baculo percutit, & cùm percusserit sanat. Paterna vox est: Percutiam & ego sanabo. Non est proinde quòd à Patre formides, qui etsi quandoque feriat ut emendet, non quid tamen ut vindicet. At verò cogitantem, quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi non quod terreat. Voluntariè genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodùm genitor carnis meæ. Deinde etiam non pepercit Vnigenito pro sic genito. Ita ipse quidem Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Sed (y) etsi Pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat adversùm me testes, hujus corporis victum, & usum temporis hujus, & super omnia sanguinem dilecti filii clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquàm ad confusionis cumulum, arguar etiam reddidisse mala pro bonis, & odium pro dilectione. Minimè quidem mihi à *Benefactore*, sicut nec à *Patre* timendum: verus quippè beneficus est, dans affluenter & non improperans. Non improperat dona, quia dona sunt: & beneficia sua mihi dedit, non vendidit: denique sine pœnitentia sunt dona ejus. At quantò de illo benigniùs, tantò de me indigniùs sentire cogor. Erubesce & dole nihilominùs anima mea, quoniam etsi illum non repetere & non improperare decet, nos tamen omninò dedecet ingratos immemoresquè extitisse. Heu, quid vel

y *Ibidem num. 5.*

vel nunc tandem retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quod si (z) segnior fortè suas partes minùs exequitur pudor, timor sanè excitetur in adjutorium: excitetur, ut excitet. Sepone parùm pia vocabula Benefactoris & Patris, atque ad austeriora convertere. Nempè qui legitur, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Legitur nihilominus, Deus ultionum Dominus. Legitur, Deus Judex justus & fortis: Legitur, Terribilis in consiliis super filios hominum: Legitur, Deus zelans. Quòd Pater est, quòd Beneficus est, tibi est: quòd *Dominus* ac *Creator*, sibi. Etenim propter semetipsum fecit omnia, scriptura teste. Qui ergo quod tuum est, tibi descendit ac servat, putas & pro se aliquando non zelabit? putas sui non requiret principatûs honorem? Propter hoc irritavit impius Deum, quia dixit in corde suo, Non requiret. Et quid est in corde suo dicere, Non requiret, nisi non metuere quòd requirat? Sed requiret usque ad novissimum quadrantem: requiret & retribuet abundanter facientibus superbiam. Requiret à redempto seruitium, honorem & gloriam ab eo quem plasmavit. Esto quòd dissimulet Pater, ignoscat Beneficus: sed non Dominus, & Creator. Et qui parcit filio, non parcet figmento, non parcet servo nequam. Qui sic afficitur (A) sensum proculdubiò recuperauit, & in duplici metu isto, itemquè pudore illo æquè duplici habet oscitationes quatuor. Tres quæ restant ex voce Confessionis adiiciet, & nequaquam dicetur jam de eo, quòd non sit vox neque sensus, si tamen de corde humili, simplici, fideliquè processerit illa Confessio. Omne ergo quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fidelitèr, & has vices adimplesti: Hæ itaque (b) tres Confessionis observantiæ junctæ quatuor superioribus compunctionis septenarium implent. Jamverò sic compunctus, & sic confessus, ac propria proinde certus de vita, certus quoque nihilominus es (ut arbitror) vacuo nequaquam nomine appellari Jesum, eum qui in te talia valuit & voluit operari, nec vacuè subsecutum fuisse baculum quem præmiserat. Habuit & Judæa (c) quosdam Jesus, quorum

z *Ibidem num. 6.* A *Ibidem num. 8.* b *Ibidem num. 11. & 12.*
c *Serm. 15. in Cant. num. 8.*

rum vacuis gloriatur vocabulis. Illi quidem præmissi sunt tanquam baculus ad mortuum, Prophetam prævenientes, sed sua interpretari nomina nequiverũt. Vacua quippè erant. Superpositus mortuo baculus est, & non erat vox neque sensus, quoniam baculus erat. Descendit qui baculum misit, & mox saluum fecit populum suum à peccatis eorum, probans se esse quod dicebatur: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Nimirum qui dicit: Salus populi ego sum. Jam vox, jam sensus est, & patet eum non inane portare nomen instar priorum. Sentitur infusa salus, & beneficium non tacetur. Intùs sensus, foris vox. Compungor & confiteor, & Confessio vitam indicat. A mortuo enim tanquam qui non est, perit Confessio. Ecce vita, ecce sensus. Suscitatus perfectè sum: integra est resurrectio. An aliud mors corporis est, nisi cùm sensu privatur & vita? Peccatum (quod mors animæ est) nec compunctionis mihi sensum, nec confessionis reliquerat vocem, & eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, & utrumque restituit: & dicit animæ meæ: Salus tua ego sum. Quid mirum si cedit mors, ubi Vita descendit? Jam corde creditur ad justitiam, & ore confessio fit ad salutem. Jam oscitat puer, & oscitat septies: & dicit, Septies in die laudem dixi tibi Domine.

2. In utero Virginis *(d)* antiquus dierum prædilecto Filio suo tunicam induit polymitam. Non sum tam hebes *(e)* ut non agnoscam tunicam Joseph, non illius qui liberavit Ægyptum, sed qui salvavit mundum: & hoc non à fame corporis, sed à morte simul animæ & corporis. Notissima quippè est, quia polymita, idest, pulcherrima varietate distincta: sed & sanguine apparet intincta, non quidem hædi, qui peccatum significat, sed Agni, qui significat innocentiam: hoc est suo ipsius, non alieno. Ipse est profectò Agnus mansuetissimus, qui coram non quidem tondente, se occidente se obmutuit: qui peccatum non fecit, sed abstulit peccata mundi. Miserunt autem qui dicerent ad Jacob: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non? Vide & tu Domine utrum hæc sit tunica dilecti filii tui. Recognosce Omnipotens

Pa-

d *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 3.* e *Tract. ap. Aug. de vit. & mor. Relig. cap. 3. num. 7.*

Pater eam quam fecisti Christo Filio tuo, polymitam, dando quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores, & cætera quæ in ejus ornatu mirifico decenter apposuisti, ad consummationem utique Sanctorum occurrentium in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Dignare etiã Deus pretiosissimi purpuram sanguinis quo aspersa est, recognoscere, & in purpura præclarum insigne & gloriosissimum indicium obedientiæ. Quare ergo, inquit, rubrum est vestimentum tuum? Torcular, ait, calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. Itaque (f) quandoquidem factus est obediens Patri usque ad torcular Crucis, quod utique solus calcavit: solum quippè brachium suum auxiliatum est ei, juxtà illud in alio loco: Singulariter sum ego donec transeam: Jam ergo exalta eum Deus, & da ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ascendat in altum, captivam ducat captivitatem, & donet dona hominibus. Quæ dona? Relinquat videlicet sponsæ suæ Ecclesiæ pignus hæreditatis, ipsam tunicam suam: tunicam scilicet polymitam, eandemquè inconsutilem, & desuper contextam per totum. Sed polymitam ob multorum Ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: inconsutilem verò propter indissolubilis charitatis individuam unitatem. Quis me (inquit Apostolus) separabit à charitate Christi? Audi quomodo polymitam. Divisiones, ait, gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones operationum sunt, idem verò Dominus. Deinde diversis enumeratis charismatibus tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam: ut ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adjungit: Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Charitas quippè diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non ergo dividatur, sed totam & integram hæreditario jure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Itaque diversi diversa sapien-

tes

f Ibidem num. 8.

tes dona, alius quidem sic, alius verò sic: sive Cluniacenses, sive Cistercienses, sive Clerici Regulares, sive etiam Laici fideles: omnis denique Ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine usque ad novissimum. Nam & propter hoc talaris dicta est, quòd ad finem usque pertingat, dicente Propheta: Non est qui se abscondat à calore ejus: nimirùm congruens ei cui & facta est, qui (perhibente videlicet alia scriptura) & ipse attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Omnes ergo (*g*.) concurramus pariter in unam tunicam, ut ex omnibus constet una: ex omnibus inquam una, nam etsi ex pluribus & diversis, una est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine utroque, sed simul omnes sumus illa una: si tamen solliciti sumus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Loquitur Deus (*h*) per Prophetã Joel: Et scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra. Quibus verbis manifestè prior esse populus Judęorum & duritię cordis, & vanæ superstitionis arguitur. Crebra siquidem apud eos scissio vestium, sed non cordium esse solebat. Quando enim scinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circumcidi? Scindite, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra. Si quis in vobis est, cujus voluntas circa unum aliquid solet obstinatior inveniri, scindat cor suum gladio spiritus, quod est verbum Dei: scindat illud, & in multas minutias festinet dispartiri. Alioquin non est converti ad Dominum in toto corde, nisi scisso corde. Scindamus itaque corda nostra (*i*) quatenùs integra proindè vestimenta servemus. Vestes enim nostræ, virtutes sunt. Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique Beati quorum tecta sunt peccata: etenim charitas operit multitudinem peccatorum. Scindamus corda sicut prædictum est, ut hæc vestimenta integra servemus, quemadmodùm integra servata est tunica Salvatoris. Nec modò integram servat scissio cordis, sed & talarem eam facit & polymitam, qualem à

San-

g *Ibidem cap.4.num.9.* h *Serm.2.in Quadrag.num.5.*
i *Ibidem num.6.*

ſancto Patriarcha Jacob accepit filius, qui præ cæteris amabatur. Hinc nempè virtutum perſeverantia, hinc converſationis pulchræ diſcolor unitas. Hinc illa eſt gloria Regis filiæ in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Eſt quippè (k) rationabilis quædam ſponſæ ſpecies, ſpiritualiſque effigies ipſaquè æterna, quia imago æternitatis. Decor ejus charitas eſt: Et charitas ſicut legitis, nunquã excidit. Eſt certè & juſtitia: Et juſtitia ejus (inquit David) manet in ſeculum ſæculi. Eſt etiam patientia: Et legitis nihilominus, quia patientia pauperum non peribit in finem. Quid voluntaria paupertas? quid humilitas? nonne altera regnum æternum, altera æque exaltationem promeretur æternam. Eò quoque ſpectat & timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi. Sic prudentia, ſic temperantia, ſic fortitudo, & ſi quæ ſunt virtutes aliæ, quid niſi margaritæ ſunt quædam in ſponſæ ornatu, ſplendore perpetuo coruſcantes? Perpetuo inquam, quia ſedes & fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetuæ beatæque vitæ omninò locus in anima eſt, niſi mediis quidem interiectiſquè virtutibus.

3. In utero Virginis (l) Rebecca futurorum præſcia magnificandi filii manibus pelliculas hædorum circumdedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia Spiritus Sancti, Filius à Deo Patre hęreditandus in omnibus Gentibus, Divinę majeſtatis potentiam ſimilitudine carnis peccati cooperuit, & quaſi abſconditus eſt vultus ejus in infirmitate: unde nec reputavimus eum. Agnoſco pellem Salamonis, ideſt Chriſti: (m) immò ipſum in pelle foris nigra Salamonem amplector. Habet & Salamon (Christus) nigredinem, ſed in pelle. Fòris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, ſplendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hæc deſpicabilior infirmitatis color, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, dum tentatur per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Agnoſco denigratæ formam naturæ. Agnoſco tunicas illas pelliceas protoplaſtorum peccantium habitum. Denique ſemetipſum denigravit,

Sſ for-

k *Serm. 27. in Cant. num. 3.* l *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 3.*
m *Serm. 28. in Cant. num. 2.*

formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Agnosco sub pelle hædi (qui peccatum significat) & manum, quæ peccatum non fecit, & collum, per quod mali cogitatio non transivit. Ideoque non est inventus dolus in ore ejus. Novi quod sis lenis naturâ, mitis & humilis corde, blandus aspectu, suavis spiritu. Et quidem unctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnde ergo nunc instar Esau pilosus & hispidus? Cujusnam rugosa & tetra imago hæc? & unde hi pili? Mei sunt, nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Meos agnosco hos pilos, & in pelle mea videbo Deum Salvatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit (n) sed MARIA, tantò digniorem qui benedictionem acciperet, quantò sanctior quæ peperit. Et bene in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas. Siquidem audierat: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tuam, inquit, hæreditatem, tuamquè possessionem dabo tibi. Quomodò dabis ei si sua est? Et quomodò suam mones ut postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut susciпiat causam. Quippe disciplina pacis nostræ super eum, dicente Propheta: & Dominus in eo posuit iniquitatem omnium nostrûm: undè debuit fratribus per omnia similari, (sicut ait Apostolus) ut misericors fieret. Propterea vox quidem, vox Jacob; manus autem, manus sunt Esau. Suum est, quod auditur ex eo: quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale & mors. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium, nam fidelium mentibus formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, formosus confessione Latronis, Centurionis fide. Vade ad Sanctum Esajam (o) & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit virum doloris & scientem infirmitatem, & quia non erat ei species neque decor? Et addit: Nos putavimus eum tanquam leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter ini-

n. *Ibidem num. 3.* o. *Serm. 25. in Cant. num. 8.*

iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus. Ecce unde niger. Junge & illud Sancti David, Speciosus forma præ filiis hominum: & habes totum in Sponso Christo. Num tibi rectè (p) & ipse videtur secundùm ea quæ dicta sunt æmulis posse respondere Judæis: Niger sum sed formosus, filii Jerusalem? Niger planè, cui non erat species neque decor. Niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere sanè pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte: & nigrùm vel tunc fatebere. Percunctare etiam Apostolos, eundem ipsum qualem in monte perspexerint, aut certè Angelos, in qualem prospicere concupiscant: & nihilominus formosum mirabere. Ergo formosus in se, niger propter te. Quàm formosum & in mea forma te agnosco Domine Jesu, non ob divina tantùm quibus effulges, miracula, sed & propter veritatem & mansuetudinem & justitiam. Beatus, qui te in his hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Vide denique (q) quàm magnificaverit facere tecum illa Majestas. De omnibus quæ in cœlo & sub cœlo sunt, dixit & facta sunt. Et quid facilius dictu? Sed nunquid solo verbo factum est, cùm te quem fecerat, refecit? Triginta & tribus annis super terram visus, & cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à sua subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentum. Nam caro factum fuerat, & ideò grossiori & morosiori opere utebatur. Verumtamen (r) te monitum esse volo, nè æstimes offuscatam Verbi claritatem per assumptam in Deo humanitatem, audi quod scriptum est: Deus assumpsit humana, non reliquit Divina: assumpsit quod non erat, manens quod erat. Sicut enim (s) cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione vel ante vocem, vel post vocem. Sic Filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus neque diminutionem, nec ante

 car-

p *Ibid. num. 9.* q *Serm. in fer. 4. hebd. San. n. 13.* r *Tract. de trib. præcip. myst. cap. 7. num. 20.* s *Serm. in fer. 4. hebd. San. num. 13.*

carnem, nec post carnem. Apud Patrem invisibilis, sed hîc manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ: & quod erat ab initio, vidimus oculis nostris. Hoc autem Verbum quia carnem purissimam, & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui: tum quia Sapientia, & Justitia erat: tum quia nullam habebat prorsùs legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ.

CAPUT XI.

De reliquis operibus mysticis, gestis in utero Virginis.

1. In Viginis utero hamus Divinitatis inescatus est carne Virginali ad extrahendum serpentem antiquum infernalem. 2. Ibi Deus se exinanivit majestate & potentia, ut Animam nostram impleat triplici gloria, corpus verò quadruplici beatitudine. 3. Ibi effusum est nomen majestatis & potentiæ Divinæ pro salute nostra.

1. IN utero Virginis(*A*) alti consilii providentiâ inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de Cœlo trajectus est. Inde egressa est armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan: ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi securè deglutiverat. Non est profectò locus voluptatis (*b*) nisi uterus Virginis, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus. Ipse ex hoc utero, I. Egreditur cum *humanitate*: quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit. De Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, divinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret. II. Egreditur & cum *novitate*: quia nunquam sic natus est homo sicut nascitur. Primus enim homo primò de terra formatur: secundò mulier

A *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 3.*
b *Serm. 3. de Nativit. Dom, num. 7. tom. 6. pag. 618.*

lier ex eius latere fabricatur: tertiò Cain consuetudinario nascendi ordine gignitur ab utroque. Solus iste Dominus Jesus de sola Virgine nascitur: & Virginis uterum novo & singulari partu Divinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem sed infœcunda loquacitas: Si peperit, cum viro concubuit? Velit nolit, vertitur in habitum privatio: nec adstringitur dialecticis terminis omnium terminator Deus, ad cuius imperium perit natura, dissuescit consuetudo. III. Egreditur etiam cum *claritate*. Nasciente quippè Christo sepelitur omnis illa stellantium luminum luminosa serenitas, & stella candidior lucidioribus radiis præscintillans totam sibi Cœli rapit portionem. Ambulant Reges in splendore ortus eius, quoniam ecce Reges congregati sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic Deum & hominem nascentem, Matrem & Virginem parientem, admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos in tantorum luce miraculorum. IV. Egreditur cum *paupertate*: quia in pannis vilissimis reclinatus, iam extunc sanctissimis membris legem martyrii præfigebat. V. Egreditur *occulte*: quia subtilissimus ille fraudium investigator diabolus, tantæ ab altitudine dignationis excluditur. Hinc est quòd ambiguis alternationibus fatigatus, Christum tentat, nunc tentatum Filium appellat Altissimi, nunc instruit crucem, nunc destruit, mandans per mulierem consuetum sibi organum: Nihil tibi & iusto illi? Timebat enim iam tunc (*c*) sed nunc maximè virtute crucis enervari se sentiens inimicus, serâ ducitur pœnitentiâ: & quos instigavit ad crufigendum, instigat ad suadendum ut de cruce descendat. Denique si Rex Israel est (inquit) descendat de cruce, & credimus ei. Hæc planè serpentis astutia, hæc adinventio nequitiæ spiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel: & noverat quantùm pro salute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitiosè nimis linquas erudiens blasphemorum, suggerebat ut dicerent: Descendat, & credimus: quasi iam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret. Sed quid machinatur (*d*) aut cui pa-

c *Serm. 1. in die Pascha num. 3.* d *Ibidem num. 4. & 5.*

parat insidias versipellis? Nempè ei in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphema mitissimus omnium movebur. Eò quippè tēdebatur malitiosa suasio, nō ut ipsi crederent, sed ut nostra quoque si qua erat fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim, Dei perfecta sunt opera: quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per Prophetam Sophoniam: Quæris signa Judæe? Expecta me in die Resurrectionis meæ. Sed si adhuc generatio prava & adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ: non signū descensionis, sed Resurrectionis. Ita est. Egreditur Jonas (*e*) vētre Ceti, Christus de Corde terræ tertia die procedit. Vicit (*f*) leo de tribu Juda. Vicit planè malitiam Sapientia attingens à fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponēs: sed pro me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorū blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphavit. Vbi enim sunt opprobria tua, Judæe? Vbi sunt fabulæ vasa captivitatis? Vbi est, mors, victoria tua? Confusus est calumniator, raptor spoliatus est. Confregit siquidem (*g*) ferreos vectes, repagula universa contrivit Christus, ut liberè suos educeret, quos redimerat de manu inimici & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerūt in sanguine Agni. In Spiritu enim fortitudinis (*h*) tanquam potens crapulatus à vino, descendit ad inferos, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, alligavit fortem, & vasa captivitatis eripuit. Sapientia vicit malitiam (*i*) dum satanam conterit Dei virtus, & Dei sapientia Christus. Attingit profectò à fine usque ad finē fortiter, in cœlo quidem deiiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando avarum. Et disponit omnia suaviter, in Cœlo stantes Angelos confirmando, in mundo venundatos redimēdo, in inferno captivos liberando. Ibi ergo fortitudinem manifestavit: (*k*) ibi fortem fortior ipso alligavit, & vasa ejus dirupit

e Ibidem n.11. f Ibidem n.1. g Ibidem n.5. h Ser.16.in Cant. n.13. i Ser.14. de diver.num.1. k Tract.de tribus præcip.myst.cap.7.num.23.

rupit,qui ante atrium ſuum in pace cuſtodivit. Ibi clamabatur: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Ibi audiebatur: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Ante faciem ejus ibit mors. O mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne, ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Abſorpta eſt mors in victoria. Quanta putas ibi juſtos alacritate concinuiſſe (l) & conſonis jubilis in communem lætitiam proſiluiſſe, ac dixiſſe: Advenisti deſiderabilis, quem expectabamus in tenebris: ut educeres vinctos de clauſtris. Te noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requiebant lamenta. Tu factus es ſpes deſideratis, magna conſolatio in tormentis. O quàm dulcis fructus reductionis his, qui in tanta & tam amara ſervitute fuerant conſtituti! Quid mirum præſentiam Chriſti fuiſſe delectabilem atque votivam, tanto tempore expectati ac deſiderati? In afflictis enim rebus conſtitutis tantò ſolet eſſe gratior liberatoris adventus, quantò fuerit diuturnior afflictio. Quanto enim tempore primus Abel juſtus (primus martyr qui ſua paſſione primus liberatorem præfiguravit) expectaverat? quamdiu ipſe Adam & Eva parentes noſtri adhuc etiam in inferno paradiſi gaudia ad memoriam invicem revocantes, iſtam redemptionem ſitiverant cum aliis ſanctis & juſtis, qui ſe liberandos ſperabant à diabolica tyrannide, à tenebris & umbra mortis, à carcere infernali, quo incluſi tenebrantur? Donec enim veniret deſideratus ille (m) qui ſanguine ſuo deleret chirographum damnationis noſtræ, & flammeum accingens gladium aperiret credentibus regna Cœlorum: nullus omninò cuiquam Sanctorum ad ea patebat acceſſus: ſed providerat eis Dominus in inferno ipſo locum quietis & refrigerii, chaos magnum formans inter Sanctas illas animas, & animas impiorum. Quamvis enim utræque in tenebris eſſent, nō tamen utræque erant in pœnis: ſed cruciabantur impii, juſti verò conſolabantur. Quòd autem in tenebris eſſent, Beati Job teſtimonio didicimus: qui ſe quoque in locum tenebroſum & opertum mortis caligine perhibebat iturum. Hunc verò locum (n) obſcurum quidem, ſed quietum, ſinum

---

l *Tract. de vit. myſt. cap. 46. num. 179.* m *Serm. 4. omn. Sanctis num. 1.*
n *Ibidem num. 2.*

ſinum Abrahæ Dominus vocat, pro eo (ut arbitror) quòd in fide & expectatione quieſceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifeſtè probata eſt & approbata, ut primus ipſe futuræ Incarnationis Chriſti meruiſſet accipere promiſſionem. In hunc ergo locum Salvator deſcendens, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductoſquè vinctos de domo carceris (ſedentes quidem hoc eſt quieſcentes, ſed in tenebris & in umbra mortis) jam tunc quidem ſub altari Dei collocavit, abſcondens eos in tabernaculo ſuo in die malorum, & protegens eos in abſcondito tabernaculi ſui, donec veniat tempus in quo procedant completo jam numero fratrum, & percipiant regnum, quod eis paratum eſt ab origine mundi.

2. In utero Virginis (o) exinanivit ſemetipſum excelſus & immenſus, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam mittens in ſinum veſtrum. Tripliciter enim (p) in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo: *Videntes* eum in omnibus creaturis: *habentes* eum in nobis ipſis: & quòd his omnibus ineffabiliter jucundius ſit atque beatius, ipſam quoque *cognoſcentes* in ſemetipſa Trinitatem. Menſuram (ait Dominus) plenam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinus veſtros. *Plenam* univerſitate creaturarum: *Confertam* in interiore homine noſtro: *Cogitatam* in exteriore: *Superfluentem* in Deo ipſo. Quomodò autem Deus videndus ſit in creaturis, poſſumus vel ex parte coniicere & aliquatenùs intelligere, nimirum cùm & modò videatur in ipſis. Vnde & Philoſophi (Apoſtolo teſte) per ea quæ facta ſunt, Dei inviſibilia conſpexêre. Interim ſanè (q) tanta hæc formarum varietas, atque numeroſitas ſpecierum in rebus conditis, quid niſi quidam ſunt radii Deitatis, monſtrantes quidem quia verè ſit, à quo ſunt, non tamen quid ſit prorsùs diffinientes? Itaque de ipſo vides, ſed non ipſum. Cùm autem de eo quem non vides, cætera vides, ſcis indubitanter exiſtere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuſet. Verùm hoc genus videndi eſt commune. In promptu enim eſt juxta Apoſtolum

o *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 2. tom. 6. pag. 614.* p *Serm. 4. de omn. Sanct. nu. 4. & 5.*
q *Serm. 31. in Cant. num. 3.*

ſtolum omni utenti ratione, inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicere. Verumtamen (r) quantumcunque proficiat quis intelligendo conſpicere, quàm potentiſſimè, quàm prudentiſſimè, quàm benigniſſimè Majeſtas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creat omnia, nunc regat, ordinet univerſa: prorsùs modicum ab eo quod eſt, comprehendit. Veniet autem, quando jam ſequemur Agnum quocunque ierit: & in omnibus conſequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod eſt gaudium Domini Dei noſtri. Gaudeamus ſanè in omnibus, ſed non aliundè quàm de ipſo: ſicut & ipſe non aliis fruitur, ſed ſemetipſo. Verè enim (s) extendi & dilatari neceſſe eſt animas, quibus ubique ſequendus eſt Agnus. Quò enim vadit? Attingit profectò à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Vis adhuc noſſe quò eat Agnus, & quò neceſſe habeant beatæ animæ ſequi eum? In omnibus requiem quæſivi. Hæc eſt planè requies Domini, non interciſa, non circa aliquid certum reſtricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & invenit. Nam & bona ei placent in ſeipſis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit miſericordiam, & iudicium: nec modò in bonorum gloria ſibi complacet, ſed in ipſis quoque utpotè iuſtis ſuppliciis impiorum. Quid ergo? Putaſne poterit humana anima in hoc gaudium Domini ſui, & in hanc eius requiem intrare, ut & ipſa quoque in omnibus delectetur? nec aliqua iam privata affectione contrahatur in rugam, ſed tranſeat in affectum quendam generalem atque divinum? Poterit ſine dubio, ſi fidelis inveniatur ſuper pauca quæ accepit militiæ ſuæ tempore, ideſt, ſuper artus, ſuper appetitus ſuos quos ſuſcepit regendos, ut in his probetur quàm fidelis ſit Domino ſuo. Sciat igitur ſervus Chriſti vas ſuum poſſidere in ſanctificationem, glorificet & portet Deum in corpore ſuo: nec dubium quin fidelem in modico ſervum ſupra multa conſtituat Dominus liberalis & dives. Supra multa planè, quando conſtituet eum dominum Domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Neque id vobis incredibile videatur, tanquam à meipſo id loquar, quoniam veritas ipſa manifeſtè

r Serm. 4. de omn. Sanct. num. 5. s Serm. 3. de omn. Sanct. num. 2. & 3.

stè id pollicetur, cuius de promissione omninò dubitare non licet. Beatus (ait) servus ille quem cùm venerit Dominus eius, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cùm in gaudium eius meretur intrare, & cum eo deinceps letari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim qui adhæret Deo (Apostolo teste) unus cũ eo spiritus efficitur: & voluntas eius omninò divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil iam quod contra eam sit, inveniatur in omnibus creaturis, sed universa fiant, vel magis maneant pro eius arbitrio. Jam verò (t) quemadmodùm Deus in nobis habendus sit (idest in interiore homine nostro) & hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: unde & Sapientes mundi huius animam humanam *rationalem*, *irascibilem*, *concupiscibilem* esse tradiderunt. Quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura, & quotidiana experimenta nos docent. Porrò quemadmodùm circa *rationale* nostrum, & scientia & ignorantia constat tanquam habitus & priuatio: sic & circa *concupiscibile*, desiderium & contemptus: & circa id quod dicitur *irascibile*, & lætitia pariter & ira versatur. Implebit ergo Deus *rationale* nostrum luce sapientiæ, itaut penitùs nobis nihil desit in ulla sapientia. Implebit *concupiscibile* nostrum fonte iustitiæ, ut omninò desideremus eam, & eâ penitùs repleamur, sicut scriptum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter iustitiam beatificare animam potest. Cùm ergo repleverit Deus *concupiscibile* nostrum iustitiâ, quidquid respuere debet anima respuet, quidquid debet concupiscere concupiscet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Meritò denique *concupiscibili* nostro justitiam attribuimus, ex quo nimirùm aut justi aut iniusti reputamur. Jam verò quod dicitur in nobis *irascibile*, cùm repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in summam jucunditatem atque lætitiam replebitur pace divina. Et vide si non etiam in his tribus

t *Serm. 4. de omn. Sanct. num. 6. & 7.*

tribus perfecta (quantùm sanè ad animam spectat) beatitudo consistat, quando scientia jam non inflat propter justitiam, jam non contristat propter lætitiam, ut cesset proverbium illud: Qui apponit scientiam, apponit & dolorem: quoniam iustitia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam: quando lætitia nec inepta erit propter scientiam, nec impura propter justitiam. Sic ergo replebit animas nostras Deus, cùm perfecta in eis scientia fuerit, perfecta iustitia, perfecta lætitia. Sed in his omnibus (*u*) nihil adhuc exterior homo noster (scilicet corpus) accepit. Ipsi ergo, ut inhabitet gloria etiam in terra nostra, & iuxta alium Prophetam repleatur maiestate Domini omnis terra: quatuor sunt quærenda, quem nimirùm constat ex elementis quatuor esse compactum. Nec mireris quòd pluribus indigere videtur qui miserior est, cùm & in Psalmo legeris dicente Propheta: Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea? Habeat ergo terra nostra (corpus) *immortalitatem*, nè iam timeat denuò se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Sed quid proderit, si fortè contingat in æternum vivere in miseriis & ærumnis passibilitatis huius, quâ nimirùm incessanter corruptibile hoc corpus affligitur? etsi non semel, utique semper moritur. Habeat certè etiam aliquando omnimodam *impassibilitatem*: ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed iam desiderat corpus nostrum etiam *levitatem*, secundùm eam nimirùm quam habet ex aere, portionem. Tanta itaque futura credenda est corporum *levitas* & *agilitas* Beatorum, ut possint si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia, velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique *pulchritudo*. Hanc perfectissimam habituri, non immeritò possumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne. Salvatorem enim expectamus (ut ait Apostolus) qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: exhibens quod pollicitus est: Quoniam fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. Erit autem (*x*) claritas solis

u *Serm. 4. de omn. Sanct. num. 7.* x *Serm. 4. de Adven. Dom. num. 3.*

ſeptempliciter, ideſt, ſicut lux ſeptem dierum. Sic ergo *(y)* replebitur maieſtate omnis terra,cùm fuerit corpus incorruptibile,impaſſibile,agile, configuratũ deniq; corpori claritatis ſuæ.Replebitur inquam *(z)* omnis terra noſtra Domini maieſtate, quãdo reſurrectionis gloriã veſtietur,induet immortalitatis ſtolam,configurabitur denique claritati corporis Chriſti.Et licet*(zz)*ſit Electis pariter omnibus unus idemquè denarius vitę reddendus ęternæ;& in ipſa tamen ſicut ſtella à ſtella differt in claritate: eſt alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia ſtellarum; ſic erit & reſurrectio mortuorum. Et quamvis domus una, diverſæ tamen in ea ſunt manſiones, ut videlicet quantùm quidem ad æternitatem & ſufficientiam, & qui parum, non minoretur; & qui multum, non abundet: quantùm verò ad eminentiam & diſcretionem meritorum, unuſquiſque accipiat ſecundùm ſuum laborem, nè quid omninò pereat quod in Chriſto ſit ſeminatum.Porrò in æterna illa & perfecta beatitudine *(A)* fruemur Deo, ipſam *cognoſcentes* in ſemetipſa Trinitatem, & gloriam illam ſine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoſcamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum ſicuti eſt: ideſt, non modò ſicut ineſt nobis videlicet aut cæteris creaturis, ſed ſicut eſt in ſemetipſo. Vnde duo illa velut circumiacentia eſſe videntur (quæ prædiximus)& quaſi cortex trici. Hæc verò cognitio eſt ſumma beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirùm Civitas ſancta Hieruſalem ſatiatur. Ibi cumulus felicitatis,ibi ſupereminens gloria,ibi ſupereffluens beatitudo.Et tunc ille *(b)* de Evangelio unus omnibus qui ſic vident, denarius redditur in una ſpecie quæ offertur. Nam & quod apparet, ut invariabile in ſe eſt,ita invariabiliter intuentibus præſto eſt: & quibus apparet, nil videre deſiderabilius volunt, nil poſſunt delectabilius. Quando ergo illa vel faſtidiet aviditas, vel ſe ſubtrahet ſuavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod ſi in æternum extenditur videndi copia pariter & voluntas: quomodò non plena felicitas? Nil quippe aut deeſt iam ſemper videntibus, aut ſupereſt ſemper volentibus.

y *Serm.4.de omn.Sanct.n.7.* z *Serm.2.de verb.Iſai.n.2.* zz *Serm.9.ſup.Pſal.90.n.4.* A *Serm.4.de omn.Sanct.num.4.* b *Serm.31.in Cant.num.1.*

tibus. Talis visio in novissimis diebus reservatur his duntaxat, qui dicere possunt: Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et, Cùm autẽ (c) videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens, aliquatenùs resiliet, dissilietvè in suam pluralitatem. Colliget se magis, adunabit, conformabitq; unitati illius, vel potiùs unitati illi, ut una uni facies respondeat faciei. Videbit enim maiestatem Dei (d) quod utique vita æterna est, sicut & veritas ait: Hęc est vita ęterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESUM CHRISTUM. Reddet ei coronam justitiæ justus Judex in illum diem, cui sanè altera non succedet. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ipsius. Quousque dilatabitur? Vsque ad videndam in se majestatem Dei. Nempe (e) similis ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Beata visio: ad quam meritò suspirabat qui ait: Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram Quis non toto desiderio (f) concupiscat tantæ majestatis gloriam contemplari? Hoc quippè Sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre est vita æterna. Ipse etiam Filius (g) dicit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Cognitio igitur Patris, vita æterna est: & ubi vita æterna, ibi sempiterna voluptas. Verùm (h) quàm magna est beatitudo illa, tam abscondita ab oculis nostris. Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione? Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quantò magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur affari? Quisquis autem (i) in futuro Deum videre desiderat, profectò necessè est ut in presenti priùs Deum audiat, & in auditu auris obediat. Auditus quippè est meritum videndi, visio præmium audiendi. Et priùs est audire, videre posteriùs, sicut scriptum est: Audi filia, & vide, Beati mundò corde,

quo-

---

c Lib.5.de consid.c.13.n.27. d Serm.5.in Vig.Nat.Dom. num.6. e Lib.5.de consid.c.13.n.27. f Serm.1.de Verb.Esa.n.1. g Serm.2.de Nat.Dom.num 4. to.6.pag.616. h Serm.4.de omn.Sanct.n.4. i Serm.77.de div. n.2.

(*k*) quoniam ipsi Deum videbunt. Beati planè & omninò beati, qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quē videre vita æterna est. Quanta sollicitudine, fratres, quanto studio danda est opera, ut mundari possit oculus quo videndus est Deus?

3. In utero Virginis (*l*) Majestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe & pinguedine replevit terras, infudit cœlos, inferna resperſit. Nec mirum (*m*) si cùm venit plenitudo temporis, facta est effusio Nominis: Deo quippe quod per Johelem promiserat, adimplente, & effundente de Spiritu suo super omnem carnem, cùm tale aliquid & apud Hebræos olim contigisse legam. Credo vos prævolare & scire jam quid dicere velim. Quale erat inquam, quod sciscitanti Moysi primò responsum est: Ego sum qui sum, & qui est, misit me ad vos? Nescio an vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet effunderetur. Sed fusum est, & captum est. Nec modò fusum, sed & effusum. Nam infusum jam erat: jam cœli habebant illud: jam Angelis innotuerat. Est autem foris missum: & quod Angelis ità erat infusum, ut esset & privatum, effusum & in homines est, ita ut jam tunc meritò clamaretur de terra: Oleum effusum nomen tuum: si non ingratæ plebis exosa pervicacia obstitisset. Ait enim: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Et non amplius? (*n*) Effunde, effunde, aperi manum tuam adhuc, & imple omne animal benedictione. Veniant ab Oriente & Occidente, & recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum. Veniant, veniant tribus tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant, epulentur & delectentur in lætitia, & unus ubique resonet in voce exultationis & confessionis sonus epulantis: Oleum effusum nomen tuum. Agnosco nomen (*o*) quod in Esaja legi: Servos suos, inquit, vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur à Domino Amen. O nomen benedictum! O oleum usquequaque effusum! Quousque? De cœlo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum

k *Serm. 1. de omn. Sanct. num. 13.* l *Serm. 2. de Nat. Dom. nu. 1. tom. 6. pag. 614.*
m *Serm. 15. in Cant. num. 2.* n *Ibid. num. 3.* o *Ibid. num. 4.*

ſum nomen tuum. Effuſum planè, quod non ſolùm cœlos terraſquè perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeo ut in nomine Jesu omne genufle&atur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, & dicat: Oleum effuſum nomen tuum. Et quid mirum, ſi Sponſi Jesu effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? Nam ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens. Denique ait: Sicut aqua effuſus ſum. Effuſa eſt plenitudo Divinitatis habitans ſuper terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis geſtamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: Oleum effuſum nomen tuum. Multa quidem (p) Sponſi vocabula ſparſa per omnem divinam paginam legitis, ſed in duo ea vobis univerſa comple&ar. Nullum (ut arbitror) reperietis quod non aut pietatis gratiam, at potentiam majeſtatis ſonet. Spiritus ità dicit etiam per ſibi familiarius organum, Prophetam David: Duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia. Ergo ſecundùm majeſtatem ſanctum & terribile nomen ejus. Secundùm pietatem non eſt nomen aliud ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Sed exemplis magis perſpicuū fiet. Hoc eſt (inquit Hieremias) nomen quod vocabunt eum, Dominus, juſtus noſter: Nomen potentiæ eſt. Item, Et vocabitur nomen ejus Emmanuel: Pietatem inſinuat. Item ipſe Jesus de ſe, Vos vocatis me, ait, magiſter & Domine. Primum gratiæ eſt, ſecundum majeſtatis. Non enim minùs pium eſt docere animum ſcientiam, quàm præbere eſcam corpori. Rursùm Propheta Iſajas: Vocabitur, inquit, nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, princeps pacis. Primum, tertium, quartum, majeſtatem ſonant: reliqua pietatem. Quid horum ergo effunditur? Profectò majeſtatis ac potentiæ nomen in id, quod eſt pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur, ipſumquè effunditur abundè per Jesum Christum Salvatorem noſtrū. Nomen (verbi cauſà) quod Deus eſt, nonne in id quod eſt, *nobiſcum Deus*, hoc eſt in *Emmanuel* liqueſcit & deficit? Sic *admirabilis* in id quod eſt, *conſiliarius*: ſic *Deus*, & *fortis* in ea

quæ

p *Ibidem num. 1.*

quæ ſunt, *Pater futuri ſæculi*, & *princeps pacis*: Et, Dominus juſtus noſter & miſericors & miſerator Dominus. Non dico novum quid, quondam quoque nihilominus Abram in Abraham, & Sarai in Saram effuſa ſunt, & jam tunc ſalutiferæ effuſionis celebratum præfiguratumquè myſterium recordamur. Certum eſt ergo (*q*) quia poteſtas Dei in maiorem tunc pietatem effuſa eſt, cùm cœli deſtillarent à facie Dei: & de virgineis membris antiquus dierum exoritur. Non eſt qui ſe abſcondat à calore iſto: quia largior olei effuſio à capite deſcendit in barbam: quia etiam extremam veſtimenti fimbriam largiùs irroravit. Tanta eſt abundantia miſerentis, ut non ſolùm ſub nomine effuſionis, ſed exinanitionis cenſeatur. Exinanivit ſemetipſum (ait Apoſtolus) formam ſervi accipiens, & cum tota multitudine miſerationum ſuarum de thalamo proſiliit virginali. Non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyſſus illa conſiliorum Dei: quia quidquid in Divinitatis theſauro pietatis eſt inventum, totum in utero Virginis congeſtum. Altiùs ergo inteamini (*r*) quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in MARIA: ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare.

CAPUT XII.

De quatuor Unguentis Verbi Incarnati.

1. Quatuor Unguenta, ſunt Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio, Redemptio. Et hæc quatuor factus eſt Chriſtus hominibus. 2. Quomodo autem fuit etiam redemptio Angelis? Et quomodo hæc ipſa quatuor factus eſt propter homines? Quorum multi in illis quatuor cucurrerunt. 3. De utilitate eorundem quatuor Unguentorum. Et de quatuor Virtutibus cardinalibus.

Satis

q *Serm. 2. de Nativ. Dom. num. 4. & 5. tom. 6. pag. 610.*
r *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.*

1. SATIS hucuſque ſparſimus verba: (s) nunc inſiſtamus hîc, ſi fortè aliquod dignum elicere valeamus. Fluvius (ait Scriptura) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam univerſam ſuperficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita. Fluvius iſte eſt Dominus meus JESUS, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, & ex utero Virginis: quæ plenitudinem fontis ipſius (t) de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, ſed ſi non prout eſt, prout capere poteramus. Quis verò fons vitæ (u) niſi Chriſtus Dominus? Sanè ipſa ſeſe plenitudo exinanivit, ut fieret nobis juſtitia, & ſanctificatio, & remiſſio, necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus eſt fons uſque ad nos, in plateis derivatæ ſunt aquæ, licèt non bibat alienus ex eis. Deſcendit per Aquæductum (ideſt MARIAM) vena illa cœleſtis, non tamen fontis exhibens copiam, ſed ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundens, aliis quidem plùs, aliis quidem minùs. Plenus equidem Aquæductus, ut accipiant cœteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſam. Sequitur: (x) Ad irrigandam univerſam ſuperficiem terræ: ideſt, ad terrenam miſeriam expiandam, quam nobis in hæreditatem primus ille peccator reliquerat. Volo ut Apoſtolus eum mihi in quatuor capita diſtribuat, quia ſecuriùs ejus expoſitionem ſuſcipio. Qui factus eſt nobis (inquit) ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio. Salvo igitur cuique (y) quod fortè ſublimius ſubtiliuſquè de Sponſi JESU unguentis ſpeciali munere ſentire ſibi & experiri donatum eſt: Ego quod de communi accepi, profero in commune. Ipſe ſiquidem fons vitæ, ipſe fons ſignatus de intra hortum concluſum erumpens per os Pauli fiſtulam ſuam, tanquam verè ſapientia (quæ juxtà beati Job ſententiam trahitur de occultis) in quatuor ſe rivos diffudit, & derivavit in plateas, ubi videlicet & aſſignat nobis eum factum à Deo Sapientiam, & Juſtitiam, & Sanctificationem, & Redemptionem. Ex his utique quatuor rivis tanquam pretioſiſſimis unguentis, (nil enim obſtat utrumque intelligi & aquam, &

Vu unctio-

---

s Serm. 2. de Nativ. Dom. tom. 6. pag. 615. t Serm. 2. de Virg. Deip. num. 4.
u Ibidem num. 3. x Serm. 2. de Nativ. Domini num. 8. tom. 6. pag. 618.
y Serm. 22. in Cant. num. 4.

unctionẽ: aquam, quia mundant; unctionem, quia fragrant) ex his inquam quatuor præmissis, tanquam unguentis pretiosissimis super montes aromatum de cœlestibus speciebus, confectis, tanta Ecclesiæ nares odoris suavitas replevit, ut mox à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine supernum properaret ad Sponsum, tanquam verè illa regina Austri festinans à finibus terræ audire sapientiam Salamonis, opinionis siquidem odore provocata. Sanè & Ecclesia (z) non ante currere valuit in odore sui Salamonis, quousquè is, qui ab æterno ex Patre Sapientia erat, factus est ei in tempore à Patre Sapientia, quo ipsius odorem percipere posset. Sic justitia, sic sanctificatio, sic & redemptio nihilominùs ei factus est, ut horum quoque in odore currere posset, cùm hæc æquè omnia in se ante omnia esset. Nam & in principio quidem erat Verbum, sed tunc demùm ad videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cùm nunciatum est factum. Denique & loquuntur adinvicem: Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et sequitur: Quia venerunt festinantes. Priùs non se movebant, dum Verbum erat tantùm apud Deum. At ubi Verbum quod erat, factum est, ubi hoc Dominus fecit & ostendit, tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt. Tunc prorsùs (*A*) odor ille qui in illo erat, sese ubique sparsit, adeout à finibus terræ ipsum sentiens clamaret Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum: currerentquè adolescentulæ in odore olei. Quomodò ergo (*b*) in principio erat Verbum sed Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet & apud homines: sic nihilominùs in principio Sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio, & redemptio, sed Angelis: ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique qui factus est (inquit Apostolus) nobis Sapientia à Deo, non ait simpliciter, qui factus est Sapientia, sed qui factus est nobis Sapientia: quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis. Idem quippe (*c*) & Angeli Salvator & hominis: sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.

At

z *Ibidem num. 5.* A *Serm. 60. in Cant. num. 8.* b *Serm. 22. in Cant. num. 5.*
c *Serm. 1. in Circumcis. D. m. num. 2.*

2. At Angelis, inquis, (*d*) quomodò redemptio fuerit? non video. Nec enim auctoritas Scripturarum uspiam assentire videtur eos aliquando aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios, ut necessariam haberent redemptionem; exceptis duntaxat illis, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes: illi quidem, quia nec lapsi sunt, hi autem, quia irrevocabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum JESUM Christum Angelis fuisse redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum. Denique (*e*) qui hominibus subvenit in necessitate, servavit Angelos à tali necessitate. Et qui homines diligendo tales fecit, ne tales remanerent: ipse æquè diligendo dedit & Angelis, ne tales fierent. Quæcunque enim (*f*) Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit. Neque enim Filius potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Neque sanè (*g*) potest esse aut Pater sine filio, aut sine Patre Filius, ipso Filio dicente: Ego in Patre & Pater in me est. Et iterum: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Liquet ergo (*h*) Sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem: & nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum liquet propter homines, qui invisibilia Dei nonnisi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio. *Sapientia* in prædicatione: *justitia* in absolutione peccatorum: *sanctificatio* in conversatione, quam habuit cum peccatoribus: *redemptio* in passione, quam sustinuit pro peccatoribus. Vbi ergo hæc à Deo factus est, tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit. Pro his omnibus (*i*) currimus post te Domine JESU, dimitte nos quia clamamus post te. Nec currimus æqua-

 liter

d Serm. 22. in Cant. n. 6. e Tract. de dilig. Deo cap. 1. f Serm. de B. M. Deip. num. 9. tom. 6. pag. 765. g Serm. 52. de div. num. 2. h Serm. 22. in Cant. num. 6. i Ibidem num. 10.

liter omnes in odore omnium unguentorum. Sed videamus alios vehementiùs studiis flagrare sapientiæ, alios magis ad pœnitentiam spe indulgentiæ animari, alios ampliùs ad virtutum exercitiū vitæ & conversationis ejus provocari exemplo, alios ad pietatem Passionis memoriâ plùs accendi. Putamus nos de singulis posse reperiri exempla? I. Currebant in odore *sapientiæ* qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi dicerent: Nunquam homo sic locutus est. Vtique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore S. Nicodemus, qui venit ad JESUM noctè, in splendore multo sapientiæ: de multis quippe instructus edoctusquè recessit. II. Verùm in odore *justitiæ* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Justa profectò & sancta, & non jam peccatrix, quemadmodùm Pharisæus exprobrabrat, nesciens justitiā seù sanctitatem Dei esse munus, non opus hominis: & quia non modò justus, sed & beatus cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat quomodò vel suam ipsius vel alterius corporalem tangendo lepram fugarat, non contraxerat? Sic tactus à peccatrice justus justitiam impertit, non perdit, seu sorde peccati quâ illam mundat, se inquinat. Currit & Publicanus, qui cum propitiationem peccatis suis humiliter imploraret, descendit justificatus, teste ipsa justitia. Cucurrit Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatenus culpam dilueret, recuperaret justitiā. Cucurrit David, qui reatum agnoscens & confitens audire meruit: Et Dominus transtulit à te peccatum tuum. III. In *sanctificationis* odore (k) Paulus currere sese testatur, cùm Christi se imitatorem esse gloriatur, dicens ad discipulos: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Omnia sanè dixerim (l) non tantùm possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plùs enim concupiscentia mundi quàm substantia nocet. Hortatur generaliter universos (m) ad eundem odorem ista sententia: Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse

k *Ibid. num. 11.* l *Tract. de Vita & mor. cler. cap. 8. num. 3.*
m *Serm. 33. in Cant. num. 18.*

ipſe ambulare. IV. Jam qui in odore cucurrerint *Paſſionis*, ſi audire vis, univerſos Martyres accipe. Superat tamen (*n*) omnes odores omnium virtutum uncti Jeſu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum ſuorum inæſtimabilem odorem effudit. Fracto enim alabaſtro mundiſſimi corporis virginalis dulcis Jeſu, effuſum eſt unguentum Sacratiſſimi Sangvinis. Vnde (*o*) tam delectabili odore inebriati non ſolùm viri naturâ fortiores, ſed & virgunculæ tenerrimæ currebant toto cordis affectu, omnibus viribus animi ad delicias Crucis. Inde Martyris tolerantia (*p*) inde illi magna fiducia apud Deum Altiſſimum. Non eſt quid vereatur Martyr exanguem lividamquè levare ad eum faciem, cujus livore ſanatus eſt, glorioſam repræſentare ſimilitudinem mortis ejus. Quid vereatur? cui etiam à Domino dicitur: Oſtende mihi faciem tuam? Ad quid? Vt mihi videtur, ſe magis oſtendere vult. Ita eſt, videri vult, non videre. Vult inquam videri, vult benignus dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triũphans toto licèt lacerto corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter ſed & alacriter ſacrũ è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempè in tuto, nempè in petra, nempe in viſceribus Jeſu, vulneribus nimirùm patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, ſi exul à corpore, dolores non ſentiat corporis? Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Charitas eſt oleum (*q*) quod omnem aſperitatem propria ſuavitate lætificat. Hoc oleo uncti Apoſtoli & Martyres, ſuaviſſimam reputabant mortis amaritudinem, & immenſam ſævitiam tormentorum. Charitas non ſolùm mortis & ſuppliciorum amaritudinem ſuavificat, ſed & ipſam mor-

n *Tract. de Vit. myſt. cap. 43. num. 161.* o *Ibid. num. 163.* p *Serm. 61. in Cant. num. 7. & 8.* q *Lib. 3. de amore Dei cap. 9. num. 37.*

mortem potentiſſimam morte mortificat. Ergo (r) ex petra Martyris fortitudo, indè planè potens ad bibendum calicem Domini. Et Calix hic inebrians quàm præclarus eſt. Præclarus inquam atque jucundus non minùs Imperatori Jeſu ſpectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium enim Domini fortitudo noſtra. En quatuor unguenta aſſignata habetis (s) primum *ſapientiæ*, ſecundum *juſtitiæ*, tertium *ſanctificationis*, quartum *redemptionis*. Tenete omnia, percipite fructum: & compoſitionis modum vel numerum ſpecierum, quibus confecta ſunt, nolite requirere. Non enim facilè in Sponſi Jeſu unguentis hæc præſtò eſſe poſſunt nobis. In Chriſto nempè rerum plenitudo eſt ſine numero & ſine modo. Nam & Sapientiæ ejus non eſt numerus: & juſtitia ipſius ſicut montes Dei, ſicut montes æterni: & ſanctitas ſingularis: & redemptio inexplicabilis. Quis enim dignè penſet (t) quantæ fuerit humilitatis, manſuetudinis, dignationis, Dominum majeſtatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Attamen (u) videte quadrifariã unctionem, videte affluentiſſimam atque inæſtimabilem ſuavitatem ejus, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Sedebas o homo, in tenebroſis & umbra mortis per ignorantiam veritatis, ſedebas vinctus catenis delictorum. Deſcendit ad te in carcerem, non ut torqueret, ſed ut erueret de poteſtate tenebrarum. Et *primò* quidem veritatis Doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ, luce *ſapientiæ* ſuæ. *Secundò* per *juſtitiam* quæ ex fide eſt, ſolvit funes peccatorum, gratis juſtificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit ſermonem illum Sancti David: Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cœcos. *Tertiò* addidit quoque *ſanctè* inter peccatores vivere, & ſic tradere formam vitæ tanquam viæ, quâ redires ad patriam. *Quartò* ad cumulum pietatis tradidit in mortem animam ſuam, & de proprio latere protulit pretium *ſatisfactionis*, quo placeeret Patrem: per quod illum planè ad ſe verſiculum traxit: Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Prorsùs copioſa, quia non gutta ſed unda ſanguinis largiter per quinque partes corpo-

r *Serm. 61. in Cant. num. 8.* s *Serm. 22. in Cant. n. 11.* t *Serm. 11. in Cant. n. 7.*
u *Serm. 22. in Cant. num. 7.*

corporis emanavit. Quid (x) tibi debuit facere o homo, & non fecit? Illuminavit cœcum, solvit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non post illum libenter atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata dissimulat; qui deinde merita vivendo tradit, præmia moriendo conquirit? Quam excusationem habet qui in odore horum unguentorum non currit, nisi ad quem fortè odor minimè pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ: quoniam misericordia Domini plena est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo qui vitalem hanc sparsam ubique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putidus. Fragrantia fama est, prævenit opinionis odor, excitat ad currendum, perducit ad unctionis experimentum, ad bravium visionis. Vox una lætantium, omnium pervenientium: Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum. Omninò propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Jesu, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem Latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in theloneo, non supplicantem publicanum, non negantem Discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus. Porrò *sapientiæ* tuæ odorem ex eo percipimus, quòd audivimus, quia si quis indiget sapientiâ, postulet eam à te, & dabis ei. Ajunt siquidem quòd des omnibus affluenter, & non improperes. At verò *justitiæ* tuæ tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solùm justus, sed etiam ipsa dicaris iustitia, & iustitia iustificans. Tam validus denique es ad iustificandum, quàm multus ad ignoscendum. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iustitiam, credat in te qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. *Sanctitatem* quoque suavissimè & copiosissimè tua redolet non solùm conversatio, sed & conceptio. Peccatum siquidem non commisisti, nec contraxisti. Qui ergo justificati à peccatis sectari desiderant deliberantquè sanctimoniam, sine qua

x *Ibidem num.* 8.

qua nemo videbit Deum, audiant te clamantem: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum. Considerent vias tuas, & discant à te, quia justus sis in omnibus viis tuis, & Sanctus in operibus tuis. Jam (y) *redemptionis* odor quantos currere facit? Cùm exaltaris à terra, tunc prorsùs omnia trahis ad teipsum. Passio tua ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, Passio succurrit. Quis enim de sua vel sapientia, vel justitia, vel sanctitate præsumat sufficientiam cogitare ad salutem? Non quòd sufficientes (inquit Apostolus) simus cogitare à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Itaquè cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, scio quid faciam. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Illumina oculos meos Domine, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, & *sapiens* sum. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, & *justus* sum. Deduc me Domine in via tua, & *sanctus* sum. Verumtamen nisi interpellat sanguis tuus pro me, *salvus* non sum. Dicendum & hoc: (z) Quia frustrà hujus sæculi Sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverũt, quas tamen apprehendere nequiverunt: cùm illum nescierint, qui factus est nobis à Deo *sapientia* docens prudentiam, & *justitia* delicta donans, & *sanctificatio* in exemplum temperantiæ continenter vivens, & *redemtio* in exemplum *patientiæ* fortiter moriens. Forsitan dicit aliquis: Cætera benè conveniunt, sed sanctificatio ad temperantiam minùs propriè referri videtur? Ad quod respondetur primùm, id esse continentiam, quod temperantiam. Deindè, usitatum in Scripturis sanctificationem pro continentia seu munditia poni. Denique quid illæ apud Moysen tam crebræ sanctificationes aliud erant, quàm quædam purificationes hominum temperantium se à cibo, à potu, à concubitu, hisquè similibus? &c. Educto itaque in lucem (A) quod subobscurũ videbatur, redeo ad id unde digressus eram. Quid vobiscum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Vbi nam quæso vera *prudentia* nisi in Christi doctrina? Vnde vera *justitia* nisi de Christi misericordia? Vbi vera *temperantia*

y *Ibid. num.* 9. z *Ibidem num.* 12. A *Ibidem num.* 13.

perantia nisi in Christi vita? Vbi vera *fortitudo* nisi in Christi Passione? Soli ergo, qui ejus doctrinâ imbuti sunt, *prudentes* dicendi sunt: soli *justi*, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt: soli *temperantes*, qui ejus vitam imitari student: soli *fortes*, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. In cassum proindè quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum, cujus *doctrina*, seminarium prudentiæ: cujus *misericordia*, opus justitiæ: cujus *vita*, speculum temperantiæ: cujus *mors*, insigne est fortitudinis.

CAPUT XIII.

De quadruplici fructu Incarnationis Dominicæ.

1. *In Virginis utero Rex cœli & terræ exinanitus est, ut ejus paupertate locupletetur triplici bono, triplex potentia animæ nostræ, ratio videlicet, memoria, & voluntas.* 2. *Ibi excelsus humiliatus est, ut ejus humilitate sublevemur, idest, ut ad Paradisum cœlestem reportemur.* 3. *Ibi immensus abbreviatus est, ut omnes ejus minoratione magnificemur, idest, ut in filios Dei adoptemur.* 4. *Ibi verus Deus & Dei Filius incarnatus est, ut omnes ejus Incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo.*

QUidquid (*b*) in Divinitatis thesauro pietatis est inventum, totum in utero Virginis congestũ fuit. Hæc est (*c*) unica illa Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiẽ invenit, atq; in ejus sinum omnes thesauros suos absq; mensura transfudit: ut proinde (*d*) si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Benedicta tu in mulieribus (*e*) & benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omniũ quidem mentes te mediante pervenit. Fructus inquam (*f*)

 ven-

b *Serm.2. de Nativit.Dom.num.5.tom.6.pag.610.* c *Serm.3.de Virg.Deip.num.2.*
d *Serm.2.de Virg.Deip.num.6.* e *Serm.3.de Annunt.B.M.num 8.*
f *Serm.87. de div. num.3.*

ventris tui Incarnatio eſt Verbi. In te ſola (*g*) Rex ille dives & prædives exinanitus eſt, in cujus ſiniſtra (*h*) divitiæ & gloria, in dextera longiturnitas vitæ: horum omnium æterna in Cœlis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei filius concupiſcens, deſcendit ut eam eligeret ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faceret pretioſam. Inuenimus enim (*i*) quoniam ille cùm eſſet dives, propter nos pauper factus eſt. Deſcendit ab inenarrabilibus divitiis,& veniens in mundum,nec iſtas qualeſcunque diuitias habere voluit, ſed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præſepio,quia ei non erat locus in diuerſorio. Denique quis neſciat quoniam filius non habebat ubi caput ſuum reclinaret. Sed (*k*) quo fructu Rex ille diues exinanitus eſt? Nempè ut eius paupertate locupletemur. Illius ſiquidem (*l*) exinanitio,facta eſt repletio noſtra. In opere noſtræ redemptionis (*m*) duo potiſſimum, quæ nunc occurrunt, veſtris ſtudiis intimare curabo. Duo ergo illa, ſunt *modus* & *fructus*. Et *modus* quidem Dei *exinanitio* eſt: fructus verò noſtri de illo *repletio*. Hoc meditari ſanctæ ſpei ſeminarium eſt: illud ſummi amoris incentiuum. Vtrumque profectibus noſtris neceſſarium, nè aut ſpes mercenaria ſit,ſi amore non comitetur: aut amor tepeſcat, ſi infructuoſus putetur. Porrò *fructum* talem expectamus noſtri amoris, qualem ipſe quem amamus, promiſit, Menſuram, inquiens,plenam,& cõfertam,& cogitatam, & ſuperfluentem, dabunt in ſinum veſtrum. Menſura iſta (ut audio) erit ſine menſura. Sed velim ſcire cujus rei futura ſit illa menſura,vel potiùs illa immenſitas quæ repromittitur. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus, revera ſic promittis: Replebimur in bonis domus tuæ. Sed quibus,quæſo,bonis vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro, atque argento, lapidibuſquè precioſis? Sed hæc novimus & vidimus, & videmus & faſtidimus. Id quærimus,

quod

---

g *Serm.3.de Anunt.B.M.num.*8. h *Serm.*1.*in Vig.Nat.Dom. num.*5. i *Serm.*3. *de Reſurrect.*Dom.*num.*1. k *Serm.*3.*de Annunt.B.M.nu.*8. l *Serm.*4.*de Aſſump. B.M.num.*1. m *Serm.*11.*in Cant.num.*3.*&* 4.

quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Hoc placet, hoc ſapit, hoc delectat inquirere, quodcunque eſt illud. Erunt (inquit Joannes) omnes docibiles Dei, & ipſe erit omnia in omnibus. Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit niſi de Deo. Quis verò comprehendat (n) quàm magna multitudo dulcedinis in brevi iſto ſermone comprehenſa ſit? Erit Deus omnia in omnibus? Vt de corpore taceam, in anima tria intueor: *Rationem*, *Voluntatem*, *Memoriam*: & hæc tria ipſam animam eſſe. Quantùm cuique horum in præſenti ſeculo deſit de integritate ſua & perfectione, ſentit omnis qui ambulat in ſpiritu. Quare hoc, niſi quia Deus nondum eſt omnia in omnibus? Hinc eſt quòd & *Ratio* ſæpiſſimè fallitur in judiciis: & *Voluntas* quadruplici perturbatione jactatur: & *Memoria* multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura ſubjecta eſt non volens, in ſpe tamen eſt. Nam qui replet in bonis deſiderium animæ, ipſe *Rationi* futurus eſt plenitudo lucis: ipſe *Voluntati* multitudo pacis: ipſe *Memoriæ* continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat, quoniam à te infeliciter exulat. Diſcendens à te quantis ſe intricavit *erroribus*, *doloribus*, *timoribus*. Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem? Cor meum conturbatũ eſt, & inde *dolor*: dereliquit me virtus mea, & inde *pavor*: & lumen oculorum meorum non eſt mecum, & inde *error*. En quàm diſſimilem Trinitatem ô animæ meæ trinitas exulans offendiſti. Verumtamen (o) quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniã adhuc confitebor illi: cùm error videlicet à Ratione, à Volũtate dolor, atque à Memoria timor omnis receſſerit: & ſucceſſerit illa quam ſperamus, mira ſerenitas, plena ſuavitas, æterna ſecuritas. *Primum* illud faciet veritas Deus, *ſecundum* charitas Deus, *tertium* ſumma poteſtas Deus: ut ſit Deus omnia in omnibus; *Ratione* recipiente lucem inextinguibilem, *Voluntate* pacem imperturbabilem conſequente, *Memoriâ* fonti indeficienti æternaliter inhærente. Videritis vos, rectène primum illud Filio, Spiritui Sancto ſequens, Patri

n *Ibidem num.5.* o *Ibidem num.6.*

tri ultimum assignetis: sic tamen ut nihil horum vel Patri, vel Filio, vel Spiritui Sancto, subtrahatis: nè cui fortè Personarum aut plenitudinem minuat distinctio, aut proprietatem tollat perfectio. Hæc de redemptionis fructu. In modo quoque (p) quem (si recolitis) Dei esse exinanitionem diffinivimus, tria item præcipuè vobis intuenda commendo. Non enim simplex aut modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinanivit usque ad *carnem*, ad *mortem*, ad *crucem*. Et vos ergo, fratres charissimi (q) exinanite vos, humiliate vos, seminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & resurget corpus spirituale. Perdite animas vestras, & in vitam æternam servabitis eas. Vultis nosse quomodò id fecerit Apostolus ipse qui docuit? Sive, inquit, mente excedimus, Deo: sivè sobrii sumus, vobis. Quid ergo tibi? Ego, inquit, factus sum tanquam vas perditum. Benè seipsum perdit, qui nihil unquã pro se facit: sed omnis ejus intentio, & omne desideriũ tendit ad Dei placitum, & utilitatem fratrum suorum. Ille (r) cui cælestia & terrestria serviunt, pauper pro nobis factus est. Quare? Vt nos sua paupertate faceret divites. Tu ergo ambula per hanc viã, quâ processit JESUS CHRISTUS, & passibus indefessis sequere cœlestem Ducem. Vis obtinere cœlum (s) quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Quærat divitias Paganus, (t) qui sine Deo vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquàm Christus beatos esse pauperes prædicavit? Est verè (u) magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis, & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri.

2. Benedicta tu in mulieribus (x) & benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. In te sola Excelsus humiliatus est. Sed quo fructu? Nempè ut ejus humilitate sublevemur. Videbat quippe Dominus (y) quantum

p *Ibidem. num. 7.* q *Serm. de S. Bened. num. 8.* r *Lib. ad pror. cap. 46. num. 111.* s *Serm. 1. de omn. Sanct. num. 8.* t *Ibidem nu. 7.* u *Serm. 3. de Resur. Dom. num. 1.* x *Serm. 3. de Annunt. B. M. num. 8.* y *Lib. 2. de Amor. Dei cap. 11. num. 34.*

tùm ad hominem omnia confuſa, omnia turbata: nihil ſtare in loco ſuo, nihil procedere ordine ſuo: videbat hominem abiiſſe in regionem diſſimilitudinis tàm longè, ut per ſe non ſciret, nec poſſet redire. Angelus enim præſumpſerat ſimilitudinem Dei, dicens: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo. Homo ſimiliter Deus eſſe voluit, cui perſuaſum erat eſſe ſicut dii. Ergone (inquit Deus Pater) Filius meus, ſplendor gloriæ meæ, & figura ſubſtantiæ meæ, in ipſa mei ſimilitudine tot æmulos habebit, & pares, & ſocios? Præcipitatus eſt uterque. Videns imago Dei Deus Filius Angelum & hominem (qui facti erant ad imaginem Dei, non tamen quod ipſa, ideſt imago Dei) per inordinatum imaginis & ſimilitudinis ejus appetitum periiſſe: Heu, inquit, ſola miſeria caret invidiâ: ſed ſubveniendũ eſt homini, cui ſubvenire non prohibet juſtitia. Exhibeo me igitur bonum hominem, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: ut zelet & imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam præproperè feſtinat: & poſſit audire à me: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Accinxit ergo ſe (z) quodammodò Dei Filius, & aggreſſus eſt per humilitatem recuperare eum qui recuperari poterat, qui per ſuperbiam perierat. Miſer homo (A) de terra terrenus, ſemper gibbus, ſemper proclivus, ſemper æger, ſemper infirmus, ad gaudia Paradiſi unde expulſus fuerat, per ſe redire non poterat, nec ad veritatem & vitam quod Deus eſt, per ſe aſcendere valebat. Sed venit Verbum in carnem, Deus ad hominem, Verbum caro factum eſt, & Deus factus eſt homo. Inclinavit ſe Verbum ad carnem, Deus ad hominem: & ſic genus humanum nõ ſolùm ad Paradiſum, ſed etiam portavit ad Cęlum, ubi eſt eſſe verum & eſſe ęternum, veritas quæ ſemper fuit & erit, vita beata & ſemper beata, quę nec principium habuit nec habebit finem. Vnde nobis terrigenis Homo Deus factus eſt via, & nos perduxit ad veritatem & vitam, ad ſe videlicet Deum & Hominem: & hoc eſt quod dicit: Nemo venit ad Patrem niſi per me: ac ſi diceret: Nemo venit ad me Deum, niſi per me hominem, hominem à Verbo aſſumptum: nemo ve-

z *Ibidem cap.12.num.35.* A *Serm.7.in ult.Can.num.47.tom.6.pag.675.*

venit ad Patrem, nisi per me, qui sum Homo & unus Deus cum Patre. Iste talis ac tãtus(*b*)Dñs Jesus dixit discipulis suis, & per eos cũctis fidelibus suis: Manete in me, & ego manebo in vobis. O quàm magna sublimitas! ô magnę sublimitatis auctoritas, hominem habitare cum Angelis, terram & pulverem elevari in cœlos, hominem tolli de stercore jumentorum, & aggregari cœtibus Angelorum: imò creaturam manere in Creatore, facturam in Factore, redemptum in Redemptore: servum in Domino, peccatorem in Justo, factum ex limo, in eo qui omnia fecit ex nihilo: transitorium in Æterno, miserum in summè Beato. Non me capio præ lætitia (*c*) quòd tanta majestas naturam meam assumens, tantùm me elevat, & me miserum in divitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternũ includit. Quia ergo(*d*)Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: caro factus est carnalibus, sicut Spiritus Angelicis spiritibus. Agnoscat quoq; eum caro in carne, hominẽ in homine. Agnoscat inquam & imitetur, ut eum videre mereatur in Majestate: quia per humilitatem pertinget ad sublimitatem. Licet enim(*e*)multæ sint causæ quæ nos ad humilitatem cogant, scilicet initium pudorosum, vita dolorosa, finis timorosus, metus gehennę, spes cęlestium: nihilominus his cũ aliis causis si quæ sunt cessantibus, sola Regis nostri ac Redemptoris dulcissimi & optimi Jesu humilitas, ad humilitatis virtutẽ nos non solùm incitare, sed violenter cogere deberet. Discite, ait, à me (*f*) non quòd sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi, sed quia mitis sum, & humilis corde. A me, inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto: sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, & fœmina: Ille potentiæ, ista scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me quia mitis sum, & humilis corde. Obsecro proinde (*g*) & plurimùm rogo, fratres, non patiamini sine causa tam preciosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosquè virtutum.

Se-

---

b *Serm. 11. in ult. Can. num. 83.* c *Serm. 2. de Nat. Dom. nu. 5. tom. 6. pag. 611.* d *Serm. de verb. Sapientiæ n. 6. tom. 6. pag 771.* e *Tract. de vit. myst. cap. 17. nu. 72.* f *Tract. de mor. & offic. Episc. cap. 5. num. 18.* g *Serm. 1. de Nativ. Dom. num. 1.*

Sectamini illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultrà apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.

3. Benedicta tu in mulieribus (*h*) & benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui eſt, ſed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. In te ſola *Immenſus abbreviatus, & ab Angelis minoratus eſt*. Sed quo fructu? Nempè ut omnes ejus minoratione magnificemur. Quare (*i*) Filius Dei factus eſt homo, niſi ut homines faceret filios Dei? Voluntati autem ejus quis reſiſtet? Filius Dei qui exaltat, quis eſt qui humiliet? Naſcitur Filius Dei: exultet qui magna deſiderare ſolet, quia magnus numerator advenit. Hic eſt hæres: devotè ſuſcipiamus eum, ſic enim & hæreditas noſtra erit. Qui enim proprium Filium dedit, quomodò non omnia nobis ſimul cum illo donavit? Nemo diſcredat, nemo hæſitet, habemus teſtimonium credibile nimis: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Fratres habere voluit Vnigenitus Dei, ut eſſet in multis fratribus primogenitus ipſe. Vtiq; nihil hæſitet ipſa puſillanimitas fragilitatis humanæ: priùs ipſe factus eſt hominũ frater, factus eſt hominis filius, factus eſt homo. Vnde (*k*) ſponſa ait: Sicut malus inter ligna ſylvarũ, ſic dilectus meus inter filios. Et benè inter filios, quia cùm eſſet Vnicus Patris ſui, multos illi & abſque invidia filios acquirere ſtuduit, quos non confunditur vocare fratres, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Jure autem præponitur univerſis adoptatis per gratiam is, qui per naturam Filius eſt. Neque (*l*) indignum eſt Deo eorum fieri Patrem, quorum ſe Chriſtus fecerit fratrem. Hinc eſt quòd Beatus Joannes (qui ſæpiùs nobis ac ſtudioſiùs hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipſo quoque Evangelii ſui principio, Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sic nimirùm manifeſta fit ſermonis illius veritas, quem ait Apoſtolus: Quos præſcivit, inquit, (haud

h *Serm. 3. de Annunt. B. M. num. 8.* i *Serm. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 2. & 3.*
k *Serm. 48. in Cant. num. 5.* l *Serm. 1. in oct. Paſch. num. 1. & 2.*

(haud dubium quin Deus Pater) & præſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui. Vide conformationem. Poſt ipſum adoptamur, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Fide autem in Dei filios adoptamur. Qui ſunt illi? *(m)* Non ſervi carnis, ſed filii Dei. Vultis cognoſcere filios Dei? Qui ſpiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum ſunt Spiritus Sancti, quem à Deo acceperunt: ut jam non ſint ſui, nec ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Beati pacifici *(n)* quoniam filii Dei vocabuntur. Meritò filii nomine vocabuntur, qui Filii opus impleverint. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis: ideoquè filios pacis, Dei quoque filios dignum eſt appellari. Quanta *(o)* dignatio Dei, Patrem hominum eſſe? quanta hominum gloria, Dei filios eſſe, & hæredes? Nam ſi filii, & hæredes. Hæredes quidem Dei *(p)* cohæredes autem Chriſti: ut (quemadmodùm dicit Joannes) ubi ipſe eſt, ibi ſit & miniſter ſuus. Exultate *(q)* quicunque eſtis grandia concupiſcentes, deſcendit ad vos Filius Dei, ut regni ſui faciat cohæredes. Regnum Dei conceditur, *(r)* promittitur, oſtenditur, percipitur. Conceditur in prædeſtinatione, promittitur in vocatione, oſtenditur in juſtificatione, in glorificatione percipitur. Vnde eſt illud: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apoſtolus: Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, illos & magnificavit. In prædeſtinatione eſt gratia: in vocatione potentia: in juſtificanetio lætitia: in magnificatione eſt gloria. Hinc *(s)* noſtrã hanc patriã cœleſtem à longè ſalutantes, triplicem quandã odorari videmur repromiſſionem, *potentiæ* ſcilicet, & *magnificentiæ*, & *gloriæ*. Siquidem homo erat & filius captivitatis hujus, qui dicebat: Introibo in potentias Domini. Cæterùm nos ſcire poſſumus quid ſit infirmitate carere, tanquam infirmitate circumdati: quid verò ſit virtute indui, & potentiam introire, nec modò potentiam, ſed & multam potentiam, fortè & omnipotentiam, interim ſcire non poſſumus. Clamat etiam teſtis fidelis: Quia quos juſtificavit, illos & magnificavit. At magnificentiam eam præſertim quam procedere deceat à magni-

m *Epiſt.385.num.4.* n *Serm.1.de omn.Sanct.num.14.* o *Serm.26.in Cant.num.15.* p *Tract.de converſ.ad Cleric.cap.18.num.31.* q *Serm.1.in Vig.Nat.Dom.num.2.* r *Serm.21.de div.num.1.* s *Serm.4.de Dedicat.Temp.num.6.*

magnitudine (cuius nec finis nec numerus est) utinam nostræ interim exiguitati liceat expectare, nam æstimare non licet. Jam verò nè ipsius quidem vereri necesse est, aut habere suspectam gloriæ promissionem, feliciter tunc & fiducialiter hauries gloriam, à cujus interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus à Deo, secura certè & sempiterna, finis pariter & descriminis expers, & ut scriptum est: Jucunda decoraquè laudatio. Murmuret jam (t) quantùm voluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria? quibusvè meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me: quia verax in promissione: quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hanc carcerem usque demissum firmiter, obsecro, teneamus: ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat, & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in sæcula. Quia dignum valdè est, (u) & omninò exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant, nè parato regno inveniantur forsitan qui regnaturi fuerant, imparati. Sic enim legimus de cœna quadam, dicente Domino: Quoniam quidem cœna parata est, sed qui vocati erant, non fuerunt digni.

4. Benedicta tu in mulieribus (x) & benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. In te sola verus Deus & Dei Filius incarnatus est. Sed quo fructu? Nempè ut omnes ejus Incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. Etenim (y) si adhærens carni Verbum, factum est caro: multò magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. A rationalibus quidem (z) omnibus creaturis Deus capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiæ subdunt, ut Deum

t Serm. 3. in Dom. 6. post Pent. num. 7. u Serm. 28. de div. nu. 1. x Serm. 3. de Annunt. B. M. num. 8. y Serm. 2. de Nativit. Dom. num. 6. z Serm. 3. super missus num. 4.

non dedeceat velle, quod ipsi volunt: per hoc quòd ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. Talis cõformitas (*A*) maritat animam Verbo, cùm cui videlicet similis est per naturã, similem nihilominùs ipsi se exhibet per voluntatem, diligẽs sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius charitate? quâ fit ut humano magisterio non contenta, per temet ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesq; de omni re, quantùm intellectu capax, tantùm audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parùm dixi, contractus: complexus est. Complexus planè, ubi idem velle & nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Nec verendum, nè disparitas personarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippè amor non ab honorando denominatur. Noli mirari hoc, (*b*) & manducat nos, & manducatur à nobis, quò arctiùs illi adstringamur. Non sanè aliàs perfectè unimur illi. Nam si manduco & non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta unitio in uno quovis horum. Si enim manducet me, ut habeat me in se: & à me vicissim manducetur, ut sit in me, quatenus integra firmaquè sit connexio, cùm ego in eo, & nihilominùs in me ipse erit. Vis tibi persimile (*c*) ostendam quod dicitur? Attolle oculos nunc in quandam sublimiorem quidem rerum convenientiam, similem tamen huic. Si ipse Sponsus (Christus) in Patre ita esset, ut non tamen in ipso Pater, aut ita Pater in ipso esset, ut non esset ipse in Patre: audeo dicere, & ipsorum citra perfectum unitas remanet, si tamen jam unitas esset. Nunc verò cùm & ipse in Patre, & Pater in ipso sit, non est quo claudicet unitas, sed verè perfecteque unum sunt ipse & Pater. Sic igitur anima cui adhærere Deo bonum est, non ante se existimet ipsi perfectè unitam, nisi cùm & illum in se, & se in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt Pater & Filius: quamvis qui adhæret Deo,

A. *Serm.83.in Cant.num.3.* b. *Serm.71.in Cant.num.5.* c *Ibidem num.6.*

Deo, unus ſpiritus eſt. Legi hoc,ſed illud non legi. Non dico de me qui nihil ſum, ſed planè nemo niſi demens ſive de terra ſive de cęlo uſurpabit ſibi illam Vnigeniti vocem: Ego & Pater unum ſumus. Et tamen ego licet pulvis & cinis, fretus quidem Scripturæ auctoritate minimè illud dicere verear, quia unus cum Deo ſpiritus ſum: ſi unquam tamen certis fuero perſuaſus experimentis Deo me adhærere inſtar unius illorum, qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo. Nam de tali adhæſione puto dictum: Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Quid ergo? Dicit Filius: Ego in Patre, & Pater in me eſt, & unum ſumus. Dicit homo: Ego in Deo, & Deus in me eſt, & unus ſpiritus ſumus. Sed nunquid Pater & Filius *(d)* ut ſint ininvicem ac proinde unum, invicem ſe manducant, ſicut Deus & homo mutua ſe quadam in ſeſe manducatione trajiciunt, ut per hoc etſi non unum, unus certè ſpiritus ſint? Abſit. Nec enim uno modo inſunt ſibi hi, atque illi, ſed neque una unitas utrorumque. Denique innuitur tibi unitatum diverſitas per *unus* & *unum*, quoniam nec Patri & Filio unus, nec homini & Deo *unum* poterit convenire. Tu ſi ſapis occaſione accepta eris ſapientior, prudenter advertens illic quidem per *unum* unitatem ſubſtantiæ vel naturæ, hîc verò per *unus* æquè unitatem: ſed ideo longè alteram, quia inter ſubſtantias & naturas, homini nempè & Deo ſua cuique & natura & ſubſtantia eſt, cùm Patris Filiiquè conſtet penitùs eſſe unam. Vides illam nec unitatem eſſe, ſiquidem huic ſingulari ſummæquè unitati comparetur? Nam quomodò unitas, ubi numerus naturarũ, ſubſtantiarum diverſitas? Et tamen unus ſpiritus dicitur, & eſt cum Deo adhærens Deo: nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confuſio naturarũ, ſed voluntatum conſenſio. Propter hanc quoque multa corda *unum*, & multæ animæ *una* dicuntur, ſicut ſcriptum eſt: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Porrò *(e)* per charitatem homo in Deo, & Deus in homine eſt, dicente Ioanne: Quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Conſenſio quædam hæc, ut ſint duo in uno ſpiritu, imò unus ſpiritus ſint. Felix

d Ibidem num.7. e Ibidem num.8.

anima (*f*) cui tantæ ſuavitatis complexum experiri donatum eſt. Quod non eſt aliud, quàm amor ſanctus & caſtus, amor ſuavis & dulcis, amor tantæ ſerenitatis, quantæ ſinceritatis, amor mutuus, intimus, validuſquè, qui non in carne una, ſed uno planè in ſpiritu duos jungat, duos faciat jam non duos ſed unum, Paulo ſic dicente: Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt. Quam quidem unitatem (*g*) non tam eſſentiarum cohærentia facit, quàm conniventia voluntatum.

CAPUT XIV.

De præcipuis rationibus Adventûs, ſive Incarnationis Dominicæ.

Quæritur, Ad quid venit, ſive incarnatus eſt Filius Dei?

1. Venit ad quærendam ovem centeſimam, quæ erraverat. 2. Venit ut miſerias hominum experimento ſciret, & ſic miſericors fieret. 3. Chriſtus tamen nullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo agnoverat diem Judicii. 4. Venit ad ſalvandum genus humanum.

1. DILIGENTER penſate (*h*) rationem Adventûs Domini, quærentes nimirùm, Ad quid venit? Laudabilis ſine dubio curioſitas iſta eſt & ſalubris: neque enim tam devotè Eccleſia univerſa celebraret Adventum Domini, niſi lateret in eo magnum aliquod Sacramentum. Ad quid ergo (*i*) veniſſe credendus eſt Dominus? Nec ſanè laborandum eſt in hac parte, cùm manifeſtè Adventûs ejus cauſam, & verba ipſius & opera clament. Ad quærendam quippe ovem centeſimam quæ erraverat, de montibus properavit: & ut confiteantur manifeſtiùs Domino miſericordiæ

f *Serm.83.in Cant.n.6.* g *Serm.71.in Cant.n.9.* h *Serm.4.de Adv.Dom.n.1.*
i *Ibidem num.7.*

diæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit. Quæ eſt autem ovis centeſima (*k*) quæ erravit, & in Pſalmo loquitur, Erravi ſicut ovis quæ periit? Utique genus humanum, quod benigniſſimus Paſtor quærit, aliis ſanè nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. Mira quærentis Dei dignatio (*l*) magna dignitas hominis ſic quæſiti. In qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens: non quòd aliquid eſſe videatur tanquam à ſe ipſo, ſed quòd tanti eum fecerit ipſe qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiſcitur, minùs eſt ad hanc gloriam, immò nec eſt aliquid in comparatione ejus. Domine, quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Veniſti (*m*) ad oves quæ perierant domus Iſrael, divini verbi lampadem extollens palàm ad illuminationem Orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, ſermonē ſequentibus ſignis confirmaſti, Virtutē divinitatis in cunctis oſtendiſti malè habentibus, & omnes omnibus Gentibus gratias exhibens, quæ ſaluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceres. Sed obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, Domine, & projecerunt ſermones tuos retrorsùm, neque attenderunt ad omnia mirabilia tua Domine, quæ operatus es in eis, exceptis perpaucis nobilibus athletis, quos inter infirma mundi elegiſti & abjecta, ut per ipſos fortia & alta mirificè expugnares. Nec ſolùm ingrati gratuitis beneficiis tuis extitêre, ſed contumeliis affecerunt te Dominum dominantium, & fecerunt tibi quæcunque voluerunt. O fatuam ſponſam Synagogam (*n*) quæ contemnens Dei juſtitiam, ideſt, gratiam Sponſi ſui, & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubjecta. Ob hoc miſera repudiata eſt, & jam non eſt ſponſa, ſed Eccleſia cui dicitur: Deſponſavi te mihi in fide. Deſponſavi te mihi in iudicio, & iuſtitia. Deſponſavi te mihi in miſericordia & miſerationibus. Ita planè. (*o*) Ipſa eſt enim Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus, Omnia, inquit, propter electos. Et cui dubium quòd gratia & miſericordia Dei ſit in Sanctos eius, & reſpe-

k *Serm. 2. de Aduentu Domini num. 2.* l *Serm. 1. de Aduentu Domini num. 7.* m *Serm. de Paſs. Domini num. 6.* n *Serm. 67. in Cant. num. 11.* o *Serm. 68. in Cant. num. 2.*

respectus in electos illius? Nonne hæc est ovis errans *(p)* cujus cura etiam supernorum curæ gregum prælata est? Denique illis expositis, Pastor descendit ad istam, quæsivit diligenter, inventam non reduxit, sed revexit: nova cum illa & de illa intulit Cœlis festa gaudiorum, populis Angelorum invitatis ad solennitatem. Quid ergo? Propriis humeris dignatus est eam reportare, & curam illius non habebit? Ideo non confunditur dicere: Dominus solicitus est mei. Nec se existimat errare cùm item dicit: Dominus retribuet pro me. Inde est quòd Dominum Sabaoth dilectum suum dicit, & eum qui cum tranquillitate iudicat omnia, sibi intendere gloriatur. Quidni glorietur? Audivit illum dicentem sibi: Nunquid mater potest oblivisci ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Denique oculi Domini super iustos. Et quid Sponsa Ecclesia, nisi congregatio iustorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Sponsi? Nonne enim ille intendit huic, & non ista illi? Propterea utrumque ponit dicens: Dilectus meus mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus & misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille meæ liberationi: ego illius honori. Ille saluti meæ: ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri, quoniam una sum columba ejus: ego illi & non alteri, nec enim audio vocem alienorū. Hæc profectò Ecclesia charissima est, *(q)* una uni, non adhærens alteri sponso, non cedens alteri sponsæ. Quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? Quid non ab illo speret, qui se quæsivit è cœlo, vocavit à finibus terræ? Nec modò quæsivit, sed acquisivit. Adde & de modo acquisitionis in sangvine acquisitoris. Totus siquidem *(r)* mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Bonus Pastor *(s)* qui animam suam dat pro ovibus suis. Animam pro illis, carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Res mira. Ipse Pastor, ipse pascua est, ipse redemptio. Bonus denique minister *(t)* qui carnem suam in cibum, sangvinem in potum, animam ministravit in precium.

2. Venit Verbum ad carnem *(u)* Deus ad hominem.

Ver-

p *Ibidem num.3.* q *Ibidem num.4.* r *Serm.3. de Circumcis. Domini num.4.*
s *Serm.31.in Cant.num.11.* t *Serm.54.in Cant.num.1.*
u *Serm.7.in Cœna ult. num. 47.*

Verbum Caro factum est, & Deus factus est homo: inclinavit se Verbum ad carnem, Deus ad hominem. Si quæris qua necessitate? (x) Vt misericors (inquit Apostolus) fieret. Et Sponsa ait: En ipse stat post parietem (y) respiciens post fenestras, prospiciens per cancellos. Appropiavit parieti, cùm adhæsit carni. Caro, paries est: & appropiatio Sponsi, Verbi Incarnatio. Porrò cancellos & fenestras per quas prospicere perhibetur, sensus (ut opinor) carnis & humanos didicit affectus, per quos experimentum cœpit omnium humanarum necessitatum. Denique languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Humanis ergo affectionibus, sensibusquè corporeis pro foraminibus usus est & fenestris, ut miserias hominum Homo factus experimento sciret, & misericors fieret. Sciebat & ante, sed aliter. Sciebat denique virtutem obediendi ipse Dominus virtutum: & tamen teste Apostolo, didicit ex his quæ passus est, obedientiam. In hunc modum & misericordiam didicit, etsi misericordia Domini ab æterno. Docet hoc quoque idem gentium Doctor, ubi eum asserit tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret. Videsne factum esse quod erat, & quod noverat didicisse, & sibi apud nos quæsisse rimas & fenestras, per quas calamitates nostras diligentiùs exploraret? Tot autem in nostro ruinoso & pleno rimarum pariete invenit foramina, quot nostræ infirmitatis & corruptionis in suo corpore sensit experimenta. Salvator noster (z) pati voluit, ut compati sciret: miser fieri, ut misereri disceret: ut quomodò de ipso scriptum est in Epistola ad Hebræos: Didicit ex his quæ passus est obedientiam: ita & misericordiam disceret. Non quòd antè misereri nesciret, cujus misericordia ab æterno & usque in æternum: sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Sed fortè (A) durum tibi videtur, quòd dixi Dei Sapientiam CHRISTUM didicisse misericordiam, quasi is, per quem omnia facta sunt, aliquid aliquando ignorasset ex iis quæ sunt, maximè cùm illud quod ex Epistola Apostoli ad id comprobandum commemoravi, alio sensu qui non ita vide-

x *Tract. de grad. humil. cap. 3. num. 8.* y *Serm. 56. in Cant. nu. 1.*
z *Tract. de grad. humil. c. 3. nu. 6.* A *Ibid. num. 7.*

videatur absurdus, possit intelligi: ut hoc quod dictum est, *didicit*, nõ ad ipsum caput referatur in sui persona, sed ad corpus ejus quod est Ecclesia: ut sit ita sensus. Et didicit ex iis quæ passus est, obedientiã: hoc est, obedientiã didicit in suo corpore ex iis, quæ passus est in capite. Nam illa mors, illa Crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput nostrum Christus pertransiit: quid aliud corpori ejus, idest nobis, quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? Christus enim (ait Paulus) factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini, inquit, vestigia ejus, idest, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his ergo quæ passus est, discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat, non dubitaverit mori. Et hoc modo, inquis, non inconveniens erit, si dicatur Christus vel obedientiam, vel misericordiam, vel aliquid in suo corpore didicisse, dum tamen sibi in sua persona nil quod se antè latuerit credatur ex tempore potuisse accedere. Sicquè ipse sit, qui misereri doceat aut obedire: ipse qui discat, quia caput & corpus unus est Christus. Non nego hunc intellectum (*b*) quin rectus sit. Sed ex alio loco ipsius Epistolæ, superior interpretatio videtur approbari, ubi dicitur: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret. Puto quòd hæc verba sic ad caput referenda sunt, ut corpori penitùs aptari non possint. De Verbo utique Dei dictum est, quòd non Angelos apprehendit, hoc est non in unam sibi personam assumpsit, sed semen Abrahæ. Neque enim legitur: Verbum Angelus factus, sed Verbum Caro factum est, & Caro de carne Abrahæ, juxtà promissionem quæ illi primùm facta est: unde, id est ex qua seminis assumptione, debuit per omnia fratribus similari, id est oportuit ac necesse fuit, ut similis nobis passibilis, nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris qua necessitate, ut misericors, inquit, fieret. Et hoc ais, cur non rectè ad corpus referri potest? Sed audi, quod paulò post sequitur.

b *Ibidem num. 8.*

tur: In eo enim,in quo passus est ipse & tentatus, potens est & iis qui tentantur,auxiliari. In quibus verbis quid melius intelligi possit non video: nisi quòd ideo pati & tentari, omnibusquè absque peccato humanis voluit communicare miseriis (quod est per omnia fratribus similari) ut similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento (c) non dico ut sapientior efficeretur, sed propinquior videretur: quatenus infirmi filii Adam (quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & posset ut Deus, & vellet ut proximus, & cognosceret ut eadem passus. Vnde Esajas virum eum appellat dolorum, & scientem infirmitatem. Et Apostolus, Non enim habemus (inquit) Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Vnde autem possit, indicans adjungit: Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Beatus quippè Deus, Beatus Dei Filius, in ea forma, quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, proculdubiò impassibilis: priusquàm se exinanisset formam servi accipiens, sicut miseriam & subjectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est non solùm à seipso, sed etiam paulò minùs ab Angelis (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) usque ad illam formam in qua pati & subiici posset (quod utique, sicut dictum est, in sua non posset) & in passione expertus est misericordiam, & in subjectione obedientiam. Per quam tamen experientiam non illi (ut dixi) scientia, sed nobis fiducia crevit: dum ex hoc misero genere cognitionis, is, à quo longè erraveramus, factus est propior nobis. Quando enim appropinquare auderemus in sua impassibilitate manenti? Nunc autem Apostolo suadente, monemur cum fiducia adire thronum gratiæ ipsius, quem nimirùm (sicut alibi scriptum est) languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse cognoscimus: & in eo, quod passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus. Non ergo debet absurdum videri, si dicitur Christum non quidem aliquid

 scire

c *Ibidem num. 9. & 10.*

ſcire cœpiſſe, quod aliquando neſcierit: ſcire tamen alio modo miſericordiam ab æterno per divinitatem,& aliter in tempore didiciſſe per carnem.

3. Vide (*d*) nè & ſimili locutionis modo illud dictum ſit, quod Dominus requirentibus Diſcipulis de die ultimo ſe neſcire reſpondit. Nam quomodò diem illum ille neſciebat, in quo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri ſunt abſconditi? Cur ergo ſe ſcire negabat, quod certum eſt quia neſcire non poterat? Nunquid fortè mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innoteſcere? Abſit. Sicut nihil ignorare poterat, cùm ſapientia ſit: ſic nec mentiri, cùm veritas ſit. Sed volens Diſcipulos ab inutilis inquiſitionis curioſitate compeſcere, quod inquirebant, ſe ſcire negavit: non omnimodo quidem, ſed tali quodammodo, quo negare veraciter potuit. Nam etſi ſuæ Divinitatis intuitu æquè omnia præterita ſcilicet præſentia atque futura perluſtrando, diem quoque illum palàm habebat, non tamen ullis carnis ſuæ ſenſibus experiendo agnoverat. Alioquin jam ſpiritu oris ſui Antichriſtum interfecerat: jam auribus ſui corporis Archangelum vociferantem, & tubam ſonantem (in quo ſtrepitu mortui ſuſcitandi ſunt) audierat: jam oculis ſuæ carnis oves, hædoſquè (qui ab invicem ſegregandi ſunt) perſpexerat. Denique (*e*) ut intelligas, quòd illa tantùm cognitione, quæ per carnem fit, ſe illum diem neſcire perhibuerit, vigilanter reſpondens: Non ait. Nec ego ſcio, ſed nec ipſe (inquit) filius hominis ſcit. Quid eſt filius hominis, niſi nomen aſſumptæ carnis? Quo ſiquidem nomine intelligi datur, quia dicens ſe aliquid neſcire, non juxta quod Deus eſt, ſed ſecundùm hominem loquitur. Aliàs quippe loquens de ſe ſecundùm ſuam Divinitatem, non filius vel filium hominis: ſed *Ego* vel *me* ſæpiùs ponere conſuevit: ut ibi, Amen dico vobis antequam Abraham fieret, ego ſum. *Ego ſum*, ait: non filius hominis eſt. Nec dubium quin de illa eſſentia diceret, quâ ante Abraham & ſine initio eſt; non quâ poſt Abraham & ex Abraham factus eſt. Alibi quoque hominum de ſe opinionem à Diſcipulis inquirens, Quem dicunt, inquit, homines eſſe? non me, *ſed filium hominis*? Rursùs eoſdem interrogans quid de

d *Ibidem num.* 10. e *Ibidem num.* 11.

de se ipsi quoque sentirent? Vos autem, non quem filium hominis, sed quem me, ait, esse dicitis? Carnalis videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est *filius hominis*, posuit: spirituales verò Discipulos de sua Divinitate interrogans, non filiũ hominis, sed signanter, *me*, dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, *me*, requisiti fuissent, sua responsione aperuit: Tu es, inquiens, non Jesus Filius Virginis, sed *Christus Filius Dei*. Quod utique si respondisset, nihilominùs veritatem dixisset: sed in verbis interrogationis sensum interrogantis prudenter advertens, competenter propriequè ad inerrogata respondit, dicens: Tu es Christus Filius Dei. Cùm igitur (f) videas Christum in una quidem persona duas habere naturas, unam, quâ semper fuit, alteram, quâ esse cœpit: & secundùm sempiternum quidem esse semper omnia nosse: secundùm temporalem verò naturam multa temporaliter expertum fuisse: cur fateri dubitas ut esse in tempore cœpit ex carne, sic carnis quoque miserias scire cœpisse, illo duntaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis? Quod utique genus scientiæ Protoplasti sapientiùs feliciusquè nescirent, quando id attingere nisi stultè misereque non poterant. Sed Plasmator eorum Deus requirens quod perierat, opus suum miseratus prosecutus est, descendens & ipse misericorditer, quo illi ciciderant miserabiliter. Voluit experiri in se, quod illi faciendo contra se meritò paterentur. Non simili quidem curiositate, sed mirabili charitate. Non ut miser cum miseris remaneret, sed ut misericors factus miseros liberaret. Factus inquam misericors non illâ misericordiâ, quam felix manens habuit ab æterno, sed quam mediante miseria reperit in habitu nostro. Porrò pietatis opus, quod per illam cœpit, in ista percepit. Non quòd sola illa non posset perficere, sed quia nobis non potuit absque ista sufficere. Vtraque siquidem necessaria, sed nobis hæc magis congrua fuit. O ineffabilis pietatis excogitatio! Quando nos illam miram misericordiam cogitaremus, quam præcedens miseria non informat? Quando illam adverteremus incognitam nobis compassionem, quæ non passione præventa, cum

Zz 2 impas-

f *Ibidem num. 12.*

impaſſibilitate perdurat? Attamen ſi illa, quæ miſeriam neſcit, miſericordia non præceſſiſſet: ad hanc, cujus miſeria mater eſt, non acceſſiſſet. Si non acceſſiſſet, non attraxiſſet: ſi non attraxiſſet, non extraxiſſet. Vnde autem extraxit, niſi de lacu miſeriæ, & de luto fæcis? Nec illam tamen miſericordiam deſeruit, ſed hanc inſervit. Non mutavit, ſed multiplicavit, ſicut ſcriptum eſt: Homines & jumenta ſalvabis Domine, quemadmodùm multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.

4. Venit Dñs non judicare (g) ſed ſalvare terram. Quid tu times ô homo, quid trepidas à facie Domini quia venit? Olim tibi perſuaſum eſt ab infideli quodam ſervo, ut furtim tolleres & imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehenſus in furto quidni timeres? quidni fugeres à facie ejus? Fortè enim jam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exilio poſitus, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Et ecce vox audita eſt in terra, quia dominator advenit. Quò ibis à Spiritu ejus? & quò à facie ejus fugies? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, ſed ſalvandum requirit. Loquitur ſub typo Hieruſalem (h) ad populum acquiſitionis, non Propheta Sophus, ſed in Propheta Dominus, dicens: Salvabo te, & liberabo te, noli timere. Ne timeas igitur ô homo, (i) nec audito Dei nomine terrearis: quia nobiſcum Deus. Nobiſcum carnis ſimilitudine, nobiſcum unitate. Propter nos venit tanquam unus ex nobis, ſimilis nobis paſſibilis. Non venit (k) perdere te, ſed ſalvare: eripere, & non ligare. Jam adversùs hoſtes tuos dimicat, jam ſuperborum & ſublimium colla tanquam Virtus Dei & Sapientia calcat. Duo ſunt tibi hoſtes, peccatum, & mors, ideſt, mors corporis & animæ. Vtrumque debellaturus advenit, & ab utroque ſalvabit te, noli timere. Et jam quidem *peccatum* in propria perſona vicit, quando humanam naturam ſine ulla contagione ſuſcepit. Grandis enim peccato facta eſt violentia, & revera expugnatum eſſe cognoſcitur, quando natura, quam ſe totam infeciſſe & occupaſſe gloriabatur, ab eo penitùs aliena in Chriſto inventa eſt. Dehinc perſequitur ini-

g *Serm. 1. de Nat. Domini num. 3.* h *Tract. de error. Abailar. cap. 5. num. 13.*
i *Serm. 2. de Adv. Dom. num. 1.* k *Serm. 1. in Nat. Dom. nu. 3. & 4.*

inimicos suos, & comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant. Contrà *peccatum* dimicans in conversatione sua, verbis pariter & exemplis oppugnat: sed in passione sua alligat illud, alligat planè fortem, & diripit vasa ejus. Jam verò eodem ordine *mortem* quoque superat priùs in se ipso, cùm resurgit primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum: postmodùm debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, & destruetur novissima inimica mors. Jesus (*l*) interpretatur Salvator. Quid tàm necessarium perditis? quid tam optabile miseris? quid tàm utile desperatis? Alioquin unde salus, unde vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitia hac diei & loco afflictionis, nisi nova nobis & insperata nasceretur salus? At tu fortè salutem optas, sed curationis acerbitatē, teneritudinis pariter & ægritudinis propriæ conscius reformidas? Ne timeas, *Christus* est suavis planè & mitis, multæ misericordiæ, unctus oleo lætitiæ pre participibus suis. Ne verò suavem audiens, inefficacē fore autumnes Salvatorem, additur etiā, *Filius Dei*. Qualis enim Pater, talis Filius, cui subest cū voluerit, posse. Cœterùm unde scimus (*m*) quod Christus possit peccata dimittere? Hinc proculdubiò, quia Deus est, & quidquid vult, potest. Vnde autem & quòd Deus sit? Miracula probant. Facit quippè opera, quæ nemo alius facere possit, ut taceam oracula Prophetarum, necnon & paternæ vocis elapsæ cælitùs ad ipsum à magnifica gloria. Porrò & de voluntate quis dubitet? Quis enim nostram & induit carnem, & subiit mortem? putas suam nobis negabit justitiam? Voluntariè incarnatus, voluntariè passus, voluntariè crucifixus, solam à nobis retinebit justitiam? Quod ergo ex Deitate constat illum potuisse, ex humanitate innotuit & voluisse. Non ergo metuendum (*n*) quòd donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo, & tanto passo pro peccatoribus, desit: si tamen soliciti inveniamur dignè ut oportet, & imitari exempla, & venerari miracula: doctrinæ quoque non existamus incre-

l *Serm.6.in Vig. Nativ.Dom. num.1.* m *Tract.exhort.ad milit.temp. cap.11. num.21.& 22.* n *Ibid.num.25.*

increduli, & paſſionibus non ingrati. Præcipuè autem *(o)* diligamus Chriſtum Jesum ut verum hominem, & fratrem noſtrum: honoremus ut Dei filium: adoremus ut Deum. Securè credamus in eum: ſecurè credamus ei nos ipſos, cui nec poteſtas deeſt ſalvandi nos, cùm ſit verus Deus, & Dei Filius: nec bona voluntas, cùm ſit tanquam unus ex nobis verus homo, & hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus eſt ſimilis nobis paſſibilis. Duo Sponſi Jesu ubera, *(p)* duo in ipſo ſunt ingenitæ manſuetudinis argumenta, quòd patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina inquam dulcedo ſuavitatis exuberat in pectore Domini Jesu, *longanimitas* videlicet in *expectando*, & in *donando facilitas*. Et audi, quia non ſit hoc inventum meum. Legis profectò de *longanimitate*: An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Item, An ignoras quia benignitas Dei ad patientiam te adducit? Ad hoc ſiquidem diù ſuſpendit ſententiam ultionis à contemnente, ut quandoquè exhibeat gratiam remiſſionis in pœnitente. Non enim vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Propter hoc namque *(q)* diſſimulat, ut commendet patientiam ſuam, ut impleat electionem ſuam, ut confirmet charitatem ſuam. Ponamus exempla *(r)* & de altero ubere, quod dictum eſt *remittendi facilitas*. Legis & de ipſa: Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatum ſuum remittetur ei. Legis: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus: & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Pulchrè David paucis comprehendit utrumque dicens: Longanimis, & multùm miſericors. Sic autem Deus *(s)* ex toto indulget, & tam liberaliter omnem donat injuriam, ut jam non damnet *ulciſcendo*, nec confundat *improperando*, nec minùs diligat *imputando*. Sunt enim aliqui ſic donantes injuriam, ut non ulciſcantur, ſæpiùs tamen improperent. Sunt & alii qui ſileant licet, manet tamen alta mente repoſta, & rancorem te-

o *Serm. 3. in Epiph. Dom. nu. 7.* p *Serm. 9. in Cant. nu. 5.* q *Serm. 3. in Dom. 6. poſt Pent. nu. 2.* r *Serm. 9. in Cant. n. 6.* s *Serm. 3. in Dom. 6. poſt Pent. num. 4.*

tenent in animo: quorum utique neutra plena indulgentia est. Longè ab his omnibus benignissima est Divinitatis natura; facilè agit, ignoscit plenariè, itaut propter fiduciam peccatorum sed pœnitentium, ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare.

CAPUT XV.

De aliis rationibus Adventûs, sive Incarnationis Dominicæ.

1. Venit Christus propter curationem animarum nostrarum, quo doceremur, ut prima nobis reparandarum sit solicitudo animarum. 2. Primus homo peccando perdidit panem Angelorum, escam scilicet animarum nostrarum. 3. Sed secundus qui de cœlo venit, factus caro, se tribuit in cibum animabus nostris.

1. VOLO vos, fratres, (*t*) non ignorare tempus visitationis vestræ. Animabus enim hoc tempus est non corporibus assignatum, quòd videlicet longè dignior anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vendicet dignitate. Sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorẽ. Anima siquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Vnde si animam (*u*) prout in se est & ex se juxtà rei veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necesse est singulas ejus miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ impleta? Nimirùm si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur: injustitiæ

t Serm. 6. de Adv. Dom. num. 1. u Serm. 5. in Dedicat. Eccl. num. 3.

ſtitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis eſt,tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? Facilè eſt unicuique noſtrûm,ſi ſua meliùs univerſa & ſine diſſimulatione inveſtiget,& judicet ſine acceptioneperſonę,atteſtari per omnia Apoſtolicæ veritati, & liberè proclamare: Qui ſe putat aliquid eſſe, cùm nihil ſit: ipſe ſe ſeducit. Infelix ego homo (x) & miſerabilis caſus meus, cui non una ſufficit, cui duplex eſt neceſſaria regeneratio.Nimirum ex corpore & anima conſtitutus cecidi totus ſimul, ſimul totus omninò reſurgere non poſſum. An verò dignum non eſt, ut ea quæ videtur potior priorquè portio, reparetur? At ipſam ſanè animam eſſe nemo ſanæ mentis ignorat. Prior ergo reficiatur, quæ prior corruit: præſertim quòd ab ejus culpa, alterius pœna prodierit: & ipſius corruptio, corporeæ quoque fuerit cauſa corruptionis. Hinc eſt quod animabus primùm Salvator advenit, tollere utique peccata mundi, non moleſtias carnis. Quod ſanè manifeſtiùs docuit in ſe ipſo, pœnis omnibus corpus ſuum exponens, animam autem immunem prorsùs cuſtodiens à peccato. Non ſic hodie (y) filii hominum, non ſic: ſed animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt in omni deſiderio. Neque enim peccare metuunt, ſed puniri: nec virtuti cordis opera datur, ſed valetudini corporis. De ſchola Hippocratis & Epicuri didicerunt hæc. Neque enim ſuis Chriſtus Diſcipulis horum quidpiam tradidit: ſed diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum & humilis corde. Filii hominum uſquequò gravi corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Tempus hoc animabus, non corporibus eſt aſſignatum: dies ſalutis utique non voluptatis. Omnia tempus habent, animabus nunc operam dare neceſse eſt. Nam in carne qui ſeminat, ſolam exinde metet corruptionem. Cur carnem tuam ô homo, (z) precioſis rebus impinguas & adornas,quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro? Animam verò tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præſentanda eſt in cœlis? Quare animam tuam vilipendis,

x *Tract. de Vit. & mor. Cleric. cap. 12. num. 37.* y *Ibidem num. 38.*
z *Lib. de cognit. humanæ condit. cap. 3. nu. 8. 10. 5. pag. 385.*

pendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio. Totus quidem iste mundus ad unius animæ precium æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius est animæ precium, quæ nonnisi sanguine Christi redemi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Vnde *(A)* si Christi membra volumus inveniri, sequendum nobis est sine dubio caput nostrum: ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse jam venit, & quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratiâ est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens: Salvatorem expectamus Dominum nostrum JESUM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. In priori siquidem adventu tanquam præco ipsius Joannes Baptista clamat: Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dicit morbos corporis, non molestias carnis, sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Habes ad quid venerit Christus, *(b)* & cui intendere debeat Christianus. Propterea noli ô corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere, ut nunc anima pro se laboret: magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantùm ejus impedis reparationem, tantùm impedis tuam: quòd nimirùm antè reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes ô caro, nobilem valdè, & tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tuo. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. Ac, *(c)* nè fortè despicias aut parvipendas hospitem tuum pro eo, quòd peregrinus tibi videtur & advena, diligenter attende quid hospitis hujus tibi præsentia largiatur. Ipse enim est, qui tribuit oculis visum, auditum auribus præstat: ipse est, qui linguæ

A *Serm.6.de Adv.Dom.n.1.* b *Ibidem num.3.* c *Ibidem num.4.*

vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensûs, si quid decoris est, hujus hospitis beneficium recognosce. Protinùs enim anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expalescet. In brevi quoque totum cadaver putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in saniem convertetur. At quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas & lædis hospitem istū, quùm nec sentire quidem ullo modo poteras nisi per ipsum? Adhæc, si tantùm tibi confert exul, licet inimiciarum causâ à facie Domini sui ejectus, quantùm tibi præstabit reconciliatus? Noli ô corpus, noli impedire reconciliationem illam, quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Injurias vel molestias tuas nè reputaveris, tantùm ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est, ut pro eo interim te exhibeas inhonorū. Patienter ergo, imò & libenter teipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti: Quando recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum, & tu memento mei. Omninò enim (d) memor erit tui in bonum, si benè servieris illi: & cùm pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in ultionem culpæ suæ exularet servus tuus, pauper quidam, apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam, & utinam retribuat pro me Dominus meus. Primò siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parcens sibi propter me in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti, etiam in frigore & nuditate. Quid igitur? Profectò non mentitur Scriptura, quæ dicit: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. O si fortè gustare dulcedinem hanc, si fortè gloriam istam valeas æstimare ô homo! Mira enim dicturus sum, sed tamen vera, & omninò indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & Rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit

d *Ibidem num.* 5. *&* 6.

erit illa gloria, quàm ineffabilis exultatio? quando Creator universitatis, qui pro animabus justificãdis humilis antè venerat & occultus, pro te glorificanda ô misera caro, sublimis veniet & manifestus: non jam in infirmitate, sed in gloria & majestate sua? Quis cogitabit diem adventus illius? quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Christo in aera? Quousque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens, & prorsùs insana caro transitorias & caducas quærit consolationes, imò desolationes? si fortè contingat repelli, & indignam judicari hac gloria? magis autem nihilominùs ineffabili in æternum cruciari pœna? At (e) nemo (inquit aliquis) carnem suam odio habuit? Verum est: sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, invenitur obesse. Cùm judicium carnis ex anima pendeat: carni nihil potest utilius, quàm salus animæ provideri, ut videlicet in tempore sit respectus illius: & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur. Porrò (f) ista charitas destruit charitatem: hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, quâ videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quævè discretio, totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in Evangelio, Veritatis ore dicentis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed certissimè potiùs pœnam expectet, quam tali (ut ita dicam) impio misericordi Sanctus Job magis prophetizãdo quàm affectando imprecatur: Non sit, inquiens, in recordatione, sed conteratur quasi lignũ infructuosum. Dignæ planè retributionis causam mox subinfert satis idoneam, dicens: Pavit enim sterilem, quæ non parit, & viduæ non benefacit. Inordinata profectò (g) atque irrationalis misericordia est, sterelis & infructuosæ carnis (quæ juxta Domini verbum, non prodest

 quid-

e *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 12. num. 38.* f *Apolog. de vit. & mor. Relig. cap. 8. num. 10.* g *Ibidem num. 21.*

quidquam : & ſecundùm Apoſtolum, regnum Dei non poſſidebit) adimplendis invigilare deſideriis : & de animæ cura Sapientis ſaluberrimum non curare conſilium, admonentis atque dicentis : Miſerere animæ tuæ placens Deo. Non ſum (*h*) homo profundi ſenſus, non poſſum vobis quod non guſtaverim, eructare. Dicam tamen quod interdum in me ſentiam actitari, ut ſi quis forte ſibi utile judicaverit, imitetur. Quia enim olim perſuaſum eſt mihi, ut miſerear animæ meæ placiturus exinde Deo meo, frequenter de ea cogito: utinam autem magis ſemper liceret. Erat quando id actitari minimè libebat, nempè quod minùs (ſi tamen minùs & non magis minimè) diligerem eam. Quomodò enim amat quis, cujus mortem amat? Quod ſi ut verum eſt & indubitabile, mors animæ iniquitas eſt: abſolutam proindè liquet eſſe ſententiam, quòd iniquitatem qui diligit, odit animam ſuam. Oderam ergo eam, & odiſſem adhuc, niſi hoc mihi quodcunque amoris ejus initium is, qui prior eam dilexerat, contuliſſet. Bona miſericordia (*i*) miſereri animæ tuæ, nec poteſt non mereri miſericordiam, quâ fit ut placeas Deo. Aliàs autem non eſt miſericordia (ſicut jam dixi) ſed crudelitas : non charitas, ſed iniquitas : non diſcretio, ſed confuſio, ſterilem quæ non parit, paſcere, ideſt, inutilis carnis concupiſcentiis inſervire: & viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Cui tam pio (*k*) tamquè utili ocio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere eſt?

2. Primus homo (*l*) ad hoc conditus fuerat, ut ſi non peccaſſet, per contemplationis præſentiam vultui Creatoris ſemper aſſiſteret, & ſolidum veritatis agnoſceret, agnitum amaret, amatum teneret, tenendo frueretur, ſemperquè ei adhærendo qui immortalis eſt, etiam vitam ipſe ſine termino poſſideret. Erat (*m*) quando in actione & meditatione poſitus erat homo, ſine paſſione habens actionem, habens etiam ſine labore meditationem. Dico autem quando poſitus eſt in Paradiſum, ut operaretur & cuſtodiret. Nimirùm (*n*) in libertate poſuit eum Deus, ut inter ſumma & infima verſans, & illa excederet ſine difficultate, & ad hæc ſine illecebra

aut

h *Ser. 5. de dedic. Eccleſ. n. 2.* i *Apolog. de vit. & mort. Relig. cap. 8. n. 21.* k *Lib. 1. de conſid. c. 8. n. 11.* l *Ser. 2. ſup. Sal. Reg. n. 9.* m *Ser. 2. de diu. n. 6.* n *Ser. 2. in Septuag. n. 2.*

aut necessitate descenderet: Illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis: hæc auctoritate dijudicans præsidentis. Verùm (o) hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola jam frueretur contemplatione. Verum enim (p) & summum bonum hominis est, plena videlicet & & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fuco vanitatis (specie videlicet creaturæ visibilis) ab Hierusalem in Jericho descendit, fontem veritatis deservit, affectum pulchritudini rerum inclinavit: & statim ignorantiæ cæcitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus & profugus super terram. Exitus aquarum (q) deducant oculi mei super hujusmodi animam, quæ cùm nutriretur in croceis, demùm amplexatur stercora. Pascit enim juxta Beati Job sententiam, sterilem quæ non habebat filios, & viduæ non benefacit. Et vide quia non simpliciter egredere: sed, Egredere (inquit Sponsus) & abi post greges sodalium tuornm, & pasce hædos tuos. Terribilis (r) & nimis formidolosa comminatio: Egredere, & pasce hædos tuos: quod est, indignam te noveris illa tua familiari & suavi rerum contemplatione cælestium, intelligibilium, divinarum. Quamobrem egredere de sanctuario meo corde tuo, ubi secretos sacrosquè veritatis ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas: & magis tanquam una da sæcularibus, pascendis & oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippè (qui peccatum significant) dicit vagos & petulantes corporis sensus, per quos peccatum tanquam mors intrat, per fenestras intravit ad animam. Heu, (s) quòd egregia creatura jam olim facta de grege, & nunc in pejus miserabiliter proruens, & non saltem inter greges remanere permittitur, sed pòst abire jubetur. Quomodò inquis? Quomodò legis: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ecce quomodò de grege facta est egregia creatura. Puto dicerent jumenta si loqui fas esset: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Cùm in honore esset, inquit. In quo honore quæris? Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus; nihil mole-

o *Serm. 2. de diverf. num. 6.* p *Serm. 2. super Sal. Reg. num. 9.* q *Serm. 35. in Cant. num. 3.* r *Ibidem. num. 2.* s *Ibidem num. 3.*

molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat: & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloriâ & honore coronatus, & constitutus super opera manuum Psalmatoris. Magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cœlestis exercitus. Sed mitavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Turpis mutatio studiorum, ut cui antè studii fuerat peregrinantem animam suam sacris meditationibus tanquam cœlestibus pascere bonis, Dei beneplacitum & mysteria voluntatis ejus inquirere, penetrare devotione cœlos, & mente supernas circuire mansiones, ac stupere pulcherrimos ordines Angelorum: nunc omnibus his omissis, turpi se mancipet corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in universa terra, unde ex ea quæ præterit mundi hujus figura, suam semper famelicam curiositatem aliquatenùs consoletur. Dignum certè *(t)* & justum est, ut qui socius noluit esse Angelorum, fiat similis jumentum: & qui destruxit in se imaginem & similitudinem Dei, dignum est ut imago & similitudo jumentorum adhæreat ei. Ergo *(u)* cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis & lachrymosa mutatio, ut homo Paradisi accola, terræ Dominus, Cœli civis, domesticus Dei Sabaoth, frater Beatorum Spirituum, & cœlestium cohæres Virtutum, repertina se conversione invenerit & propter infirmitatem, jacentem in stabulo: & propter pecorinam similitudinem, indigentem fœno: & propter indomitam feritatem, alligatū præsepio, sicut scriptum est: In Chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Sed quænam *(x)* causa, inquis, tantæ dejectionis? Profectò quòd homo cùm in honore esset, nō intellexit. Quid non intellexit? Non dicit. Nos dicamus: Positus in honore non intellexit, quòd limus esset, honoris fastigio delectatus: & continuò in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens: Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quòd non fuit qui jam tunc dice-

t *Serm. de miseria humana num. 5. tom. 6. pag. 844.* u *Serm. 35. in Cant. num. 5.*
x *Ibidem num. 6.*

diceret ei : Quid superbis terra & cinis? Hinc egregia creatura gregi admixta est, hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est, hinc societas cum jumentis pro consortio Angelorum inita est. Vides quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt? Ait enim propterea hominem jumentis insipientibus comparatum, quia non intellexit. Jam si *(y)* nec vexatio intellectum dederit auditui, etiam post greges abibis, illis nihil mali sentientibus, malis expositus universis. Egreditur itaque homo *(z)* & solitarius abiit post greges sodalium suorum, cùm solus in inferno inferiori retruditur. An non tibi posteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus & pedibus proiicitur in tenebras exteriores? Et erunt profectò novissima hominis illius peiora prioribus, quando qui priùs bestiis æquabatur, nunc & postponitur. Agnosce ô homo *(A)* primordia tua, & erubesce comparatum te esse jumentis: memorare novissima tua, & time nè abeas etiam post iumenta. Erubesce, inquam, quòd pro consortio Angelorum consortium sortitus es pecorum, non modò in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis. Cum iumentis partiris cibum terræ, quia panem Angelicum, panem fastidisti cælestem. Non solùm autem, sed etiam quod peius est, in recto corpore curva est anima: in corpore manet humanæ animæ similitudo, in anima verò bestiali similitudine mutata est similitudo Dei.

3. Si quis *(b)* sapientiam virtutis amorem diffinierit, non à vero deviare videbitur. Vbi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodò & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique proni sunt sensus hominis, & cogitationes in malum ab adolescentia, hoc est, ab insipien-

y *Serm. 12. d div. num. 1.* z *Serm. 35. in Cant. num. 7.* A *Serm. 12. de div. num. 1.*
b *Serm. 85. in Cant. num. 8.*

ſipientia primæ mulieris. Ita inſipientia mulieris ſaporem boni excluſit, quia ſerpentis malitia mulieris inſipientiam circumvenit. Sed unde malitia viſa eſt viciſſe ad tempus, inde ſe victam dolet in æternum. Nam ecce denuò Sapientia mulieris cor & corpus implevit, ut qui per fœminam deformati in inſipientiam ſumus, per fœminam reformemur ad ſapientiam. Quid dicebas ô Adam? *(c)* Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ ſunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam? Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cùm occaſionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit ſed non potuit, in theſauro indeficientis ſuæ pietatis invenit. Redditur nempè fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, quæ pro ligno mortis, guſtum tibi porrigat vitæ: & pro venenoſo cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excuſationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo vivificaſti me. Et tunc *(d)* aſſiduè ſapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, ſaporem mali quem illa invexit, ſapore exterminans meliori. Intrans ſapientia dum ſenſum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum ſanat, & repararat. Sano palato ſapit iam bonum, ſapit ipſa ſapientia, quâ in bonis nullum melius. Felix mulier *(e)* benedicta in mulieribus, in cuius caſtis viſceribus, ſuperveniente igne Sancti Spiritus, coctus eſt panis Angelorum, quem manducet homo; panis cor hominis confirmans. Et quia *(f)* repentina converſione ſeipſum invenit homo & propter infirmitatem, iacentem in ſtabulo: (Stabulum mundus eſt) & propter pecorinam ſimilitudinem indigens erat fœno. Eapropter cibus cœleſtis mutavit ſe in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim Angelorum factus eſt fœnum: Vnicus Patris, Filius hominis. Panis, inquam, Angelorum *(g)* factus eſt fœnum, poſitum in præſepio, appoſitum nobis tanquam jumentis. Verbum quippè caro factum eſt, juxta

c *Serm. 2. ſuper miſſus num. 3.* d *Serm. 85. in Cant. num. 8.* e *Serm. 2. in Nat. Dom. num. 4.* f *Serm. de excell. Sanctiſſ. Sacram. num. 2. tom. 6. pag. 733.* g *Serm. 35. in Cant. num. 4.*

juxta Prophetam, Omnis caro fœnum. Habes ante omnia (*b*) in refectione animarum ſanctarum Bethleem domum panis, in qua primùm is, qui de Cœlo deſcenderat, pariente Virgine panis vivus apparuit. Monſtratur piis ibidem iumentis præſepium, & in præſepio fœnum de prato virginali, quo vel ſic cognoſcat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Omnis quippè caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni. Porrò homo quia ſuum in quo factus eſt honorem non intelligendo, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: Verbum panis Angelorum factum eſt pabulum iumentorum, ut habeat carnis fœnum quod ruminet, qui verbi pane veſci penitùs diſſuevit, quouſque per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursùs converſus in hominem, cùm Paulo dicere poſſit: Etſi cognovimus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non novimus. Agnoſce itaque ô bos (*i*) poſſeſſorem tuum, & tu ô aſine præſepe Domini tui, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur, quia iſta ſunt Dei mirabilia prælucuti. Cognoſce pecus, quem non cognoviſti homo. Adora in ſtabulo, quem fugiebas in Paradiſo. Honora præſepium, cuius contempſiſti imperium. Comede fœnum, quem panem, & panem Angelicum faſtidiſti. O ſtupenda (*k*) Dei miſeratio! Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, ut jumenta manducarent panem Angelorum. Homines jumenta erant: Homo enim cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Comedunt Angeli Verbum de Deo natum: comedunt homines Verbum fœnum factum. Pane ſuo vivunt Angeli in Cœlis, & Beati ſunt: fœno ſuo vivunt homines in terris, & Sancti ſunt. Fœnum quippe iſtud de prato virginalis uteri collectum, factum eſt refectio jumentorum. Habeo ergo Verbum (*l*) ſed in carne: & mihi apponitur veritas, ſed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti ſaginatur, & nudo ſaturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice eſſe contentum, carnis furfure, literæ paleâ, velamine fidei. Et hæc talia ſunt quæ guſtata

 affe-

h Tract. exhort. ad mil. templi cap. 6. num. 12. i *Serm. 35. in Cant. num. 5.*
k *Serm. de excell. Sanctiſs. Sacram. num. 1. &* 2. l *Serm. 33. in Cant. nu. 3.*

afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcunque accipiam condimentum. Prorsùs mors mihi in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcoretur. Denique absque spiritu & Sacramentum ad judicium sumitur, & caro non prodest quidquam, & littera occidit, & fides mortua est: sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantalibet sanè abundantiâ spiritus pinguescant ista, non pari omninò jucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempè in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Nunquid verò par sapor intellectui fideiquè, cùm sit in meritum ista, ille in præmium? Vides ergo distare inter pabula quantùm & inter loca: & sicut exaltantur Cœli à terra, ità habitantes in eis bonis potioribus abundare? Cœterùm (*m*) ut inveniamini non spiritum habere hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ à Deo data sunt vobis: nolite obsecro fieri sicut equus & mulus, sed sicut pium jumentum, quod ait: Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Talia enim jumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimum fœnum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse enim est panis vivus, de quo vivere debuit homo: sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fœnum, ut vel sic vivat de eo. Et hujus quidem mutationis Sacramentum die Nativitatis celebratum est, quando Verbum caro factum est, cùm sit omnis caro fœnum. Si enim (*n*) fœnum Verbum, & Verbum in æternum manet, fœnum quoque necesse est maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam, si ipsum minimè manet in æternum? Ait enim: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et quem panem dicat, aperit cùm subiungit: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Confiteantur tibi Domine (*o*) misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis. Pane utique illo, qui de Cœlo descendit: & positus in præsepio, spiritualium cibus factus est iumentorum.

CA-

m *Serm. 3. in Circumc. Dom. num. 2. & 3.* n *Serm. 35. in Cant. num. 4.*
o *Tract. de Iesu puer. duod. num. 3. tom. 6. pag. 632.*

CAPUT XVI.

De Misteriis Incarnationis, sive Nativitatis Dominicæ.

Misterium Incarnationis (p) in se continet formam humilitatis. Formam humilitatis demonstrant quatuor. I. Vagitus parvuli. 2. Locus diversorii. 3. Reclinatio in præsepio. 4. Pannorum involutio.

1. SEdisti ad mensam divitis (*q*) diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te præparare. In verbis istis loquitur Spiritus consilii voce suavi, sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia, reiicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui reiiciunt. Sedisti, inquit. Ecce principium huiusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent, & de sensuum ubertate mentem impinguant. Vasa sunt aurea (*r*) & argentea, quibus in mensa Domini etiam egenis quibusque ministratur. Non est nobis tollere ista, non nobis datur aureus discus aut scyphus, sed qui in eis est cibus & potus. Diligenter considera (ait sapiens) *quæ tibi apponuntur*. Et ego quidem agnosco mea esse Nativitatis Domini tempus, locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitũ, & lachrymas. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Quæ autem sequuntur (*s*) idest, *Scito quoniam talia oportet te præparare*; dum intellectum quò plùs exercent, plùs terrent: de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. Mensa, ad quam resident fideles epulaturi cum Domino, Incarnatio ipsius est. Parasti (inquit David) in conspectu meo mensam: idest, Incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo, & recogito adversus eos,

 qui

p *Serm. 8. de diver. tom 6. pag. 863.* q *Serm. 2. in Cœn. Dom. num. 1.*
r *Serm. 3. in Nativit. Dom. num. 1.* s *Serm. 2. in Cœn. Dom. num. 1. & 2.*

qui tribulant me: nè more antiquo prævaleant, qui misero & exuli insultare consueverunt. Porrò in mensa, & de mensa Incarnationis Dominicæ refectio acquiritur opulenta. Regia quidem ibi sumuntur fercula, & accuratiori arte diligentiùs præparata: deliciosa multùm ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia verò ad medicinam. Primum itaque ferculum humilitatis Verbi incarnati est, ut consideremus *vagitum parvuli*. Carnalis homo (*t*) non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: sed iam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est, audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta, ecce iam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter prædicatur tibi: Fuge voluptatem, quia posita est mors secùs introitum delectationis: Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. Plorat quippè Christus, sed non sicut cæteri, aut certè non quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpotè nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi iugum grave, quod est super omnes filios Adæ: Christus filiorum Adæ peccata deplorat: & certè pro quibus nunc lachrymas fundit, postea fundet & sanguinem. Flevit utique (*u*) & contristatus est propter me gaudium meum, imò gaudium Angelorum, Dominus Jesus, qui (ait Apostolus) in diebus carnis suæ, offerens vota & supplicationes ad eum, qui possit salvum facere eum à morte, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia. Audis cor non carneum sed lapideum, illum magnum Jesum & optimum in diebus carnis suæ (quam pro me redimendo assumpserat) lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? O cor durum audis commoveri pro me ad lachrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur: nec adhuc tu ad lachrymas commoveris? O duritia cordis mei! Vti-

---

t. *Serm. 3. in Nativit. Domin. num. 3.*
u *Tract. de vit. mystic. cap. 33. num. 137.*

(x) Vtinam Domine ſicut Verbum caro factum eſt, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam Ezechielem: Auferam, inquit, à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Fratres, lachrymæ Chriſti mihi & *pudorem* pariunt, & *dolorem*. Ludebam ego foris in platea, & in ſecreto Regalis cubiculi ſuper me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Vnigenitus ejus, exiit poſito diademate, ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudus pedes, flens & eiulans, quòd morte damnatus eſſet ſervulus eius. Intueor illum ſubitò procedentem, ſtupeo novitatem, cauſam percunctor, & audeo dicere: Quid facturus ſum? Adhucne ludam, & deludam lachrymas ejus? Planè ſi inſanus ſum & mentis inops, non ſequar eum, nec ſimul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor. Dolor & timor unde? Vtique quia ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo quantitatem. Neſciebam, ſanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altiſſimi, & jubetur occidi: ut vulneribus meis precioſo ſanguinis balſamo medeatur. Pudet itaque, dilectiſſimi, propriam negligenter diſſimulare paſſionem, cui tantam à Majeſtate tanta exhiberi video compaſſionem. Compatitur Filius Dei, & plorat: homo patitur, & ridebit? Sic & medicinæ æſtimatio, & doloris mihi & timoris exageratio eſt. Verùm ſi diligenter obſervem præcepta medici, erit etiã conſolationis occaſio. Sicut enim gravem agnoſco morbum, cui tanta apponitur medicina: ſic & ex hoc ipſo non incurabilem eſſe conjecto. Neque enim precioſiſſimas ſpecies fruſtrà inſumeret medicus ſapiens, imò Sapientia ipſa. Porrò fruſtrà inſumi conſtat non ſolùm ſi abſque eis facilis eſſet curatio, ſed multò magis, ſi & cum eis ſit impoſſibilis. Animat itaque ad pœnitentiam, & accendit vehementiùs deſiderium ſpes concepta. Nonne Dei Filius (y) cùm eſſet in ſinu Patris, à regalibus ſedibus pro anima deſcendit, ut eam liberaret à poteſtate diaboli? Quam cùm vidiſſet peccatorum funibus irretitam, jam jamquè dæmonibus tradendam ut morte perpertua damnaretur, flevit ſuper illam quæ flere ſe neſciebat. Nec ſolùm flevit, ſed etiam occidi ſe permiſit, vt precioſo ſanguinis ſui precio eam redimeret. Agnoſce homo quàm nobilis

x *Serm. 3. in Nat. Dom. n. 3. 4. & 5.* y *Lib. de cognit. humanæ condit. cap. 3. n. 8. & 9.*

bilis est anima tua, & quàm gravia fuerint ejus vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Noli ergo vilipendere animæ tuæ passionem, cui à tanta Majestate tantam vides exhiberi compassionem. Fudit ipse lachrymas pro te, lava & tu per singulas noctes lectum tuum cordis compunctione,& lachrymarum assiduitate. Exigit enim (z) planctum à nobis pœnitentia præteritæ conversationis. Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte (ait Propheta) cùm dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Parùm ei placet huius vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem.

2. Secundum ferculum humilitatis Verbi Incarnati est,ut consideremus tempus, & locum Nativitatis eius. *Primò. Hyeme* natus est, *(A) nocte* natus est Christus. Nunquid credimus casu factum, ut in tanta aëris inclementia, & in tenebris nasceretur, cuius est hyems & æstas, dies & nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur, quippè quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat eiusdem cuius nunc est, sapientiæ, & potestatis, utpotè Dei Virtus, & Dei Sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius (cuius in arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus) elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis Matris Filio, quæ vix pannos haberet ad involuendum, præsepe ad reclinandum. Et cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus involuitur. Non est tale iudicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Meritò proinde & carnalis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est.

z *Serm.2.in Quadrag.num.4.* A *Serm.3.in Nativ.Dom.num.1.*

eſt. Id ergo meliùs, id utiliùs, id potiùs eligendum: & quiſquis aliud docet vel ſuadet, ab eo tanquam à ſeductore cavendum. Iam verò (b) etiam *nocte* voluit naſci. Vbi ſunt qui tam impudenter oſtentare geſtiunt ſemetipſos? Chriſtus elegit quod ſalubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cuius iudicium iuſtius? Cuius ſententia ſanior? Denique tacet Chriſtus, non ſe extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cœleſtis exercitus. Et tu ergo qui Chriſtum ſequeris, inventum abſconde theſaurum. Ama neſciri, laudet te os alienum, ſileat tuum. *Secundo*. Adhuc autem in *ſtabulo* naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur. Et nonne ipſe eſt qui dicit: Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius? Quid ergo ſtabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, & quæcunque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipſa quoque infantilia membra non ſilent. In omnibus mundi iudicium (ſi daretur optio) non magis eligeret robuſtum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem? O Sapientia quæ de occultis traheris! O verè incarnata & velata Sapientia! Et tamen, fratres, ipſe eſt promiſſus olim per Eſaiam parvulus ſciens reprobare malum, & eligere bonum. Et iam hìc bonum (c) & malum audis, ſicut in arbore vetita, ſicut in ligno tranſgreſſionis. Sed multò meliùs à primo Adam ſecundus iſte patitur. Eligens enim bonum, malum reprobat, non ſicut ille, qui dilexit maledictionem, & venit ei: noluit benedictionem, & elongata eſt ab eo. Nam & in eo quod præmiſit, Butyrum & mel comedet, advertere poteris parvuli huius electionem. Acſi dicat: Paruulus erit, & veſcetur infantilibus alimentis: ut ſciat, inquit, reprobare malum, & eligere bonū. Malum ergo (d) voluptas corporis, bonum verò afflictio eſt. Siquidem & hanc elegit, & illam reprobat puer ſapiens, Verbum infans. Verbum enim caro factum eſt, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens. Deſcendit de monte potentiæ (e) carnis infirmitate circundatus: deſcendit de monte ſapientiæ, quoniam placuit

b *Ibidem num.2.* c *Serm.2.de Adv.Dom.num.2.* d *Serm.3.in Nat.Dom.num.2.*
e *Serm.3.de Aſcenſ.Dom.num.6.*

cuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quid enim tenello corpore & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui ſola Matris ubera noverit? Vides quàm multùm deſcenderit: quantùm à potentia ſua, quantùm à ſapientia ſua exinanierit ſemetipſum. Sed non potuit altiùs montem bonitatis aſcendere, nec ſuam commendare expreſſiùs charitatem. Suſtinuit (*f*) in aſſumpta carne incommoda noſtra ſine peccato carnis, portans in carne peccata noſtra: & hoc totum non propter ſe, ſed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de ſervis. Omne (*g*) quod infirmum eſt Dei, non de proprio ineſſe illi manifeſtum eſt, ſed de noſtro. Ex nobis aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepeliri: mea eſt mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea expiratio Crucifixi, mea ſepulti dormitio. Proinde (*h*) in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Filius erat, & factus eſt tanquam ſervus. Non ſolùm formam ſervi accepit, ut ſubeſſet: ſed etiam mali ſervi, ut rapularet: & ſervi peccati, ut pœnam ſolveret, cùm culpam non haberet. In ſimilitudinem, inquit, hominum, non hominis: quia primus homo nec in carne peccati, nec in ſimilitudine carnis peccati creatus eſt. Chriſtus enim in univerſali hominum miſeria preſſiùs & profundiùs ſe immerſit, nè ſubtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideò habitu & omni habitu inventus eſt ut homo: nec in eo quantùm ad naturæ debitum, ſignum aliquod ſingularitatis apparuit.

3, Tertium ferculum humilitatis Verbi Incarnati eſt, ut conſideremus ipſum reclinatum in præſepio. In ſtabulo (*i*) naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur. Nec mirum. (*k*) Nam Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis noſſe quàm longum quàm breve fecit? Cœlum (inquit hoc Verbum) & terram ego impleo. Nunc caro factum, in anguſto locatum præſepio eſt. A ſæculo (ait Propheta) & uſque in ſæculum tu es Deus: Et ecce factus eſt infans diei unius. Ad

quid

---

f *Ser.2.in Can.Dom.n.2* g *Ser.75.in Cant.n.7.* h *Ser.in fer.4. heb.sanct.nu.10.*
i *Serm.3.in Nat.Dom.num.2.* k *Serm.1.in Nat.Dom.num.1.*

quid hoc, fratres? aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod postmodùm prædicaturus est verbo: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sed nunquid *(l)* dabitur Sanctum canibus, aut margaritæ porcis? Abscondatur certè thesaurus noster in agro, & pecunia nostra in sacculo reponatur. Absconde inquam, absconde Maria novi Solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis Infantem. Ibi agnoscitur *(m)* longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas homo (si attendas) potentiā regi, sapientiam instrui, virtutē sustentari. Deum denique lactantē sed Angelos reficientem: vagientē, sed miseros consolantem. Ille *(n)* qui erat in principio ad Deum, factū est Verbum abbreviatum. Et vide quàm abbreviatum, quàm breve factū. Intra puellę viscera se clausit. Deinde in lucem editus infantiliter vagit, pannis sordentibus more miseriæ nostræ implicitus est, & fasciā constrictus, in præsepio ad afflatus brutorum animalium reclinatus, & in fœtenti stabulo juxta Matris pauperiem deponitur. Quæ docet litera, quæ loquitur lingua, quæ monstrant exempla, quempiam nascentium in humano genere talis inopiæ pressurā laborasse? Omnium nutritor humano lacte nutritur: fordet in pannis, nè tu sorderes in peccatis ô homo. Age ergo pœnitentiam *(o)* quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud: hoc præsepe clamat: hoc membra infantilia manifestè loquuntur: hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. Infans quidem est *(p)* sed Verbum infans, cujus nè ipsa quidem infantia tacet. Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat hoc præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni. Clamat stabulum curando sese homini qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe eidem homini qui jumentis comparatus fuerat, pabulum mi-

l *Serm. 4. in Vigil. Nativ. Domini num. 6.* m *Serm. 2. super missus num. 9.*
n *Tract. de trib. præcip. myst. cap. 6. num. 10.* o *Serm. 3. in Nat. Dom. num. 3.*
p *Serm. 5. in Nat. Dom. num. 1.*

nistrari. Clamant lachrymæ, clamant panni ejusdem ipsius hominis cruenta jam vulnera ablui, & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit: nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. Tu equidē Domine universorum (*q*) qui nullam habes indigentiam, intra ipsa Nativitatis tuæ initia non abhorruisti abjectissimæ paupertatis incommoda. Vt enim ait Scriptura: Tibi cùm nascereris, non erat locus in diversorio, neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuisti: sed in vili præsepio sordentis stabuli tu, qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es. Et hoc ipsum à brutis animalibus Mater tua mutuò accepit. Consolamini qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubiculi, nec invenitur in terra suaviter viventium. Quid ultrà gloriaris ô dives, lutea res in volutabro lecti picti & delicati! cùm Rex regum recubitu suo pauperum stramenta honestare maluerit? Quid dura stramenta detestaris, cùm tener infantulus (in cujus manu sunt omnia) tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas prælegerit? Imitemur (*r*) quoad possumus, eum, qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret. Ferculum (*s*) est paupertas spiritualis, quam tria constituunt: depositio rerum & contemptus: vilitas & abjectio sui ipsius: abdicatio propriæ voluntatis. *Primò*. Voluntaria paupertas quæ sine possessione vel desiderio habetur, quantò expeditior est, tantò securior est. Custos & magistra est virtutum hujusmodi paupertas: sicut è contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo: Beati, inquiens, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ac si apertiùs dicat: (*t*) Vis obtinere cœlum quod perdidit superbiens Angelus (qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum) paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Consecravit exemplo: (*u*) nec enim habuit

q *Serm. de Pass. Domini num. 3.* r *Serm. 4. de Adventu Domini num. 7.*
s *Serm. 2. in Cœna Dom. num. 3.* t *Serm. 1. de omnium Sanctor. num. 8.*
u *Serm. 2. in Cœn. Dom. num. 3.*

buit propriam domum in qua caput reclinaret, & in qua cum Discipulis Pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore prophetico dicens: Ego vir videns paupertatem meam. *Secundò*. Paupertas ista, quæ nec habet nec habere desiderat, lateralem adjunctam sibi quærit paupertatem, videlicet superbiæ latentis contritionem: ut qui membrum Dei est, pauper sit spiritu, idest humilia & abjecta de seipso sentiat & iudicet: non applaudat sibi, non infletur de meritorum eminentia, nec aliis insultet: quod Christus tenuit & servavit præ omnibus. Vnde & ad Discipulos dicebat: Cùm feceritis hæc omnia, dicite quia servi inutiles sumus. *Tertiò*. Religiosus sit pauper spiritu, nihil unquam ex propria faciens voluntate: sed in omnibus & per omnia iugo mancipatus obedientiæ. Hæc sunt tria quæ præmisimus veræ religionis insignia, quæ hominem Deo & Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ civem conscribunt & hæredem.

4. Quartum ferculum humilitatis Verbi Incarnati est, ut consideremus ipsum pannis involutum. Audiant (x) & intelligant tàm pueri teneri quàm puellæ, & frequenter eorum mentibus inculcetur maturum martyrium innocentis Jesu. Vnde & Esaias de Nativitate eiusdem Jesu Christi loquens: Puer, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius: crucem quam imperii nomine significavit, Nativitati statim adiungendo: quia profectò à Nativitatis exordio passio Crucis simul exorta est. Non modicum enim pertinet ad commendationem rubicundæ Passionis, quòd Salvator noster in alieno loco, in media hyeme, in medio noctis, in stabulo diversorii ex Matre paupercula natus est: licet ibi sanguis eius effusus non fuerit. O quanta commendatio charitatis! Vix natus est cœli gloria, cœli divitiæ, cœli deliciæ, dulcis Jesus: & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur. Denique (y) quis vinculum vitis nostræ, id est, Jesu, non videat? In præsepio fuit vinculum illud: Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis invo-

 luta

x *Tract. de Vite myst. cap. 36.* y *Ibidem cap. 4. num. 12.*

luta Virgo Mater alligat: & manus, pedeſquè, & crura, ſtri-ctâ cingit faſciâ. O Deus deorum quantùm derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ! Tot adeò ligaris vinculis, qui ſolus ligandi & ſolvendi poteſtatem habes? Sed propter miſericor-diam tuam ligatus es, ut nos à miſeriis noſtris faceres abſo-lutos. Gratia ſit vinculis tuis bone Jesu, quæ noſtra tàm potenter diruperunt. Vinciamur ergo & nos (z) vinculis paſſionis boni Jesu, ut etiam vinculis charitatis cum illo vinceri poſſimus. Ipſe enim vinculis charitatis devinctus ad ſuſcipienda vincula paſſionis de cœlo tractus eſt in terras: nos è contrario qui de terris trahi deſideramus ad cœlum, priùs paſſionis vinculum noſtro capiti colligamus, ut per hoc ad charitatis vincula pertinentes unum efficiamur cum ipſo. Sanè quod (A) ad nos ſpectat, diſcimus etiam ex hoc quem-admodùm ſuſcipi velit, qui in Bethleem voluit naſci. Errat enim qui fortè ei ſublimia quærenda arbitraretur eſſe pala-tia, ubi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur: ſed non propter hoc à regalibus ſedibus venit. In ſiniſtra eius divitiæ & glo-riæ, in dextera longiturnitas vitæ. Horum omnium æterna in cœlis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non invenie-batur in eis. Porrò in terris abundabat & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo precium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiſcens, deſcendit ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat precioſam. Adorna thalamum tuum, Sion: ſed humilitate, ſed paupertate. In his enim pannis complacet ſibi, & (Maria teſtimonium perhibente) his ſericis delectatur involvi. Abſconde Maria (b) novi So-lis fulgorem, & pone in præſepio, involve pannis Infantem: nam & ipſi panni divitiæ noſtræ ſunt. Precioſiores ſiquidem panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius hoc præſepe auratis regum ſoliis: ditior denique Chriſti paupertas cun-ctis opibus, cunctiſquè theſauris ſæculi. Quid enim humi-litate ditius, quid precioſius invenitur, quâ nimirum regnum cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur? ſicut ſcri-ptum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et apud Apoſtolum: Deus ſuperbis re-ſiſtit:

z *Ibidem cap.4.num.18.* A *Serm.1.in Vigil. Nativ. Dom. num.5.*
b *Serm.4.in Vig.Nat.Dom.num.6.*

ſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sed quàm multa hodie (c) gemmis & auro fulgent Altaria, quanti ubique pallis parietes adornantur! Putes ad hæc divertent Angeli, & pannoſos homines declinabunt? Si ita eſt, cur paſtoribus ovium magis apparuêre, quàm terræ regibus, quàm Sacerdotibus Templi? Cur & ipſe Salvator (cuius eſt aurum pariter & argentum) ſacram in corpore ſuo dedicavit paupertatem? Aut certè, cur paupertas ipſa tàm ſollicitè enarratur ab Angelo? Neque enim ſine certi ratione myſterii pannis Salvator obvolvitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum nobis commendatur ab Angelo. Hoc, inquit, vobis ſignum: Invenietis Infantem pannis involutum. In ſignum poſiti ſunt panni tui Domine Jeſu, ſed in ſignum cui à multis uſque hodie contradicitur. Multi quippè vocati, ſed non multi electi, & ideo nec ſignati. Sed & ipſe (d) in Evangelio, Væ vobis, inquit, divites, qui habetis conſolationem veſtram. Vtinam nos, dilectiſſimi, in eo populo inveniri ſemper optemus, non cui dicit Væ, ſed quem conſolatur Dominus Deus ſuus. Quis enim conſoletur eos, qui ſuam habent conſolationem? Non conſolatur Chriſti infantia garrulos: non conſolantur Chriſti lachrymæ cachinnantes. Non conſolantur panni ejus ambulantes in ſtolis: non conſolantur præſepe & ſtabulum amantes primas cathedras in ſynagogis: ſed æquanimiter fortè univerſam hanc conſolationem expectantibus in ſilentio Dominum, lugentibus, pannoſis pauperibus cedere videbuntur. Cœterùm audiant quod & ipſi quoque Angeli non alios conſolantur. Vigilantibus enim paſtoribus & cuſtodientibus vigilias noctis evangelizatur gaudium novæ lucis, & eis natus dicitur eſſe Salvator, dicente Angelo: Quia natus eſt vobis Salvator. Et, Invenietis (e) Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et poſt pauca: Venerunt (ait Euangeliſta) feſtinantes, & invenerunt MARIAM, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Quid eſt quod ſola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen ſola à paſtoribus inveniri? Fortè ſpecialiùs commendat Angelus humilitatem: quia ruentibus cœteris per ſuperbiam, ipſe

c *Serm. 4. in Nativ. Dom. num. 1.* d *Serm. 5. in Nativ. Dom. num. 5.*
e *Serm. 4. in Nativ. Dom. n. 2. & 3.*

ipſe in humilitate ſtetiſſet. Aut propterea certè cælitùs annunciatur humilitas, quòd hæc quaſi propria virtus Divinę exhibenda ſit majeſtati. Sola tamen non potuit inveniri, quia ſemper gratia datur humilibus. Invenerunt ergo MARIAM, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifeſtam prætendit humilitatem, ſic per Virginem continentia, juſtitia per Joſeph virum juſtum non incongruè deſignatur. Sanè continentiam deberi carni quis neſciat? Juſtitia verò virtus eſt, quod ſuum eſt cuique tribuens, & hæc erga proximos eſt neceſſaria. Porrò humilitas Deo nos reconciliat: Deo facit ſubiectos: Deo placet in nobis, ſicut ait Virgo Beata: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Vt ergo inveniantur in nobis ſemper MARIA, & Joſeph, & Infans poſitus in præſepio: ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo. *Sobriè* ſcilicèt (*f*) quantùm ad nos: *juſtè* ad proximum: *piè* ad Deum.

CAPUT XVII.

De triplici ratione Incarnationis Dominicæ.

1. Verbum Dei Caro factum eſt, ut vocaretur Nomen ejus JESUS: atque ſic vocatum veneretur ab omni creatura cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. 2. Ut habitet Nomen JESU in corde, memoria, & cogitatione hominum. 3. Verbum Caro factum eſt, ut conderet novos in terra Angelos ex hominibus, ad implendas ruinas cœleſtis Hieruſalem.

1. POSTQUAM natus eſt Jeſus (*g*) Jeſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo priuſquàm in utero conciperetur. Vocatum (ait Euangeliſta) nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo. Ad MARIAM quidem (*h*) tanquàm pleniùs edoctam per Spiritum, Gabriel lo-

f *Serm.101.inter diverſ.num.2.* g *Serm.1.in Circumciſ.Dom.num.2.&* 3.
h *Serm.1.in Epiph.Dom.num.3.*

loquens, indicat nomen solum: Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum. Ad Joseph veniens Angelus non solùm nomen protulit, sed & causam ejus interpretatus edocuit, dicens: Et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In ore ergo *(i)* duorum vel trium testium stat omne verbum: & ipsum quod in Propheta abbreviatum, manifestiùs in Euangelio legitur caro factum. Benè, *(k)* dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? nunquid non fugerem sicut Adam, qui à facie ejus fugit, sed non effugit? Nonne desperarem audiens quia venit ille, cujus legem sic prævaricatus sum, cujus patientiâ sic abusus sum, cujus beneficio tàm ingratus inventus sum? Quæ major consolatio poterat esse, quàm in dulci vocabulo (quod est Jesus) in nomine consolatorio? Quod vocatum est, inquit, *(l)* ab Angelo priusquàm in utero conciperereturr. Vocatum planè, non impositum: nempè hoc ei nomen ab æterno. A natura propria habet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura. Nomen Salvatoris mei *(m)* nomen à sæculis absconditum, sed in fine sæculorum revelatum: nomen mirabile, nomen ineffabile, nomen inæstimabile, imò eò mirabilius, quò inæstimabilius: eò magis gratum, quò gratuitum. Hoc nomen nouum *(n)* quod os Domini nominavit: hoc & vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Gratias ei *(o)* qui manifestavit hominibus nomen suum, fructum salutis in ejus invocatione constituens, sicut scriptum est: Quicumque invocaverit nomen Domini, saluus erit. Paulus etiam dicit: *(p)* Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Nunquid ergo hunc (qui in articulo mortis non solùm invocat Dominum Jesum, sed ipsius quoque toto desiderio expetit Sacramentum) dicemus aut non loqui in Spiritu Sancto, aut fallus erit Apostolus, aut & cum Spiritu Sancto damnari? Salvatorem

i *Serm.1.in Circumcis. Dom. num. 3.* k *Serm. 1. in Epiphania Domini num. 3.* l *Serm. 2. in Circumcis. Dom. num. 3.* m *Serm. de verb. Sap. num. 4 to. 6. pag. 760.* n *Serm. 16. in Cant. num. 14.* o *Serm. 15. super Psalm. 90. num. 6.* p *Tract. ad Hugon. cap. 2. num. 8.*

torem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per cõfeſſionem, & cum Salvatore damnabitur? Abſit. Labitur quis in crimen *(q)* currit inſuper ad laqueum mortis deſperando, nonne ſi invocet nomen Vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Ipſum autem nomen Jeſu *(r)* obedientiæ remuneratio eſt. Ait enim Apoſtolus: *(s)* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ecce quomodo dilexit Deus Pater Filium, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ejus (quod dicitur Jeſus) omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: ideſt, omnis creatura cœleſtis, ut ſunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes, Cherubin, & Seraphin, & omnis cælicus ordo: & omnis creatura terreſtris: & non ſolùm homines, ſed & bruta animalia audito nomine Jeſu contremiſcunt. Inſuper & omnis infernalis creatura tremit & contremiſcit ad tanti Nominis invocationem. Qui enim *(t)* traduxit aereas poteſtates, & affixit eas Cruci ſuæ, claret quia ſuper infernales officinas poteſtatem accepit. Chriſtus *(u)* per crucis ignominiam ad ſupernæ claritatis gloriam tranſiit, & data eſt ei pro ſua reverentia à Deo Patre omnis poteſtas in Cælo & in terra, ut adorent eum omnes Angeli Dei: & in nomine Jeſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Verebuntur *(x)* Filium meum, ait Pater miſericordiarum. Verum id quidem Domine, reverentur eum, ſed qui? Non planè Judæi, ad quos miſſus: ſed Electi, propter quos miſſus. Reveremur eum nos in præſepio, reveremur in patibulo, reveremur in ſepulchro. Devotè ſuſcipimus tenerum propter nos: cruentum propter nos, pallidum propter nos, ſepultum propter nos reveremur. Devotè adoramus cum Magis: devotè amplectimur cum Simeone Sancto infantiam Salvatoris, ſuſcipientes

q *Serm. 15. in Cant. num. 6.* r *Tract. de Vita & morib. Cleric. cap. 1. num. 2.* s *Serm. 12. in ult. Cœn. num. 100. tom. 6. pag. 707.* t *Serm. 2. in Aſcenſ. Dom. n. 1.* u *Serm. de Paſſione Domini num. 1.* x *Serm. 5. in Nativitate Domini num. 1. & 2.*

pientes misericordiam tuam in medio templi tui. Siquidem ipse est, de quo legimus: Misericordia Domini ab æterno: alioquin quid coæternum Patri, nisi Filius & Spiritus Sanctus? Et uterque quidem non tàm misericors quàm ipsa verè misericordia, nihilominus etiam Pater misericordia est: atque hi tres nonnisi misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una majestas.. Quare autem (y) vocamus nomen ejus Jesum, nisi quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Aut quare Christus nominari voluit, nisi quia computrescere faciet jugum à facie olei? Ecce Christus, ecce Jesus (z) utrumque effusum in homines, & illos homines qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: homines & jumenta salvans, quemadmodùm multiplicavit misericordiam suam Deus. Quàm carum, quàm vile. Vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum: Frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Vbi est (A) gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine Crucifixi Domini Dei tui, & in Christi nomine, quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram benedicetur? Jesus (b) mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Gloriamini ergo (c) in nomine Filii Redemptoris, & date honorem illi Salvatori nostro, qui magna fecit in nobis: & magnificate nomen ejus mecum, dicentes:

I. JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel & omnia,
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Jesus Dei Filius.

Jesus spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quã bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus?
Jesu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentiũ,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

y *Serm. 2. in Vig. Nativ. Dom. num. 2.* z *Serm. 15. in Cant. num. 4.* A *Serm. de Passione* Domini *num. 1.* b *Serm. 15. in Cant. num. 6.* c *Serm. de Passione Domini num. 3.*

Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere:
Expertus poteſt dicere,
Quid ſit Jeſum diligere.

II. Jeſum quæram in lectulo,
Clauſo cordis cubiculo:
Privatim, & in publico,
Quæram amore ſedulo.

Cum Maria diluculò
Jeſum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.

Tumbam perfundā fletibus,
Locum replens gemitibus:
Jeſu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.

Jeſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.

Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
Mundū replens dulcedine.

Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intùs fervet charitas.

III. Amor Jeſu dulciſſimus,
Et verè ſuaviſſimus,
Plùs millies gratiſſimus,
Quàm dicere ſufficimus.

Hoc probat ejus Paſſio,
Hoc ſanguinis effuſio,
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei viſio.

Jeſum omnes agnoſcite;
Amorem ejus poſcite,
Jeſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite:
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.

Jeſus auctor clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.

IV. Jeſu mi bone ſentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præſentiam
Tuam videre gloriam.

Cùm dignè loqui nequeam
De te, tamen nè ſileam:
Amor facit ut audeam,
Cùm de te ſolùm gaudeam.

Tua Jeſu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.

Qui te guſtant, eſuriunt:
Qui bibunt, adhuc ſitiunt:
Deſiderare neſciunt
Niſi Jeſum, quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Jeſus ſapiat,
Quàm felix eſt, quē ſatiat!
Non eſt ultra quod cupiat.

V. Jeſu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.

Deli-

Desidero te millies
Mi Iesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus,
Mihi languor assiduus:
Mihi fructus mellifluus
Est, & vitæ perpetuus.
Iesu summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere
Iesum, nil ultrà quærere:
Mihi prorsùs deficere,
Vt illi queam vivere.
VI. O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt pię lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Iesum desidero:
Quàm lætus, cùm invenero!
Quàm felix, cùm tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quę vincunt mellis pocula:
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.
Iam quod quæsivi, video:
Quod concupivi, teneo:
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
VII. Jesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur:
Non tepescit, nec moritur:
Plùs crescit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor missus cælitùs,
Hæret mihi medullitùs
Mentem incendit penitùs,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!
VIII. Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clariùs,
Jam expectatus sæpiùs.
Jesu Sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cœteris amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.
IX. Mi dilecte revertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prosperè,
Jam cœli regno fruere.

Sequar te quocunque jeris,
Mihi tolli non poteris,
Cùm meum cor abstuleris,
Jesu laus nostri generis.
Cœli Cives occurrite,
Portas vestras attollite:
Triumphatori dicite,
Ave Jesu Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ:
Jesu largitor veniæ,
Honor cœlestis patriæ.
Tu fons misericordiæ:
Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

X. Te cœli chorus prædicat;
Et tuas laudes replicat:
Jesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jesus in pace imperat,
Quæ omnẽ sensum superat:
Hanc mea mens desiderat,
Et eâ frui properat.
Jesus ad Patrem rediit,
Cœleste regnum subiit:
Cor meum à me transiit,
Post Jesum simul abiit.
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Ut nos donet cœlestibus
Secũ perfrui sedibus. Amen.

Præinsertus Hymnus sive Jubilus de Nomine JESU, est S.P.N. Bernardi proprius, qui legitur in ejus operibus tom. 2. pag. 362. impress. Venetiis anno 1583.

2. Verbum Caro factum est (d) & habitavit in nobis. Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis: Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Et verè (e) Verbum factum est caro, & sic habitavit in nobis. Dum esset in principio apud Deum, lucem habitabat inaccessibilem, & non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: sed jam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Ne timeas ô homo (f) nec audito nomine Dei terrearis, quia nobiscum Deus, nobiscũ carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit, tanquam unus ex nobis: similis nobis passibilis. O homo (g) in carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta: ecce jam

d Serm. 2. in Cœn. Dom. num. 2. e Serm. 3. in Nat. Dom. num. 3.
f Serm. 1. de Adv. Dom. num. 1.

jam trahitur de occultis, & ipsis se se ingerit sensibus carnis tuæ. Verbum caro factum est *(h)* & habitat iam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione: quia usq; ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim priùs cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaretur? Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirùm jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, & in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans: seu etiam tertia die resurgens, & Apostolis loca clavorum victoriæ signa demonstrans, novissimè verò coram eis cœli secreta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis: quoniam in hujusmodi nucleis virga Sacerdotalis copiosè produxit, quod in supernis hauriens, uberiùs nobis MARIA refundit. Intellectus noster *(i)* turbatus erat, ne dicam cœcatus: sed Christus intellectum illuminat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immeritò intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit: ut semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ compos dereliquit: & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam Ezechielem non possit transvadari. Quis enim sufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus prævenerit nos? venerit ad nos? subvenerit nobis? & singularis illa majestas voluerit mori, ut viveremus: servire, ut regnaremus: exulare, ut repatriaremur: & usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua? Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea

quæ

g *Serm. 3. in Nat. Dom. num. 3.* h *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 1. & 11.*
i *Serm. 3. in Ascens. Dom. num. 2. & 3.*

quæ facta ſunt intellecta conſpicerent, ſed ipſe facie ad faciem videretur, qui omnia fecit. Et quia Diſcipuli carnales erant, & Deus Spiritus eſt, nec benè convenit Spiritui, & Carni: umbrâ corporis ſui temperavit ſe eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, ſolem in nube, lumen in teſta, cereum in laterna. Spiritus enim oris noſtri Chriſtus Dominus, cui diximus: In umbra tua vivemus inter gentes. Vmbra ejus (*k*) caro ejus: umbra ejus, Fides. MARIÆ obumbravit proprii filii Caro: mihi Domini Fides: quanquàm & mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in myſterio manduco eam? Accepimus ab Apoſtolo (*l*) habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris, tanquàm utique (*m*) Regem in regno ſuo, ſicut legimus: Regnum Dei intra vos eſt. Niſi quis (*n*) fortè cùm Deum per Prophetam Eſaiã dixiſſe legit, Cœlum mihi ſedes eſt: cœlum hoc volubile viſibilequè intelligendum exiſtimet, & non potiùs illud, de quo alibi apertiùs Scriptura commemorat: Anima, inquiens, juſti ſedes eſt ſapientiæ. Qui autem ex doctrina ſapit Salvatoris, ſpiritum eſſe Deum, atque in ſpiritu adorandum: etiam ſedem ei non ambigit aſſignare ſpiritualem. Confirmat me in hoc ſenſu maximè illa fidelis promiſſio: Ego, (ait Filius) & Pater ad eum (ideſt ad ſanctum hominem) veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Prophetam quoque David non de alio Cœlo dixiſſe cœlo arbitror: Tu autem in Sancto habitas laus Iſrael. Manifeſtè autem Apoſtolus dicit habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Vnde (*o*) videtur non incongruè intelligi poſſe tam diù Chriſtum in nobis vivere, quàm diù vivit fides. At poſtquam fides noſtra mortua eſt, quodammodo Chriſtus mortuus eſt in nobis. Porrò fidei vitam opera atteſtantur, ſicut ſcriptum eſt: Opera quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me. Nec diſcrepare videtur ab hac ſententia, qui fidem ſine operibus mortuam aſſerit in ſemetipſa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, per quam

---

k *Serm.48.in Cant.num.6.* l *Serm.2.de Reſurrect. Domini nu.1.* m *Tract. de præcept.& diſpenſ.cap.20.num.60.* n *Serm.27.in Cant.num.8.*
o *Serm.2.de Reſurrect.Dom.num.1.*

quam movetur & ſentit: vita verò fidei charitas eſt, quia per illam operatur, ſicut in Apoſtolo legis: Fides quæ per dilectionem operatur. Vnde & refrigeſcente charitate fides moritur, ſicut corpus anima recedente. Tu ergo ſi videris hominem in bonis operibus ſtrenuum, & fervore converſationis hilarem: vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Quid verò ſunt hæc (p) niſi manifeſta inhabitantis in vobis Spiritus Sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita ſpiritualis. Illud ex viſu, & auditu dignoſcitur: iſtud ex charitate, & humilitate, cæteriſquè virtutibus. Porrò (q) fidei vitam (ut jam diximus) conſtituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur recedente ſpiritu fidem mori: quoniam Spiritus eſt qui vivificat. Quid eſt autem (r) vivificat, niſi juſtificat? Cùm enim mors animæ peccatum ſit, anima quippè quæ peccaverit, ipſa morietur: vita ejus ſine dubio juſtitia eſt, quoniam juſtus ex fide vivit. Juſtus autem quis eſt, niſi qui amanti ſe Deo vicem rependit amoris? Quod non fit niſi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propoſitum ſuper ſalute ſua futura. Quæ ſanè revelatio non eſt aliud, quàm infuſio gratiæ ſpiritualis: per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & ſanguis non poſſident; ſimul accipiens in uno Spiritu & unde ſe præſumat amatum, & unde redamet, nè gratis amatus ſit. O felix anima, (s) ſi benevolentiam, inſpirationem gratiæ cæleſtis, ſuamquè circa te præſentiam tibi certis liceat indiciis experiri. Tangit enim te quædam in ipſius recordatione ſuavitas, afficiens nova & inexperta dulcedine, ut quaſi abſtracta, & quaſi à te prorsùs aliena exultes quadam amænitate cæleſti. Faciunt autem ſuæ præſentię fidem, quòd omnes tui ſenſus hilareſcunt, ſerenatur intelligentia tua, deſideria incaleſcunt, geſtis & aſpiras in amplexus illius, quē tenere te ſentis, & vereris nè elabatur. Et ideo non quantùm vis, ſed quantùm potes, ipſum quodã delectabili nexu

p Serm. 1. in Dedicat. Eccleſ. num. 2. q Serm. 2. de Reſurr. D. Domini num. 2.
r Epiſt. 107 num. 9. s Lib. 3. de amore Dei cap. 31. num. 102.

intimæ charitatis astringis. O quanta illi animæ latitudo, (t) quanta & meritorum prærogativa! quæ divinam in se præsentiam & digna invenitur suscipere, & sufficiens capere. Quid illa, cui & spatia suppetunt & deambulatoria ad opus quidem Majestatis? Non est profectò intricata forensibus causis curisvè secularibus: nec certè ventri & luxuriæ dedita, sed nec curiosa spectandi, seu cupida omnino dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namquè primò quidem his omnibus vacuam esse animam, ut cœlum fiat, atque habitatio Dei. Cur ergo nos deserimus, (u) & in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud eum? Revera nobiscum est, & in nobis, sed adhuc per fidem, donec videre mereamur per speciem. Novimus (inquit Apostolus) habitare Christum per fidem in cordibus nostris: quia Christus in fide, fides in mente, mens in corde, cor in pectore. Mens siquidem (x) nostra eo ipso ejus imago est: quo eius capax est, eiusquè particeps esse potest. Itaq; iam scio (y) ubi præparanda sit domus ei, quoniam non capit eum nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirùm ad eius imaginem est creata. Propter quod iam festina, adorna thalamum tuum Sion: quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exulta satis filia Sion, habitabit in te Deus tuus. Quid tristis es nunc (z) ô anima mea, & quare conturbas me? Putasne & tu penes te invenias locum Domino? Et quis nobis locus in nobis huic idoneus gloriæ, sufficiens maiestati? Vtinam vel mereamur adorare in loco ubi steterunt pedes eius. Quis dabit mihi saltem vestigiis adhærere sanctæ cuiuspiam animæ, quam elegit in habitationem sibi? Tamen & si dignetur infundere & meam animam unctione misericordiæ suæ, quatenus & ego dicere valeam: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum: potero etiam ipse fortassis ostendere in me ipso, etsi non cœnaculum grande stratum, ubi possit recumbere cum discipulis suis, attamen ubi saltem reclinet caput. A longè suspicio illos certe beatos, de quibus dicitur: Et inhabitabo in eis, & deambulabo in eis.

3.Chri-

t *Serm.27.in Cant.num.10.* u *Tract.de cognit.human.condit.cap.1.num.3.*
x *Ibidem n.2.* y *Serm.2.in dedicat.Eccl. num.2.* z *Serm.27.in Cant. n.9.*

3. Christus Dominus *(A)* minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis. Isaias *(b)* postquàm Dominum se vidisse testatus est super Soliū residentem, addit duos Seraphim stare super illud. Seraphim quidem (sicut frequenter audistis) nomen est supernorum Spirituum, ordinis unius de novem summi atque supremi. Verùm hoc loco (ut arbitror) non in ea ponitur significatione, præsertim cùm innumera illa sint agmina, hîc duo tantùm Seraphim describantur. Et ego quidem (si licet in hac parte unicuique abundare in sensu suo) in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creturam rationabilem, Angelicam scilicet & humanam. Nec mireris hominem Seraphim factum, memento quòd Creator & Dominus Seraphim factus est homo. Ad contumeliam tuam, ô superbe Lucifer (qui creatus inter Angelos stare non meruisti) ecce Rex noster novos in terra Angelos fabricaturus advenit. Atque ut tabescas ampliùs, & livore proprio torquearis; non qualescunque nec inferiores alicuius ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi enim quid ipse Dominus loquatur. Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accēdatur? Vult ergo Seraphim fabricari, ut ibi stent, unde tu corruisti. Ipsa est domus *(c)* non manufacta æterna in Cœlis, quæ construitur vivis ex lapidibus, Angelis & hominibus. Ex hominibus, inquam *(d)* ut numerus impleretur Angelorum. Nec frustra *(e)* in terris visus est homo cœlestis, cùm de terrenis cœlestes quàm plurimos fecerit sibi similes, ut sit quod legitur: Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Extunc igitur in terra vivitur more cœlestium, dum instar supernæ illius beatæquè creaturæ Angelicæ, hæc quoque, scilicet Ecclesia, quæ à finibus terræ venit audire sapientiam Salamonis, cœlesti viro nihilominùs casto inhæret animo: etsi necdum quomodo illa iuncta per speciem, tamen sponsata per fidem iuxtà promissum Dei, dicentis per Prophetam Oseam: Sponsabo te mihi in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. Vnde magis magisquè conformari satagit formæ quæ de cœlo venit, discens ab ea verecunda esse & sobria, discens pudica

Eee & san-

A *Serm. de Pass. Dom. num. 1.* b *Serm. 3. de verb. Isaiæ num. 1. & 2.*
c *Serm. 1. de dedicat. Eccl. num. 6.* d *Tract. de error. Abailar. cap. 8. num. 19.*
e *Serm. 27. in Cant. num. 7.*

& sancta, discens patiens atque compatiens, postremò discens mitis & humilis corde. Et ideo moribus hujuscemodi contendit & absens placere ei, in quem Angeli prospicere concupiscunt: ut dum desiderio fervet Angelico, probet se proindè civem sanctorum, & domesticam Dei, probet dilectam, probet sponsam. Angelica planè vita (*f*) est virginitas: & qui non nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. Quid castitate decorius(*g*)quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi huius castitas felicior, illius tamen fortior esse cognoscitur. Angelus habet virginitatem (*h*) sed non carnem: Sanè felicior, quàm fortior in hac parte. Sola est castitas (*i*) quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent neque nubentur: præbens quodammodò terris cœlestis iam illius conversationis experientiam. Sanè è singulis (*k*) mihi videor in vobis, fratres, aliquid & magnum aliquid invenire. Quis enim cœlibem vitam, vitam cœlestem & Angelicam dicere vereatur? Aut quòd in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodò non iam nunc estis sicut Angeli Dei in Cœlo, à nuptiis penitùs abstinentes? Amplectimini, fratres, preciosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam vitæ, quæ vos efficit sanctorum similes, & domesticos Dei, dicente Scriptura: Incorruptio facit proximum esse Deo. Ita ergo non vestro quidē merito, sed gratiā Dei estis quod estis: quoad castitatem & sanctimoniam spectat, Angeli quidem terreni, aut potiùs cœli cives: sed interim in terra peregrini. Quamdiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: idest (*l*) à luce: nam Dominus lux est: & inquantùm quisque cum eo non est, intantùm in tenebris est. Quia (*m*) quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, longè sumus à facie Dei, à vultu gloriæ Dei, & à contemplatione maiestatis, nisi quia plerum-

que

f *Serm.2. de Virg. Deip. n.8.* g *Tract. de mor. & offic. Episc. cap.3. n.8.* h *Epist.113. num 5.* i *Tract. de mor. & offic. Episc. cap.3. num.8.* k *Serm.37. de diver. num.4.* l *Serm.26. in Cant. num.1.* m *Serm.42. de divers. num.12.*

que misericors & miserator Dominus illuminat vultum suum super nos. Hoc autem fit cùm (remota nube illa, quæ opposita erat ne transiret oratio) accedimus ad illum & illuminamur, revelata facie gloriam Dei speculantes. Non autem ita propriè revelata facie accipimus, cùm videamus adhuc per speculum & in ænigmate, & carcerali corpore teneamur. Spiritus, inquit Propheta, (n) ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra eius vivimus inter gentes. In umbra in gentibus: in luce cum Angelis. In umbra sumus quàmdiù per fidem ambulamus, & non per speculum. Et ideò iustus in umbra, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus est, quia non in umbra iam, sed in lumine. Habeo & ego Verbum (o) sed in carne, & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ paleâ, velamine fidei. Prorsùs (p) utrarumque ovium Pastor (Dei scilicet Sapientia Christus) unum idemque pabulum veritatis aliter in terris, aliter in cœlestibus administrat gregibus suis. Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis nostræ, in sudore vultus nostri commedere panem nostrum necesse habemus, foris illum in labore & ærumna mendicantes: idest vel à doctis viris, vel à sacris libris, vel certè per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei intellecta conspicientes. Angeli autem in omni plenitudine etsi non à semetipsis, tamen in semetipsis tanta facilitate quanta & felicitate accipiunt, unde & beatè vivunt. Sunt enim omnes docibiles Dei: quod sanè electos hominum quandoque assecuturos certa veritate promittitur, etsi nondum experiri tribuitur felicitate secura.

CAPUT XVIII.

De alia triplici ratione Incarnationis Dominicæ.

 1. *Ideo*

n *Serm. 48. in Cant. num. 6.* o *Serm. 33. in Cant. num. 3.*
p *Serm. 33. in Cant. num. 5.*

Ideo Incarnatus est Deus, ut agnosceretur, qui non agnoscetur. 2. Ut crederetur, qui non credebatur. 3. Ut timeretur, qui non timebatur.

1. IN mundo erat (*q*) & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Præsens erat, quia in mundo erat: absens, quia mundus eum non cognovit. Non est longè ab uno quoque nostrûm, ait Paulus: In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Et tamen longè à peccatoribus salus. Sed dico hoc planiùs (*r*) Deus quidē æqualiter atque indifferenter præstò ubiquè est, Divinæ utiq; præsentiâ Majestatis, & magnitudine virtutis suæ. Gratiæ tamen exhibitione quibusdam longè, quibusdam propè esse dicitur Angelorum dūtaxat & hominum, idest rationalium creaturarum. Denique longè à peccatoribus salus. Et Sanctus David nihilominus dicit: Ut quid Domine recessisti longè. Cæterùm à sanctis pia dispensatione ad tempus, & non ex toto, sed juxta aliquid aliquando longè se facit. Peccatoribus autem (de quibus dicitur: Superbia eorum ascendit semper. Et item: Inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore) semper valdequè longè est, atque in ira hoc, & non in misericordia. Propè itaque (*s*) per essentiam, longè per gratiam. Quomodo non longè? qui non agnoscebatur, nec credebatur, nec timebatur, nec amabatur. Longè à peccatoribus, quos non revocabat errantes, nec erigebat jacentes, nec redimebat captivos, nec mortuos suscitabat. Longè, inquam, quando nec justis cœlestem mercedem, nec impiis manifesto judicio æternam inferebat damnationem. Venit proindè, *ut agnosceretur*, qui non agnoscebatur: crederetur, qui non credebatur: timeretur, qui non timebatur: amaretur, qui non amabatur. Sic qui præsens erat essentialiter, venit misericorditer, ut agnosceretur humanitas eius: crederetur Divinitas ejus: timeretur potestas ejus: amaretur benignitas ejus. Apparuit autem humanitas ejus in nostræ infirmitatis susceptione, Divinitas in miraculorum exhibitione, in dæmoniorum oppressione potestas, in peccatorum susceptione benignitas. *Humanitatis* namque fuit,

quod

q *Serm. de Adv. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 600.* r *Serm. 56. in Cant. num. 4.*
s *Serm. de Adv. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 600.*

quòd esurivit: *Divinitatis*, quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. *Humanitatis* fuit, quòd in mari dormivit: *Divinitatis*, quod mortuos suscitavit. Item *Potestatis* fuit, quòd Pharisæos de templo ejecit: *Benignitatis*, quòd in convivium publicanos & peccatores suscepit. *Potestatis* fuit, quòd dæmones terruit: *Benignitatis*, quòd adulteram absolvit. Postremò *Potestatis* fuit, quòd volentes eum rapere prostravit: *Benignitatis*, quòd abscissam sui persecutoris auriculam loco simul & sanitati restituit. Sed dicet aliquis: (t) Quomodo venisse dicitur qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum nō cognovit. Non ergo venit qui aberat, sed apparuit qui latebat. Vnde & humanam in qua agnosceretur induit formam, qui nimirùm in Divina lucem habitat inaccessibilem. Nec sanè inglorium Majestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio: nec indignum Deo, à quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem & similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo. O radix Jesse (u) qui stat in signum populorum, quàm multi Reges & Prophetæ voluerunt te videre, & non viderunt! Felix tamen ex omnibus Simeon, cujus senectus in misericordia uberi. Is nempè exultavit ut videret desiderii signum, & vidit & gavisus est: acceptoquè osculo pacis in pace dimittitur: antè tamen apertè pronuncians Jesum esse natum in signum cui contradicendum erat. Omninò ita fuit. Contradictum est exortò signo pacis, sed ab his qui oderant pacem. Nam pax hominibus bonæ voluntatis, malevolis autem petra scandali, & lapis offensionis. Hærodes denique turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Siquidem in propria venit, & sui eum non receperunt. Felices illi in sua pernoctatione pastores, qui signi huius visione digni habiti sunt. Jam tunc se abscondebat à sapientibus & prudentibus, & revelabat pavulis. Et Hærodes videre voluit, sed quia non bona voluntate, non meruit. Pacis siquidem signum erat datum tantùm hominibus bonæ voluntatis. Hærodi verò & similibus ejus non dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ. Si enim cogno-

t Serm. 3. de Adv. Dom. num. 2. u Serm. 2. in Cant. num. 6.

cognovissent (x) nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non cognovit Hærodes, & idcirco despexit. Non cognovit Synagoga, quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans, Alios, ait, salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Christus Rex Israel descendat de Cruce, & credemus ei. Sed cognovit latro de cruce licet in cruce, qui & innocentiæ puritatem confessus est: Hic autem, inquiens, quid mali fecit? Et gloriam Regiæ majestatis simul est protestatus: Memento mei, dicens, dum veneris in regnum tuum. Cognovit Centurio, qui Filium Dei clamat. Cognoscit Ecclesia, quæ ejus æmulatur nigredinem, ut decorem participet. Denique (y) & terra cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus cùm clamasset voce magna, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, itaut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit infernus, cujus ipse portas æreas & vectes ferreos confregit, ubi & ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus & satanas. Profectò qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cœcos illuminavit, claudos firmavit, & omnes exsufflavit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eadem manu quâ fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic & qui in ore piscis cum ipso pisce stateram inveniri prædixit, patet proculdubiò quia maris & omnium quæ in mari moventur, Dominus fuit. Qui verò traduxit aereas potestates, & affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas potestatem accepit. Jam autem cùm se Dominum universorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno, probasset, non restabat nisi ut & aeris, & cœlorum se esse Dominum argumentis similibus vel certè potioribus approbaret. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.

2. Venit (z) ut *crederetur*, qui non credebatur. Venit inquam, ut crederetur Divinitas ejus. Sola est (*A*) quæ nec propter se, nec propter alium, solatio corporei instrumenti opus habet illa Majestas, cujus omnipotenti arbitrio incunctanter præstò est omne opus: omne altum inclinat, omne adver-

x *Serm. 28. in Cant. num. 10.* y *Serm. 2. in Ascens. Dom. num. 1.*
z *Serm. de Adv. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 600.* A *Serm. 6. in Cant. n. 1. & 2.*

versum cedit,omne creatum fovet, etiam nullo interveniente vel subveniẽte solatio corporali sivè spirituali. Docet vel monet sine lingua: præbet vel tenet sine manibus:sine pedibus currit & succurrit pereuntibus. Astitabat ista & cum patribus, prioribus sæculis: experiebantur homines sedula beneficia, sed latebat eos beneficus. Ille quidem attingebat à fine usque ad finem fortiter, sed disponens omnia suaviter non sentiebatur ab hominibus. Et gaudebant de bonis Domini, sed Dominum Sabaoth (eò quòd cum tranquillitate judicaret omnia) omninò nesciebant. Ab ipso erant, sed non cum ipso. Per ipsum vivebant, sed non ipsi. Ex ipso sapiebant, sed non ipsum, alienati, ingrati, insensati. Hinc demùm factum est, ut quod erant, quod vivebant, quod sapiebant, non Auctori tribuerent, sed naturæ adscriberent, aut certè (quod insipientius erat) fortunæ. Propriæ quoque industriæ atque virtuti multi multa arrogabant. Quanta sibi usurparunt seductorii spiritus? quanta soli & lunæ data sunt? quanta terris, & acquis attributa? quanta etiam manufactis fabrilibusquè mortalium deputata operibus? Herbis, arbustis, minutissimis vilissimisquè seminibus pro Numinibus deferebatur. Heu, sic homines perdiderunt & commutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli commedentis fœnum. Et erat nox *(b)* in universo orbe ante veri luminis ortum, ante Christi nativitatem. An non profundissima nox, & densissimæ tenebræ super universam faciem terræ, cùm olim patres nostri factitios colerent Deos, & insano penitùs sacrilegio ligna & lapides adorarent? Quorum Deus miseratus errores *(c)* de monte umbroso & condenso dignanter egrediens, in sole posuit tabernaculum suum. Obtulit carnem sapientibus carnem, per quam discerent sapere & Spiritum. Nam dum in carne & per carnem facit opera non carnis sed Dei, naturæ utique imperans, superansquè fortunam, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumquè debellans tyrannidem: manifestè ipsum se indicat esse, per quem eadem & ante fiebant quando fiebant. In carne inquam, & per carnem potenter & patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna: evidenter ostendit quia ipse sit qui potenter, sed invisibiliter secula condidisset, sapienter regeret, beni-

a [illegible] *b* [illegible] Nat. Dom. num. 1. & 2. *c* Serm. 5. in Cant. num. 2.

benignè protegeret. Denique dum evangelizat ingratis, signa præbet infidelibus, pro suis crucifixoribus orat: nonne liquidò ipsum se esse declarat, qui cum Patre suo quotidiè oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & iniustos? Hoc enim est, quod ipse ajebat; Si non facio opera Patris mei, nolite credere. Nec sic tamen *(d)* evigilant Judæi ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum, bestialem hanc & plusquàm bestialem hebetudinem ab eis depellere quivit. De qua non minùs mirabili, quàm miserabili cœcitate factum est, ut in illud tam horrendum, tamquè enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis iniicientes manus sacrilegas. Cùm ergo venit *(e)* Dei Filius factus est homo qui erat Deus: qui tanquam medicus bonus dedit præcepta, quibus observatis reformaretur salus amissa. Vt verò præceptis faceret fidem, exhibuit signa: ut eorumdem præceptorum persuaderet utilitatem, promisit beatitudinem. Est igitur *Fides* triplex alia præceptorum, alia signorum, alia promissorũ: idest, quâ credimus in Deum, quâ credimus Deũ, quâ credimus Deo. Per fidẽ prçceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum, est in eum sperare, & eum diligere. Per fidem signorũ credimus Deum, qui talia potest, & omnia potest. Per fidem promissorum credimus Deo, qui quidquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque *Spes* triplex est, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ: de fide signorum, spes gratiæ: de fide promissorum, spes gloriæ. *Charitas* itidem ternario numero colligitur, de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est, ut quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei. Maximè autem exhibenda est proximo, quia Deo manifesti sumus. Proximo autem nõ possumus, nisi inquantùm illi cor nostrũ aperimus. Conscientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia & continentia: quando scilicet per pænitentiam peccata commissa punimus, & per continentiã deinceps punienda non committimus: & hanc debemus nobis. Post hæc superest fides non ficta: quæ Deo vigilanter exhibenda est, ut

nec

d *Serm. 60. in Cant. num. 5.* e *Serm. 45. de divers. num. 4. & 5.*

nec propter proximum cui nos impendimus, offendamus Deum: nec propter conſcientiam quam per pœnitentiam & continentiam in humilitate cuſtodire volumus, minùs exequamur mandatorum Dei obedientiam: & hæc eſt fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei, & fictæ. Mortua fides eſt, quæ ſine operibus eſt. Fides ficta, quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Vnde etiam ficta ideſt fragilis dicitur. Venit ergo (*f*) à Patre miſſus Dei Filius, & dedit fidem. Fidem proinde (*g*) exegit ab homine. Exegit autem fidem, prorogando pietatem. Qua exactione nulla poterat eſſe validior, quia non fuerat difficilè homini miſero, ei ſe credere à quo ſe præventum videbat pietate. Sed & cùm ſe ei credere non poſſet in quo ſpem non haberet, cum fide etiam ſpem obtulit. Credis in Chriſtum? (*h*) fac Chriſti opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio Non incurvet terrenum opus, quem fides cœleſtium erigit. Qui te dicis in Chriſto manere, debes ſicut ipſe ambulavit, & tu ambulare. Sed nec opera quamvis recta rectum cor efficere ſufficiunt ſine fide. Quis enim rectum dicat hominum non placentem Deo? Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Qui non placet Deo, non poteſt illi placere Deus. Nam cui placet Deus, Deo diſplicere non poteſt. Si ergo nec fides ſine operibus, nec opera ſine fide ſufficiunt ad animi rectitudinem: nos qui Chriſtum credimus, rectas ſtudeamus facere vias noſtras, & ſtudia noſtra. Levemus corda cum manibus ad Deum, ut toti recti inveniamur, fidei noſtræ rectitudinem rectis actibus comprobantes. Rectum revera (*i*) te dixerim, ſi rectè in omnibus ſentias, & factis non diſſentias. Inviſibilis animi ſtatum nunciet fides & actio. Rectum judica, ſi fide Catholicum, & juſtum opere probaveris.

3. Venit (*k*) ut *timeretur*, qui non timebatur. Venit inquam, ut timeretur poteſtas ejus. Nam & ante (*l*) ita locutus eſt: Si ego Dominus, ubi eſt timor meus. Exigit ergo Deus timeri ut Dominus. Potentiæ, (*m*) quæ poteſt nos punire, & ſa-

*f Ibidem nu.*4. g *Lib.*2.*de amore Dei cap.*12.*n.*36. h *Serm.*24.*in Cant. n.*8.*&* 9. i *Ibidem nu.*7. k *Serm.de Adv.Dom.n.*1.*tom.*6.*pag.*600. l *Serm.*83.*in Cant.n.*4. m *Lib.*2.*de amore Dei cap.*11.*num.*32.

ſapientiæ,quam nihil poteſt latere,debemus timorem verum: ideſt, quem non impedit torpor ſecuritatis, vel refugium ſimulationis. Simulatio eſt, vel quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem miſericordiam ſimulamus in Deo. Penſa *(n)* cujus ſit formidinis & horroris,tuum atque omnium contempſiſſe Factorem, offendiſſe Dominum majeſtatis. Majeſtatis eſt timeri, Domini eſt timeri, & maximè hujus Majeſtatis, hujuſquè Domini. Nam ſi reum regiæ majeſtatis quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite ſancitum ſit: quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit? Tangit montes, & fumigant: & tàm tremendam Majeſtatem audet irritare vilis pulviculus,uno levi flatu mox diſpergendus, & minimè recolligendus? Ille ille timendus, qui poſtquàm occiderit corpus, poteſtatem habet mittere & in gehennam. Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipſis quoque tremendum Angelicis poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, qui *(o)* præcedentibus omnibus Angelis, & ſubſequentibus hominibus univerſis, deſcendet judicare vivos & mortuos. Humilis priùs venit animas ſalvare, ſublimis autem veniet cadaver iſtud reſuſcitare. Tunc videbitur cum poteſtate magna & majeſtate, qui priùs in infirmitate carnis latuerat. Vt hinnulus quippè apparuit parvulus *(p)*qui natus eſt nobis. Verùm tu qui adventum deſideras Salvatoris, time ſcrutinium Judicis, time oculos ejus, time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa & ego ſcrutabor Hieruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquet oculus ejus. Scrutabitur renes & corda, ipſaquè cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Hieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Hieruſalem converſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes: & non veluti hi(qui in Babylone ſunt) vitam in perturbatione vitiorum, ſcelerumquè confuſione vaſtantes. Denique illorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad judicium, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio. Mea

autem

n *Serm.46. in Cant. num.7.* o *Serm.2. de Aſcenſ. Dom. num. 4.*
p *Serm.55. in Cant. num.2.*

autem (qui videor monachus & Hierosolymita) peccata certè occulta sunt, nomine & habitu monachi obumbrata. Et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione, & quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Possumus afferre aliquid *(q)* & de Psalmo ad confirmandum id, quod dicitur de scrutanda Hierusalem. Ait namque sub persona Domini: Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo. Vias justorum (ni fallor) & actus eorum discussurum se & examinaturum dicit. Verendum valdè cùm ad hoc ventũ fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ iustitiæ (ut putantur) peccata appareant. Quid denique tam pavendum *(r)* quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quàm iudicandum astare illi tam terrifico Tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententiam? Horrendum est (ait Apostolus) incidere in manus Dei viventis. Apis habet mellis dulcedinem *(s)* habet etiam aculei punctionem. Apis verò est Christus, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Huius apis mel & aculum non ignorat, qui misericordiam ei & iudicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens solùm mel attulit, & non aculeum: idest misericordiam, & non iudicium, itaut suadentibus quandoque discipulis ut civitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit, Filium hominis non venisse ut iudicaret, sed ut salvaret mundum. Non habebat aculeum apis nostra quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens misericordiam exhibebat, & non iudicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam Pater non iudicat quemquam, sed Filio dedit omne Iudicium. Tunc enim *(t)* quantùm ad illos oblivisctur misereri Deus. Veniet in ira & indignatione tanquam furibundus, & immemor miserationum suarum. Erit enim tunc *(u)* non misericordiæ, sed judicii tempus: nec ulla omninò cre-

 den-

q *Ibidem num.3.* r *Serm.8.super Psalm.90.nu.12.* s *Serm.2.de Adv.Dom. nu.3.* t *Serm.1.in Dom.1.post oct.Epiphan.nu.2.* u *Serm.8.super Psalm.90. num.11.*

denda est erga impios futura illic miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Manipulus primitiarum nostrarum Christus (x) oblatus est ad dexteram Patris assumptus, & assistit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem ad dexteram, habens in dextra misericordiam, in sinistra judicium: & misericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit misericordiam suam super timentes se secundùm altitudinem cœli à terra, ut majores cumulos miserationum Domini sentiant, quàm sit spatii inter cælum & terram: propositum namquè Dei super illos manet immobile, & misericordia Domini ab æterno, & usquè in æternum super timentes eum: ab æterno per prædistinationem, in æternum per glorificationem. Similiter & reprobis terribilis est super filios hominum: & utrinque stat fixa sententia æternitatis, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Verùm (y) si iniquitates obseruaverit, etiam Electorum quis sustinebit? Astra non sunt munda in conspectu ejus, & in Angelis reperit pravitatem. Audi deniquè sanctum & electum quid dicat Deo; Tu, inquit, remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. Opus itaquè habent & Sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salui fiant; propriæ justitiæ non fidentes. Omnes enim peccaverunt, & egent misericordiâ Dei. Ut ergò cùm iratus fuerit, misericordiæ recordetur, rogatur à sposâ Ecclesia apparere in misericordiæ habitu illo, de quo Apostolus: Et habitu, inquit, inventus ut homo. Necessariè quidem. Si enim hoc quoque temperamento tanta erit in judicio æquitas, in Judice feritas, in Majestate sublimitas, novitas in facie ipsa rerum, ut secundùm Prophetam non possit cogitari dies adventus ejus: quid putas foret, si ignis ille consumens (Deum loquor Omnipotentem) in illa suæ Divinitatis magnitudine, fortitudine, puritate venisset, contra folium quod vento rapitur ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus? Et homo est, inquit, & quis videbit eum? Et quis stabit ad videndum eum? Quantò magis Deum nobis absquè homine exhibentem nemo hominum ferret? ut potè claritate inaccessibilem, celsitu-

x *Serm. 2. in Ascens. Dom. n. 5.* y *Serm. 73. in Cant. n. 4. & 5.*

celſitudine inattingibilem, incomprehenſibilem majeſtate. Tunc verò cum exarſerit in brevi ira ejus, quàm grata propter filios gratiæ apparebit blanda quædam viſio hominis, ſanè firmamentum fidei, ſpei robur, fiduciæ augmentum: quòd ſcilicet gratia & miſericordia ſit in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius. Deniquè ipſe Pater Deus dedit Filio judicii poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia filius hominis eſt. O' verè Patrem miſericordiarum, vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione& perturbatione malorum, electis fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo. Prædixerat hoc quondam Sanctus David, orans pariter & prophetans. Deus, inquiens, judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis. Sed neque huic diſſonat promiſſio facta per Angelos, qui eo aſſumpto ità ad Apoſtolos loquebantur: Hic Jesus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cœlum, hoc eſt in hac ipſa corporis forma atque ſubſtantia.

CAPUT XIX.

De Amore Verbi Filii Dei Incarnati, quo dilexit genus humanum.

1. Filius Dei factus homo dilexit nos dulciter, ſapienter, & fortiter. 2. Et nos diligamus Jeſum toto corde, tota anima, & tota virtute. 3. De differentia inter amorem carnalem, rationalem, & ſpiritualem. 4. Afferuntur motiva propter quæ debemus amare Deum: Videlicet propter creationem noſtram. 5. Propter redemptionem. 6. Propter mandata Dei. 7. Propter promiſſiones ejus. 8. Propter judicia Dei patefacta in vocatione Gentium, & repulſione Judæorum.

1. VEnit Verbum ad carnem (z) Deus ad hominem. Verbum caro factum eſt, & Deus factus eſt homo. Venit (*A*) ut amaretur, qui non amabatur. Venit ut amaretur

z *Serm. 7. in ult. Gen. n. 47. tom. 6. pag. 676.*
A *Serm. de Adv. Dom. n. 1. tom. 6. pag. 600.*

retur benignitas ejus. Volens ſiquidẽ Deus *(b)* nobilem creaturam hominem recuperare, Si, inquit, invitum coëgero, aſinum habebo, non hominem: quoniam quidem non libens veniet nec ſpontaneus, ut poſſit dicere: Voluntariè ſacrificabo tibi. Nunquid aſinis dabo regnum meum? Nunquid de duobus cura eſt Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, ſi fortè convertatur & vivat. Et comminatus eſt acerbiora, quæ excogitari poſſunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cùm autem nec ſic homo revocaretur, ait: Non ſolùm timidus, ſed etiam cupidus eſt. Promittam ei, quod potiſſimum deſiderabile videatur. Deſiderant homines aurum & argentum, & ſimilia: & ſuper hæc omnia vitam deſiderant. Manifeſtũ eſt hoc, & valdè manifeſtũ. Si, inquit, tantoperè deſiderant miſeram hanc laborioſam vitã & momentaneam, quantùm diligẽt vitam quietam, æternam, beatã? Promiſit itaquè vitã æternã, promiſit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcẽdit. Videns autem Deus *(c)* quòd nihil proficeret, Unum inquit, reſtat adhuc. Ineſt homini non ſolùm timor, & cupiditas: ſed & amor, nec quidquam eſt eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, & tàm amabilem ſe exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, quâ majorem nemo habet, ut animam ſuam daret pro nobis. Et verè in nullo ſic commendat Deus charitatem ſuam, quomodò in myſterio Incarnationis, & Paſſionis: in nullo ſic revelatur ejus pietas, in nullo ſic apparet benignitas, quomodò in humanitate, Apoſtolo teſte qui ait: Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei. Ecce *(d)* quomodo dilexit. Adde quod hanc ipſam dilectionem non reddidit, ſed addidit. Nam quis prior dedit, & retribuetur ei? Sed ut Sanctus Joannes Evangeliſta ait: Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos. Deniquè dilexit etiam non exiſtentes. Sed adiecit & reſiſtentes diligere, juxtà Pauli teſtimonium dicentis: Quoniam cùm adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Alioquin ſi non dilexiſſet inimicos, nondum poſſediſſet amicos: ſicut necdum quos ſic diligeret eſſent, ſi non dilexiſſet qui nondùm eſſent. Dilexit autem *(e)* *dulciter*, *ſapienter*, *fortiter*. Dulce

nempè

b *Serm. 29. de div. n. 2.* c *Ibidem. n. 3.* d *Serm. 20. in Cant. n. 2.* e *Ibidem. n. 3.*

nempè dixerim, quòd carnem induit: cautum, quòd culpam cavit: forte, quòd mortem sustinvit. Nam quos sanè in carne visitavit, carnaliter tamen nequaquam amavit, sed in prudentia spiritus. Spiritus quippè ante faciem nostram Christus Dominus, æmulans nos Dei æmulatione, non hominis: & certè saniori, quàm primus Adam Evam suam. Itaquè quos in carne quæsivit, dilexit in spiritu, redemit in virtute. Plenum prorsùs omni suavitatis dulcedine, videre hominem hominis Conditorem. At dum naturam prudenter selegit à culpa, etiam potenter mortem propulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi: in culpæ vitatione consuluit sibi: in mortis susceptione satisfecit Patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Huic securus me credo, qui saluare me velit, noverit, possit. Quem quæsivit, hunc & vocavit per gratiam suam: nunquid venientem ejiciet foras? Sed nec vim nec fraudem metuo peofectò ullam, quòd me videlicet de manu ejus possit eruere, qui & vincentem omnia vicit mortem, & seductorem universitatis serpentem arte utiquè sanctiore delusit, isto prudentior, illâ potentior Christus. Carnis quidem assumit veritatem, sed peccati similitudinem: dulcem prorsùs in illa exibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis diabolo. Porrò ut Patri nos reconciliet, mortem fortiter subit & subigit, fundens precium nostræ redemptionis sanguinem suum. Ergò nisi amasset dulciter, non me in carcere requisivisset illa Maiestas. Sed junxit affectioni sapientiam, quâ tyrannum deciperet: junxit & patientiam, quâ placaret offensum Deum Patrem. O suavitatem! (f) ô gratiam! ô amoris vim! Itane Summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tàm non violentum? Amor est. Quæ est ista vis quæso tam violenta ad victoriam? tam victa ad violentiam? Deniquè semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est. Et hoc totum non propter se (g) sed propter

f Serm. 64. in Cant. n. 10. g Serm. 2. in Cœna Dom. n. 2.

propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de ſeruis.

2. Porrò (*h*) vis audire modum dilectionis eius? Vis noſſe effectum? Sic Deus dilexit mundum, ut Unignitum ſuum daret. Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Audi ipſum Filium: Maiorem, inquit, hac, dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Dilige ergo ô homo, dilectorem tuum. Diſce ô Chriſtiane, à Chriſto (*i*) quemadmodùm diligas Chriſtum. Diſce amare *dulciter*, amare *prudenter*, amare *fortiter*. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppreſſi, ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his Sapiētia Chriſtus. Nè ſeducaris ſpiritu mēdacii & erroris, luceſcat tibi Veritas Chriſtus. Ne adverſitatibus fatigeris, confortet te Virtus Dei Chriſtus. Zelum tuum inflamet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit feruidus, ſit circumſpectus, ſit invictus. Nec teporem habeat, nec careat diſcretione, nec timidus ſit. Et vide ne fortè tria iſta tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis: animæ verò amor ad induſtriam ſeu iudicium rationis: virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantiâ & circumſpectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro eius amore pertimeſcas, ſicut ſcriptum eſt in conſequentibus: Quoniam fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Sit ſuavis (*k*) & dulcis affectui tuo Dominus Jesus, contra malè utiquè dulces vitæ carnalis illecebras: & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodùm clauum clavus expellit. Sed ſit nihilominùs intellectui prævia lux, & dux rationi, non ſolùm ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum verſutiis cuſtodiendam: verumetiam ut cautus quoquè ſis nimiam & indiſcretam vehementiam in tua converſatione vitare

---

h *Tract. de trib. præcept. myſt. cap. 6. n. 17.* i *Serm. 20. in Cant. n. 4.*
k *Ibidem n. 5.*

vitare. Sit etiam fortis,& constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuosè, circumspectè, & validè: scientes amorem cordis quem affectuosum dicimus,absque eo qui dicitur animæ,dulcem quidem,sed seductibilem: istum verò absque illo qui virtutis est, rationabilem esse, sed fragilem. Et vide in manifestis exemplis hoc ita esse ut dicimus.Cùm ægrè ferrent Discipuli quòd de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant,audierunt: Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem. Quid ergo? Non diligebant de cuius discessione dolebant? Sed diligebant quodammodo & non diligebant. Diligebant dulciter, sed minùs prudenter. Diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Denique diligebant toto corde, non autem tota anima. Dilectio eorum contra salutem eorum. Unde & aiebat: Expedit vobis ut ego vadam, culpans consilium, non affectum. Nocte verò ipsa *(l)* quâ tradendus erat Dominus, & dulciter & prudenter diligebat Petrus,cùm diceret: Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire: sed non diligebat fortiter, quoniam qui cecidit, stabili non erat ille gradu. Nondum venerat virtus ex alto, quâ acceptâ non negavit, sed libera voce usus, Vos, inquit,iudicate utrum Deo magis obedire oporteat, an hominibus? Tunc demùm *(m)* tota virtute dilexit Petrus,cùm nec vitæ suæ pepercit pro dilectione. Maiorem siquidem charitatem nemo habet,quàm si animam suam ponat quis pro amicis suis? Quam etsi minimè tunc posuit, iam tamen exposuit. Ergo non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, nec iniuriis frangi: toto corde,tota anima, tota virtute diligere est. Et nota *(n)* amorem cordis quodammodo esse carnalem, quòd magis erga carnem Christi, & quæ in carne Christus gessit vel iussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore homo, facilè ad omnẽ de huiusmodi sermonem compungitur. Nihil autem libentiùs, nihil legit studiosiùs, nihil frequentiùs recolit,nihil suaviùs meditatur.Sanè*(o)*ad affectuosum hunc quẽ dicimus cordis amorẽ plurimùm valet Incarnationis Christi cogitatio, sed & totius dispensationis quam gessit in carne, & maximè Passionis.Videns

l *Serm. 29. de divers. num. 5.* m *Serm. 20. in Cant. num. 6.*
n *Ibidem n. 7.* o *Serm. 29. de div. n. 2.*

dens enim Deus homines omninò carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Et hanc arbitror (p) præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus conversari: ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret: atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne denique in hoc gradu adhuc stabant qui aiebant: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Solo profectò corporalis præsentiæ amore reliquerant omnia. Itaque in sola interim gratia præsentis suæ carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem postea eis altiorem amoris gradum, cùm diceret. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. In carnis ergo (q) devotione interim consoletur, qui vivificantem spiritum necdum habet, eo duntaxat modo quo habent illi, qui aiunt: Spirtus ante faciem nostram Christus Dominus. Et item: Et si cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non novimus. Nam aliàs quidem nequaquam sine Spiritu Sancto vel in carne diligitur Christus, etsi non in illa plenitudine. Cuius tamen mensura devotionis hæc est, ut totum cor illa suavitas occupet, totum sibi ab amore universæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet. Hoc quippe toto corde diligere est.

3. Licèt verò donum (r) & magnum donum Spiritus Sancti sit istiusmodi erga carnem Christi devotio: carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tàm Verbum caro jam sapit, quàm Verbum Sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus, & si quid aliud quod sit hujusmodi dici potest. Et hæc nempè omnia Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio. An tibi æquè & uno modo affecti videntur; is quidem qui Christo passo piè compatitur, compungitur & movetur facilè ad memoriam horum quæ pertulit, atque istius devotionis suavitate pascitur, & confortatur ad quæque salu-

p Serm. 20. in Cant. num. 7. q Ibidem num. 8. r Ibidem num. 9.

salubria, honesta, pia? Itemque ille qui justitiæ zelo semper est accensus, qui veritatem ubique zelat, qui sapientiæ fervet studiis, cui amica sanctitas vitæ, & morum disciplina: cujus mores erubescunt iactantiam, abhorrent detractionem, invidiam nesciunt, superbiam detestantur, omnem humanam gloriam non solùm fugiunt, sed & fastidiunt & contemnunt, omnem in se carnis & cordis impuritatem vehementissimè abominantur & persequuntur: omne denique tanquam naturaliter & malum respuunt, & quod bonum est amplectuntur? Nonne si compares utriusque affectiones, constat quodammodo illum superiorem respectu quidem huius amare quasi carnaliter? Bonus tamen amor iste carnalis, per quem vita carnalis excluditur, contemnitur & vincitur mundus. Proficitur autem in eo, cùm fit & rationalis, perficitur cùm efficitur etiam spiritualis. Porrò rationalis tunc est, cùm in omnibus quæ oportet de Christo sentiri, fidei ratio ita firma tenetur, ut ab Ecclesiastici sensus puritate nulla verisimilitudine, nulla hæretica seu diabolica circumventione devietur. Itemque cùm in propria conversatione illa cautela servatur, ut discretionis meta nulla superstitione, vel levitate, vel spiritus quasi ferventioris vehementiâ excedatur. Sapientia est Deus, (s) & vult se amari non solùm dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus, Rationabile, inquit, obsequium vestrum. Alioquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit ut eâ incautè & non cum ratione ambuletur. Et hoc esse (t) tota anima mea Deum diligere, iam supra diximus. Quod si etiam adiuvantis Spiritus vigor tantus accedat, ut nulla vi laborum vel tormentorum, sed nec mortis metu iustitia unquam deseratur: in hoc etiam tota virtute diligitur, & est amor spiritualis. Quod nimirùm nomen huic specialiter amori congruere puto, ob prærogativam utique plenitudinis Spiritus quâ præcellit. Et propterea credo (u) ter interrogatur Petrus, Amas me, amas me, amas me? Sed & fortè hæc sunt,

 de

s Serm. 19. in Cant. num. 9. t Serm. 20. in Cant. num. 9. & 10.
u Serm. 29. de div. num. 1.

de quibus in lege præcipitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: ideſt, diliges dulciter ſive affectuosè, diliges prudenter, diliges fortiter. Et notandum (x) quòd ad illud excitatur mens humana ſpecialiter tribus affectionibus, ac provehitur: unde & Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute iubetur. Prima quidem dulcis, ſecunda prudens, tertia fortis eſt. Primam habuit Petrus, cùm Domino mori diſſuaderet: ex corde enim dulciter diligebat, cuius paſſionem expaveſcebat. Sed cùm audiret: Vade retrò ſatana, non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominis: his verbis eruditus, & intelligens quid boni haberet mors Chriſti, cœpit totâ animâ prudenter diligere, quem priùs tantùm diligebat dulciter toto corde. Necdum verò diligebat tota virtute: quod ſi faceret, nec propter mortis diſcrimen eum negaret. At verò poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem dato deſuper Spiritu, tunc demùm tota virtute dilexit, pro quo etiam horrendum crucis ſupplicium poſtmodùm ſubire non expavit. Porrò myſterium Incarnationis & Paſſionis Chriſti (y) ad affectuoſum cordis amorẽ ideò diximus pertinere: nam videre eſt homines ſic effectos ergo huiuſmodi, ut vix ſine lachrymis audiant, vel recordentur. Hic ergo amor contra concupiſcentiam carnis eſt. Quid enim dulce ſit ei in carne, cui tanta dulcedo eſt in Chriſti paſſione? Verùm hæc dulcedo falli poteſt, ſi deſit prudentia, & iam difficilè caveri poterit in melle venenum. Neceſse eſt igitur adeſſe prudentiam, quâ diligenter interiora myſteria inveſtigare poſſimus, ut parati ſimus omni poſcenti reddere rationem. Hic amor prudens excludit curioſitatem: ſiquidem animus his intentus, temporalium non poterit eſſe curioſus, dicens cum Propheta: Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt. Tertium eſt, ut fortiter quiſque diligat, quatenùs ſicut falli non poteſt, ita nec cogi poſſit paratus omnia pati propter juſtitiam. Quis autem neſciat eum qui rex cœli ſit, terrena regna & honores non ambire, ſed magis abiicere? Porrò, Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quo-

x *Serm. 96. de diverſ. num. 6.* y *Serm. 19. de div. num. 4.*

quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Item audi (z) illud Sapientiæ præceptum: Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Quam ſi perfectè dilexerit homo, debet pro ea ferre patienter omnem pœnam, & quamcunque illatam contumeliam. Duo quippè præſtabit ei juſtitia; unum, ut faciat quod debet: alterum, ut patiatur quod debet: ſcilicet, ut ſi bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiatur. Sic miro modo nè deſerendo quidem juſtitiam ab ipſa deſerimur, dum per ipſam quilibet prævaricationis reatus punitur. Hanc autem pœnam non ſolùm vir juſtus non horret, verumetiam libenter excipit, dum per eam præteritæ vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim ſcriptum eſt: Non triſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.

4. Vt à magiſtri Sancti Pauli verbis (A) ſermo exordium ſumat: Qui non amat Dominum JESUM, anathema ſit. Valdè omninò mihi amandus eſt, per quem ſum, vivo, & ſapio. Quid retribuam Domino (b) pro omnibus his? Infidelem ratio urget & iuſtitia naturalis totum ſe tradere illi, à quo ſe totum habet, & ex ſe toto debere diligere. Mihi profectò fides tantò plùs indicit amandum, quantò & eum meipſo pluris æſtimandum intelligo: quippè qui illum nõ ſolùm mei, ſed ſui quoque ipſius teneo gratuitum largitorem, largiſſimũ adminiſtratorem, pium conſolatorem, ſollicitum gubernatorem. Denique nondum tempus fidei advenerat, nondum innotuerat in carne Deus, nondum commendaverat in nobis ſuam multam dilectionem illam, de qua iam multa locuti ſumus: cùm iam mandatum eſt homini diligere Dominum Deum ſuum toto corde, tota anima, tota virtute ſua: id eſt, ex omni quod eſt, quod ſcit, quod poteſt. Nec tamen injuſtus Deus, ſuum ſibi vindicans opus & dona. Vt quid enim non amaret opus artificem, cùm haberet unde id poſſet? Et cur non quantùm omninò poſſet, cùm nihil omninò niſi ejus munere poſſet? Ad hæc, quòd de nihilo, quòd gratis, quòd in hac dignitate conditum eſt: & debitum dilectionis maniſeſtius facit, & exactum iuſtiorem oſtendit. Vnde ſi ingratus ſum, (c) & indignus. Dignus planè eſt morte, qui tibi Do-

z Serm 103. de div. num. 3. A Serm. 20. in Cant. num. 1. b Tract. de dilig. Deo cap. 5. num. 15. c Serm. 20. in Cant. num. 1.

Domine Jesu recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? Propter temetipsum Deus fecisti omnia: & qui esse vult sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Vide ô homo *(d)* quid ipse tibi erogavit, imò quod prærogavit, & supererogavit: creavit, cùm nos esses: creavit te ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem, conferens tibi naturalia: ad similitudinem, largiens gratuita: ut mente excelleres, & omnia irrationalia ratione vinceres. Fecit inquam te ad imaginem suã & similitudinem Deus. Ad imaginem, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem, & cætera naturalia: ad similitudinem, ut haberes innocentiam, iustitiam, & alia gratuita. Ad imaginem & cognitionem veritatis: ad similitudinem in amore virtutis. Vel certè factus es ad imaginem Dei collatis tibi omnibus istis: ad similitudinem secundùm essentiam Deitatis factus es immortalis. Porrò recognosce anima *(e)* quòd quandoque non eras, à Deo facta es. Nihil ei dedisti, ut te faceret? Nihil enim dare poteras, quæ non eras. Cùm autem melius esset esse quàm non esse, gratis tibi esse contulit: omnibus illis preferens, quę de nõ essę ad esse poterat perducere nec perduxit. Adiecit tibi speciem, & cum essentia de nihilo prodierat de gratia Creatoris? Ipse sua te imagine & similitudine insignivit, & adhibuit cum pulchritudine vitam. Vnde autem tanta, & tam gratuita, & tàm inaudita dignatio, ut fieres ad imaginem & similitudinem eius? nisi ut simile tuum diligeres, & ei, qui te gratuita dilectione prævenit, dilectione mutua conformares. Ei ergo cor & medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui te diligere dignatus est: nihil tamen in te reperiens diligendum. Ama signaculum tuum, & imaginem tuam, qui ut expressior in te forma tui Creatoris appareat, ei qui charitas est, te fide & charitate conforma: & in materiam gratiarum beneficia eius iugi meditatioue cogita.

5. Sed est *(f)* quod me plùs movet, plùs urget, plùs accendit. Super omnia namque reddit amabilem te mihi, Jesu bone,

---

d Tract. de trib. præcip. myst. cap. 1. num. 3. & 4. e Lib. 3. de Amore Dei cap. 21. num. 71. & 72. f Serm. 20. in Cant. num. 2.

bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc inquam est, quod nostram devotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Multùm quippè laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor assumpsit. Illa dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt. At verò hîc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Quid ergo retribuam Domino (g) pro omnibus his? Quod si totum me debeo pro me facto: quid addam iam & pro refecto, & refecto hoc modo? Non enim tàm facilè refectus, quàm factus. Siquidem non solùm de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: Dixit, & facta sunt. At verò qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura: nec tantùm dura, sed & indigna. Quid, inquam, retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid suum ego ad Deum? O homo (h) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Dilige ergo, ô homo, dilectorem tuum; dilige eum non tantùm verbo & lingua, sed opere, & veritate. Dilige eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua. Dic: Diligam te Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Verè liberator, quia liberasti me pauperem à potente, & inopem cui non erat adiutor: & liberasti animam meam à perditione. Adde (i) quòd Sponsus Jesus non modò amans, sed amor est. Nunquid honor? Contendat quis esse, ego non legi. Legi autem quia Deus charitas est, & non quia honor est, vel dignitas legi: non quia honorem non vult Deus, qui ait: Si

g Tract. de dilig. Deo cap. 5. num. 15. h Tract. de trib. precip. myst. cap. 6. n. 17.
i Serm. 83. in Cant. num. 4.

Si ego Pater, ubi est honor meus? Verùm id Pater. Sed si Sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem,& dicet: Si ego Sponsus, ubi est amor meus? Nam & ante ita locutus est: Si ego Dominus, ubi est timor meus? Exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Quid in his præstat? qui eminet? Nempè Amor. Absque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Servilis est timor, quamdiù ab Amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor & gloria, sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum. Fructus eius, usus eius. Amo, quia amo: amo, ut amem. Magna res amor,si tamen ad suum recurrat principium; si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat unde iugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura etsi non ex æquo respondere Auctori,vel de simili mutuam rependere vicem. Verbi gratiâ. Si mihi irascatur Deus, num illi ego similiter reirascar? Non utique, sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, sed ex me potiùs iustificabitur. Nec si me iudicabit, iudicabo ego eum, sed adorabo: & salvans me non quærit à me ipse salvari; nec vicissim eget ab aliquo liberari, quia liberat omnes. Si dominatur, me oportet servire: si imperat, me oportet parere, & non vicissim à Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc iam videas de amore quàm aliter sit. Nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippè non aliud amat nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint. Nemo autem se amari diffidat (k) qui iam amat. Libenter Dei amor nostrum amorem quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes? Amavit inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus Spiritum: habes & testem fidelem Jesum,& hunc crucifixum. ò ge-

k *Epist.107.num.8.*

O geminum ipsumquè firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste & dat. In illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Quanta confusio, Dei Filium in gratis oculis cernere morientem! Quod quidem facilè contingit, si desit Spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, amati amamus: amantes ampliùs meremur amari.

6. In hoc quoque (*l*) cognoscitur amator Christi, si servat præcepta Christi dicentis: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria, & servat in vita: qui habet faciendo, & servat perseverando. Vel qui habet in sermonibus, & servat in moribus: vel habet audiendo, & servat faciendo. Ille est qui diligit me. Multi sunt enim qui Domini mandata habent, & ea minimè tenent: multi habent in libro, sed ea non tenent in animo: multi in voce, sed non in opere: multi in memoria, sed non in vita: multi in verbo, sed non in exemplo. Illi profectò non sunt de dilectoribus Christi. Qui ex Deo est (*m*) verba Dei audit. Nonnullos enim sic interdum audientes invenies, ac si nihil omninò ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare in cor suum, non discutere mores suos, non cogitare ne fortè quod audiunt, dictum sit propter eos: magis autem (si fortè sermo Dei vivus & efficax manifestè adversus vitia illa, quibus sese illi sentiunt obligatos, processerit) dissimulant, & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his salutis signa non video, magis autem vereor ne fortè propterea non audiunt verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. Isti (*n*) plagis vapulabunt multis. Istis erit fletus & stridor dentium, ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars pœnæ eorum. Sed diligentibus Christum magnum erit gaudium, magnum erit

l *Serm. 9. in ult. Cœn. num. 57. & 58.* m *Serm. in Septuages. num. 2.*
n *Serm. 9. in ult. Cœn. num. 58.*

tripudium, magna exultatio, magna gloriatio. Magna mihi consolatio est fratres mei (o) in verbo illo Domini, Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc inquam dicere potest? reclamante nimirùm Scriptura: Nescit homo si sit dignus amore, an odio? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitùs cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præscivit Deus, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut quibus certitudinem negat causa sollicitudinis, vel fiduciam præstet gratia consolationis. Porrò inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, unum illud maximum est de quo Jesus loquitur: Qui ex Deo est, verba Dei audit. In vobis fratres (gratias Deo) verè invenio aures audiendi: nimirùm cùm in emendatione vestra sine mora appareat fructus verbi. Cùm enim, verbi gratiâ (p) post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem: porrò mitis, humilis, fortis, in sua quisque gratia excrevisse, & se ipso melior factus esse agnoscitur: sed & qui fortè tepuerant & languebant circa spirituale studium torpentes & dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referbuisse & evigilàvisse videntur: hi inquam de rore verbi, & pluvia voluntaria quam segregavit Deus hæreditati suæ, refloruisse probantur in opera obedientiæ, facti in omnibus voluntarii & devoti. Propterea Deus (q) tota mente diligendus est in suis mandatis. Vult enim Deus ut tota mens hominis ita inclinet se ad obediendum, ut omnes sensus & affectiones suas impendat observantiæ mandatorum cælestium. Obedire siquidem Deo, est voluntati ejus per omnia consentire, & sic obediendo vivere. Quia vita est in voluntate ejus. Cùm autem voluntas Dei exprimatur in mandatis ipsius, nec Deum quis possit diligere nisi ejus diligat voluntatem:

o Serm. 1. in Septuag. el. num. 1. & 2. p Serm. 51. in Cant. num. 4.
q Lib. 3. de Amore Dei cap. 30. num. 99.

tem: constat Deum neminem posse diligere, nisi diligat mandata ejus. Est denique probatio dilectionis ex mandatis Dei, si in eis meditemur, si secundùm ea operemur: si in eorum exercitio versemur. Quod insinuans Propheta, Meditabor, inquit, in mandatis tuis, quæ dilexi. Ecce sollicita meditatio. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Ecce diligens operatio. Et exercebor in justificationibus tuis. Ecce justificans exercitatio. De dilectione Dei *(r)* quò plùs bibo, plùs sitio: & in ea saturari non possum, nec ego nec aliquis perfectè diligens Christum. Ipsa quò plùs editur, plùs famem exauget: & quantò plùs ipsa bibitur, plùs sitim incendit: ipsam quam inhabitat mentem sic inebriat, ut nihil jam quærat vel diligat, nec diligere possit, nec valeat præter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum Vnigenitum daret: ut omnis qui credit & diligit illum non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem Auctor ipse inæstimabilis charitatis invitat: in ea nos manere precatur & orat. Ait enim: Manete in dilectione mea. Ac si apertè dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo: eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa à vestra charitate me seiunxit: me diligite, & in mea dilectione manete. Sed qualiter in dilectione eius manere debeamus, sequitur & dicit: Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione. Item, *(s)* Si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit. Vbi enim servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quomodo in corde servandi? An sufficit sola eos servare memoria? At verò sic servanti dicet Apostolus: Quoniam scientia inflat. Denique & memoriam facilè delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo meliùs servare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi. Vbi verò commederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei.

 Bea-

r Serm. 13. in ult. Cœn. num. 102. s Serm. 5. de Adventu Domini num. 2.

Beati enim qui custodiunt illud. Ergo traiiciatur in viscera quædam animæ tuæ: transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede verbum, & delectabitur in crassitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne exarescat cor tuum, sed adipe & pinguedine repleatur anima tua. Solus igitur amor est *(t)* quem à nobis Deus exigit, aut cùm beneficiis obruit, aut flagellis corripit, vel consiliis instruit, vel mandatis astringit. Plenitudo legis charitas est, & legem continet & Prophetas. Quia quidquid divina lege indicitur vel interdicitur, ad solum amorem reducit. Solve tributum amoris, & Domino noveris satisfactum.

7. Denique *(u)* ex tota anima Deum in suis promissis amare tenemur. Ille quidem qui veritas est, qui salvare nos vult & scit & potest, promittit nobis requiem à labore, securitatem à timore, gaudium à mœrore, resurrectionem à morte, vitam æternam à transitu huius vitæ. Promittit regnum cœlorum, refectionem in mensa Patris. Promittit quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, sicut paravit diligentibus se. Promittit insuper & seipsum: Iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Dives est omnibus *(x)* qui invocant eum, nec tamen habet quidquam seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectione animarum sanctarum, se in redemptione distrahit captivarum. In omnibus ergo promissionibus *(y)* quæ omne desiderium superant, tota animæ possibilitate curramus. Licet enim sine modo debeat esse ad hoc hominis desiderium, quia *(z)* causa diligendi Deum Deus est: modus, sine modo diligere. Tamen *(A)* ex defectu hominis recipit in se modum. Quodsi desideriũ tamen ex defectu circa promissiones Dei modum excedat: non habet hic excessus excessum, & est impatientia commendabilis, cùm spes quæ differtur, affligit animam. Amor ex desiderio iuge recipit incrementum. David dilationem hanc impatientissimè ferens, Quemadmodum, inquit, desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Apostolus etiam

t *Lib.3.de amore Dei cap.3.num.15.* u *Lib.3.de amor. Dei cap.28.num.94.*
x *Tract.de dilig.Deo cap.7.num.22.* y *Lib.3.de Amore Dei cap.28.num.94.*
z *Tract.de dilig.Deo cap.1.num.1.* A *Lib.3.de amore Dei cap.28.num.94.*

etiam patientiæ impatiens, Coarctor, inquit, è duobus: desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò enim melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos. Sponsa etiam desiderio Sponsi ardenter & impatienter exæstuans, atque cælestium virtutum sanctorumquè precibus suos commendans affectus, Adiuro vos, inquit, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum, nunciate ei, quia amore langueo. Item, *(b)* Osculetur, inquit, me osculo oris suis. Quis dicit? Sponsa. Quæ sponsa? Anima sitiens Deum. Sed pono diversas affectiones, ut ea quæ propriè sponsæ congruit, distinctiùs elucescat. Si servus est, timet à facie Domini. Si mercenarius, sperat de manu Domini. Si discipulus, aurem parat magistro. Si filius, honorat patrem. Quæ verò osculum postulat, amat. Excellit in naturæ donis affectio hæc amoris: præsertim cùm ad suum recurrit principium, quod est Deus. Amat, inquam, quæ osculum petit. Non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, non denique vel doctrinam, sed osculum: Osculetur me, ait, osculo oris sui. An non tibi quasi dicere manifestè videtur: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Amat profectò *castè*, quæ ipsum quem amat, quærit, & non aliud quidquam ipsius. Amat *sanctè*, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat *ardenter*, quæ ità proprio inebriatur amore, ut maiestatem non cogitet. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quàm quòd perfecta charitas foras mittit timorem. Non quiesco, ait sponsa, *(c)* nisi osculetur me osculo oris sui. Non sum ingrata, sed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsùs inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Nè quæso causemini præsumptionem, ubi affectio urget. Pudor sanè reclamat, sed superat amor. Nec ignoro quòd honor Regis iudicium diligit, sed præceps amor nec iudicium præstolatur, nec rationi subiicitur. Rogo, supplico, flagito, Osculetur me osculo oris sui. Et item ait: *(d)* Num quem diligit anima mea, vidistis? O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose! qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordi-

b *Serm.7.in Cant.n.2.&* 3. c *Serm.9.in Cant.n.2.&* 3. d *Serm.79.in Cant. n.1.*

ordines, dissimulas usum, modum ignoras, totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii iudiciique videtur, triũphas in temetipso, & redigis in captivitatem. En omne quod cogitat sponsa & quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil: ità tibi ipsius & cor vendicasti, & linguam. Ait, Num quem diligit anima mea, vidistis? Hinc notandum, (e) quòd amor, qui procedit ex desiderio promissorum, proprius est animæ. Nam in Sanctorum desideriis hæc affectio animæ frequenter exprimitur, ut illud est in Psalmo: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Et item: Sitivit anima mea ad te Deus. Et alibi Propheta: Nomen tuum Domine, & memoriale tuum in desiderio animæ: Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis. Donec homines (f) pro Dei cultu mercedem tantùm in terra, & tantùm terram acceperunt (illam utiqne lacte & melle manantem) minimè se cognoverunt peregrinos super terram, nec more turturis ingemuerunt veluti patriæ reminiscentes. Vbi autem regni cœlorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hîc civitatem manentem, sed futurã inquirire tota aviditate cæperunt, & tunc primũ manifestè sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque anima Christi præsentiam suspiraret, regni dilationem molestè ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret: nonne tibi videtur vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis quæcunquè anima in terris ita gemuisset? Extunc ergo & deinceps vox turturis audita est in terra nostra. Quidni moveat mihi crebras lachrymas & gemitus quotidianos Christi absentia? Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum eius, gemitus isti comperti sunt. Quid dulcius (g) lachrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex mærore. Flet ex desiderio, & dicit: (h) Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Meritò sponsa illò suspirat, meritò inhiat loco pascuæ simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed stuporis. Nam

e Tract. de trib. præcip. Myst. cap. 28. num. 95. f. Serm. 59. in Cant. num. 4. g Serm. 58. in Cant. num. 11. h Serm. 33. in Cant. num. 2.

Nam & me miserum heù longè agentem & de longè salutantem,en ipsa eius recordatio ad lachrymas provocat,planè juxta affectionem & vocem dicentium : Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur tui Sion.Libet exclamare & me cum sponsa pariter & cum Propheta: Lauda Deum tuum Sion ; quoniam confortavit feras portarum tuarum , benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Quis non illic vehementer cupiat pasci & propter pacem , & propter adipem , & propter satietatem ? Nihil ibi formidatur,nihil fastiditur, nihil deficit; Tuta habitatio, Paradisus: dulce pabulum, Verbum: opulentia multa nimis, Æternitas . O regio sublimis , (i) plena divitiarum,de valle lachrymarum suspiramus ad te , ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione , intellectus sine errore,ratio sine obscuritate splendebit . Regio, in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, idest talem se qualis est ostendet, Illic erit Deus omnia in omnibus ; ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam , & vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum , stipatum legionibus Angelorum , Sanctorum ornatum agminibus, & dic: Beati , qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorũ laudabunt te. Cùm ergo mente perceperis tam preciosas nundinas , mercimonia tam præclara , construe sarcinam tuam Amorem Dei.Exigit proinde fletum (k)à nobis desiderium futuræ beatitudinis.Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte (ait Propheta) dum dicitur mihi quotidiè,ubi est Deus tuus ? Nunquid (l) non plerumquè orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius , quod est in Hierusalem quæ sursum est, quæ est mater nostra ? & lachrymarum undâ vultus meditantium se perfundit ? O si duraret ? Si oblitus fuero tui Hierusalem , oblivioni detur dextera mea : adhæreat lingua mea faucibus meis , si non meminero tui , si non proposuero Hierusalem, in principio lætitiæ meæ . Verè in principio lætitiæ,quia finis illic repositus est.Si nõ quotidiè &tu(m)satis po-

stulas

i *Serm. 42. de div. num. 7.* k *Serm. 2. in Quadrag. num. 4.*
l *Serm. 19. de div. num. 5.* m *Serm. 2. in Quadrag. num. 4.*

ſtulas cum lachrymis futura gaudia, nec ſatis ea concupiſcis: minùs tibi nota ſunt, ſi non renuit conſolari anima tua, donec veniant.

8. Sicut autem ex promiſſionibus Dei (n) deſiderium ſurgit, quo mediante Deum totâ animâ affectamus: ſic ex Judiciis Dei cauſam & judicium habet amor, quo Deum tota virtute, totiſquè viribus, ideſt fortiter & conſtanter amamus. Eſt autem judicium Dei deſiderabile, juxta illud: Aſpice in me & miſerere mei, ſecundùm judicium diligentium nomen tuum. Notus in Judæa Deus (o) in Iſrael magnum nomen ejus. Populus Gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam quæ erat in Judæa & in Iſrael. Voluitquè accedere & illuminari, ut qui aliquando non populus, nunc populus eſſet: lapiſquè unus angularis ambos in ſe parietes venientes in diverſo reciperet, & eſſet de cætero in pace locus ejus. Porrò fiduciam dabat invitantis vox quæ jam ſonverat: Lætamini Gentes cum plebe ejus. Ergo accedere voluit, ſed vetuit Synagoga, immundam aſſerens Eccleſiam de gentibus & indignam, idolatriæ fæcem & ignorantiæ cæcitatem improperans, & dicebat: Tu enim quo merito? Noli me tangere. Cur inquit? An Judæorum tantùm Deus? Nonne & Gentium? Etſi mihi certè meritum deeſt, ſed non illi miſeratio. Nunquid ſolummodò juſtus eſt? Eſt & miſericors. Domine, veniant mihi miſerationes tuæ, & vivam. Et rursùm: Miſericordiæ tuæ multæ Domine, ſecundùm judicium tuum vivifica me: quod nimirùm temperatum miſericordiâ eſt. Quid faciet juſtus & miſericors Dominus: Alterâ gloriante in lege, & applaudente Juſtitiam ſibi, nec indigente miſericordiâ, ſed deſpiciente ipſam quæ indiget: Alterâ è regione propria cognoſcente delicta, confitente indignitatē, renvente judicium, flagitante miſericordiam. Quid inquam faciet Judex, & ille Judex cui & judicare & miſereri ſic utrumque familiare eſt, ut neutrum altero familiarius? Quid ſanè poſſit convenientius, quàm ut pro ſuo quæque accipiat voto, judicium illa, iſta miſericordiam? Judæus Judicium quærit, & habeat: Gentes autem ſuper miſericordia honorant Deum. Et eſt judicium, ut qui contemnunt miſericordem juſtitiam, & ſuam volunt

n *Lib. 3. de Amore Dei cap. 29. num. 96.* o *Serm. 14. in Cant. num. 1.*

volunt constituere (quæ professò non justificat, sed accusat) eidem suæ justitiæ relinquantur, opprimendi magis quàm justificandi. Est quippè ex lege (p) quæ neminem unquam duxit ad perfectum: est jugum, quod neque ipsi neque patres eorum unquam portare potuerunt. Sed Synagoga fortis est, non curat onus leve nec jugum suave. Sana est, non est ei opus medicus, nec unctio spiritus. Confidit in lege, liberet eam si potest. Non autem data est lex quæ possit vivificare, insuper & occidit. Litera enim occidit. Propterea (inquit Jesus) dico vobis, moriemini in peccatis vestris. Hoc ergo judicium, ô Synagoga, quod flagitas. Errori tuo cæca & contentiosa desereris, donec plenitudo Gentium (quas superba spernis, & invida repellis) introeat, & agnoscat etiam ipsa ipsum qui notus est in Judæa Deus, quodquè est in Israel magnum nomen eius. Hoc quippe in judicium venit Jesus in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Habet professò Judæa oleū multum Divinæ notitiæ, idquè in se tanquam in vase clausum avara retinet. Peto; & non miseretur nec commodat. Sola Dei cultum, sola notitiam, sola vult possidere magnum nomen eius. Nec zelat sibi, sed invidet mihi. Ergo tu Domine (q) iudica iudiciūm meū; & nomen tuum magnū magnificetur adhuc: & oleum quod multum est, multiplicetur magis. Crescat, ebulliat, effundatur, derivetur & in Gentes, & sentiat omnis caro salutare Dei. Quo pacto (ut vult Judæus ingratus) tota in barba Aaron remaneat unctio salutaris? Non barbæ, sed capitis est. Caput autem non barbæ solius, sed & totius est corporis. Capiat sanè prima, nō sola. Refundat & in inferioribus membris quod accepit ipsa desuper. Descendat descendat & in ubera Ecclesiæ supernus liquor. Avida quippè nimis hunc sibi exprimere de barba non despicit. Perfusaquè rore gratiæ, ut se non ingratam probet, dicat: Oleum effusum nomen tuum. Sed exuberet quæso adhuc, & perveniat usquè in oram vestimenti, in me utiquè omnium novissimo atque indignissimo, de vestimento tamen. Nam & ego illud mihi de maternis uberibus tanquam paruulus in Christo jure professò pietatis efflagito. Quod si murmuret homo cui de bonitate oculus nequam est,

 Domi-

p *Ibidem num. 2.* q *Ibidem num. 3.*

Domine, responde pro me. De vultu tuo judicium meum prodeat, & non de supercilio Israel. Imò responde pro te, & dic calumniatori, tibi quippè calumniatur quòd tribuas gratis. Dic proindè illi: Volo & huic novissimo dare similiter. Displicet Pharisæo. Quid mussitas? Jus meum, voluntas est Judicis. Quid justius ad meritum, quid ad præmium ditius? An non licet ei quod vult facere? Mihi quidem misericordia, sed tibi minimè iniuria fit. Tolle quod tuum est, & vade. Si decreverit saluare & me, quid tu perdis? Exaggera quantùm vis merita, & extolle sudores: melior est misericordia Domini super vitas. Fateor, non sustinui pondus diei & æstus: sed jugum suaue & onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius est horæ, & si plus, præ amore non sentio. Judæus (r) proprias exercitet vires, mihi probare libet quàm sit voluntas Domini bona & beneplacens & perfecta. Ex ea sanè operis ac temporis damna mihi resarcio. Ille pacto conventionis, ego placito voluntatis initio credo, & non ad insipientiam mihi. Nam vita in voluntate eius. Illa mihi reconciliat Patrem, illa hæreditatem restituit: etiam cumulatiori gratia symphoniæ & cantus, & epularum, ac totius exultantis familiæ celeberrima gaudia suscitat mihi. Si indignatur frater meus senior ille, qui hædum commedere mavult cum amicis suis foris, quàm mecum in paterna domo vitulum saginatum: respondebitur illi; Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est. Adhuc Synagoga foris epulatur cum amicis suis dæmonibus, quibus satis placet quòd hædum peccati insipiens devorat transglutiens, & reponens atque quodammodo occultans sibi illud in ventre secordiæ & insipientiæ suæ: dum contemnẽs Dei justitiam, & suam volens constituere, dicit se non habere peccatum, nec morte egere vituli saginati: mundam siquidem justamquè ex legis operibus se reputans. At verò Ecclesia scisso velo occidentis literæ in morte Verbi Crucifixi, audacter ad ejus penetralia prætereunte spiritu libertatis irrumpit, agnoscitur, placet, sortitur æmulæ locum, fit sponsa, fruitur præreptis amplexibus: & in calore spiritus Christo Domini cui confricatur, inhærens,

r Ibidem a. 4. n. 4.

hærens, ſtillante ac fundente undique ſui oleum exultationis, hoc illa præ participibus ſuis excipiens,ait:Oleũ effuſum nomen tuum. Quid mirum ſi ungitur, quæ unctum amplectitur? Sponſa, ut dixi (s) Eccleſia eſt. Ipſa eſt cui plùs dimiſſum eſt, & quæ plùs diligit. Quod æmula improperat ei ad convitium, hoc ſibi ipſa inflectit ad commodum. Inde manſuetior ad correptionem, inde potentior ad laborem, inde ardentior ad amorem, inde ſagacior ad cautelam, inde humilior pro conſcientia, inde acceptior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarũ actionem devotior ac ſolicitior. Denique Synagogâ (ut dictum eſt) murmurante,& memorante merita ſua & labores & pondus diei & æſtus: Eccleſia beneficium recolit, dicens: Oleum effuſum nomen tuum. Hoc planè teſtimonium ad confitendum nomini Domini. Non tamen Iſrael ſecundùm carnem, ſed ejus qui ſecundùm ſpiritum eſt. Nam hoc ille quo pacto dicat? Non quòd non habet oleum, ſed non habet effuſum. Habet, ſed reconditum: habet in codicibus, ſed non in cordibus. Foris hæret in litera: contrectat manibus vas plenũ ſed & clauſum, nec aperit ut ungatur. Intùs intùs eſt unctio Spiritus: aperi & ungere, & iam non eris domus exaſperans. Murmuret ſanè Aaron (t) murmuret & Maria, non nova ſed vetus: non Mater Domini, ſed ſoror Moyſi. Vos autem ut dignum eſt (murmurantibus ſacerdotibus, murmurante Synagoga) toto affectu in gratiarum actione verſamini. Unde enim tibi ô humana anima,tàm inæſtimabilis gloria,ut eius ſponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere? Unde tibi hoc, ut ipſe ſit Sponſus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cuius nutum univerſa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi,ut ſis ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia deniquè thalami, ut introducat te Rex in cubiculum ſuum? Vide iam quid de Deo tuo ſentias? Vide quantùm de Deo præſumas? Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimavit, imò qui tanti te fecit? De latere enim ſuo te reformavit, quando propter te obdormivit in Cruce, & ſomnum mortis excepit. Propter te à Deo Patre exivit, & matrem Sy-

Iii 2 nago-

s Ibidem num. 7. t Serm. 2. in Dom. 1. poſt. octau. Epiph. num. 2.

nagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo ſpiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & conſidera quanta ſit erga te dignatio Dei tui: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Deſere carnales affectus: ſeculares mores dediſce: à prioribus vitiis abſtine, conſuetudines noxias obliviſceres. Quid enim putas? nonne ſtat Angelus Domini qui ſecet te mediam, ſi fortè (quod avertat ipſe) alterum admiſeris amatorem?

CAPUT XX.

De perfidia Synagogæ Judæorum, & Charitate Eccleſiæ erga ſalutem eorum.

1. Quanta ſit cæcitas Judæorum, Meſſiam Chriſtum deſiderantium, & præſentem inter Chriſtianos repudiantium? 2. Quanta malitia Synagogæ in abnegando Chriſtum ante ejus paſſionem? 3. Judæorum querimonia de ſui repulſione, & Gentium vocatione. 4. Reſponſum ad eorum inſipientem querimoniam. 5. De charitate Eccleſiæ optantis ſuæ æmulæ Synagogæ ſalutem ſive converſionem. 6. Gratiarum actio, & clauſula bujus Opuſculi.

1. CUM factus eſſet Jeſus annorum duodecim (u) aſcendit Hieruſalem. Planè ſecundùm leges allegoricas, Chriſtus de Nazareth aſcendit Hieruſalem: quando relictâ Synagogâ, Eccleſiæ Gentium præſentiam ſuæ pietatis exhibuit. Tunc quippè (x) tenebroſis gentilium cordibus lux cæleſtis infulſit, diſcuſsâquè priſtinæ infidelitatis tetrâ caligine, ſplendor fidei mentibus perditorum radios ſuæ claritatis invexit. Remanſit itaque (y) puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Eſt adhuc in Eccleſia Chriſtus: & Judæi, parentes ſcilicet eius ſecundùm carnem, ignorant. Eſt adhuc in Ægypto Joſeph, & lingua Ægyptiaca (non Judaica) dicitur Salvator Mundi: & ipſo frumenta ſapientiæ ſuæ Ægyptiis, ideſt Gentibus dividente, fratres ejus

u *Tract. de Ieſu puero duodenni num. 14.* x *Ibidem num. 16.* y *Ibidem num. 14.*

ejus inter Chananæos (immundos ſcilicet ſpiritus) verbi Dei fame tabeſcunt, Exiſtimantes (inquit Evangeliſta) eum eſſe in comitatu. Quid eſt hoc? Adhuc ô Judæi, Chriſtum in veſtro comitatu præſumitis? cùm iam ſecundùm Jeremiā veſtrum reliquerit domum ſuam, dimiſerit hæreditatem ſuam: quoniā facta eſt hæreditas eius quaſi ſpelūca leænæ. Quibus indiciis, quibus myſteriis, quibus ſacramētis, in veſtro eſt comitatu? Vbi templū? Vbi iuge ſacrificiū? Vbi Sacerdotium? Vbi altare illud quod ſolum vobis in ſola Hieroſolyma conceſſum eſt? Vbi ignis ille perpetuus, quo extincto, omnia pariter holocauſtomata perierunt, quæ non poſſunt alieno igne conſumi? Si flos non decidit, (a) ubi ergo regnum? ubi Sacerdotium? ubi Prophetæ? ubi templum? ubi denique magna illa, de quibus gloriari ſolebatis, & dicere: Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis? Et iterùm: Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis? Ergo (*A*) aut nihil horum habetis: aut ſi fortè vos ea habere præſumitis, non ſecundùm Dei præceptum habetis, ac proinde nec Chriſtum habetis. In his enim omnibus ſecundùm prophetica myſteria, Chriſtum aliquando habebatis: ſed apparente eo quem prænunciabant, ipſa prænuncia ſublata ſunt: de quibus fruſtra poſt eius adventum præſumitis. Si omnis caro fænum: (*b*) ergo carnalis ille populus Judæorum ut fænum aruit. An non fænum aruit, dum idem populus ab omni ſpiritus pinguedine vacuus, ſiccæ literæ adhæſit? An non etiam flos decidit, quando gloriatio quam habebant in lege, non remanſit? O mira perverſitas! (*c*) O mira cæcitas! Hæc omnia non attendentes Judæi, adhuc eum eſſe in ſuo æſtimant comitatu, & requirunt eum inter cognatos & notos. Quem quæritis, ò Judæi, quem quæritis? Jam lapis abſciſſus de monte ſine manibus, univerſam implevit faciem terræ, & adhuc quæritis? Ecce ubique terrarum diſperſi, ubiquè Chriſtum oſtènditis, & adhuc quæritis? Vbique inter gentes in laudibus Chriſti veſtrū *Amen* reſonat, veſtrum *Alleluia* cantatur, veſtrum *Hoſanna* reſultat, & adhuc quæritis? In Sole poſuit tabernaculum ſuum, non eſt qui ſe abſcon-

a *Serm. 1. ſuper miſſus num. 4.* A *Tract. de Ieſu puer. duod. num. 14.*
b *Serm. 1. ſuper miſſus num. 4.* c *Tract. de Ieſu puer. duoden. num. 14.*

ſcondat à calore eius, & adhuc quæritis? Quæritis eum inter cognatos & notos: quæritis eum apud *Eſaiam*, ſed ſicut ipſe ait: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini: Iſrael autem non cognovit me, populus meus non intellexit: ideò non invenitis. Quæritis eum apud Sanctum *David*, ſed & ſecundùm ipſum, Facta eſt menſa veſtra coram vobis in laqueum: ideò non invenitis. Obſcurati ſunt enim oculi veſtri ne videant, & dorſa veſtra incurua verunt. Quæritis eum apud *Jeremiam*, ſed ipſo teſte, Sacerdotes ignorant legem, neſciunt videntem: ideò non invenitis. Quæritis apud *Moysen*, ſed uſquè hodie cùm legitis Moyſen, Velamen poſitum eſt ſuper cor veſtrum: ideò non invenitis. O nihilominùs intellectum groſſum (*d*) Judæorum & certè bovinum! qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei. Nimiùm me fortaſſe queratur in ſui ſuggillatione Judæus, qui intellectum illius dico bovinum. Sed legat in Eſaia, & plùſquam bovinum audiet: Cognovit, inquit, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini: Iſrael non cognovit me, populus non intellexit. Vides me Judææ mitiorem tibi Propheta tuo? Ego te comparavi jumentis, ille ſubiicit. Quanquam in ſua perſona Propheta non dixit hoc, ſed in Dei, qui Deum ſe & ipſis operibus clamat: Et ſi mihi, inquit, non creditis, operibus credite: & ſi non facio opera Patris mei, nolite credere. Nec ſic tamen evigilant ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum beſtialem hanc, & pluſquam beſtialem hebetudinē ab eis depellere quivit. De qua nō minùs mirabili quàm miſerabili cæcitate factū eſt, ut in illud tàm horrendū, tamquè enormiter groſſum facinus proruerint, Domino maieſtatis iniicientes manus ſacrilegas. Terra cognovit Dominum (*e*) quia ad vocem virtutis eius cùm clamaſſet magna voce, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia ſolidum ſe præbuit ſub pedibus eius, itaut Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognovit infernus, cuius ipſe portas æreas & vectes ferreos confregit, ubi & ligavit illum inſatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus & ſatanas. Sic & qui in ore piſcis cum ipſo piſce ſtaterram inveniri prędixit, patet proculdubio quia maris & omnium

d *Serm. 60. in Cant. num. 5.* e *Serm. 2. de Aſcens. Dom. num. 1.*

nium quæ in mari moventur, Dominus fuit. Iam autem cùm se Dominum quæ sunt in terra & in mari & in inferno probasset, non restabat nisi ut & aeris & cœlorum se esse Dominum, argumentis similibus vel certè potioribus approbaret. Qui enim descendit ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Cognovit (*f*) latro de cruce licet in cruce, qui & innocentiæ puritatem confessus est: Hic autem, inquiens, quid mali facit? Et gloriam regiæ maiestatis simul est potestatus: Memento mei, dicens, dùm veneris in regnum tuum. Cognovit Centurio, qui Filium Dei clamat. Cognoscit Ecclesia, quæ æmulatur eius nigredinē, ut decorē perciperet. Non cognovit autem Synagoga, quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans: Alios, ait, saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Christus Rex Israel descendat de cruce, & credimus ei. Propterea Viri Ninivitæ (*g*) consurgent contra vos in iudicio, ô Iudæi! propterea ipsi iudices vestri erunt, quia Prophetæ obtemperaverunt, vos nec Domino Prophetarum. Sic & Stephanus ad homicidas, (*h*) ad legis adulteros, & crucifixores Filii Dei Patris loquitur, genti peccatrici in Ægypto, populo gravi iniqitate in deserto, semini nequam in terra promissionis, filiis sceleratis in morte Salvatoris: Dura, inquit, cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis.

2. Ficus protulit grossos suos, ait Salamon. Ego hoc loco (*i*) non quemvis populū interpretari liberū puto, unus signanter exprimitur. Neque enim protulerunt, dixit, quasi de pluribus, sed quasi de una, protulit, inquit, ficus grossos suos: & (ut sentio ego) quæ est plebs Iudæorum. Quanta in hanc Salvator parabolicè in Euangelio loqui videtur? ut est illud: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Item: Videte ficulneam, & omnes arbores. Et Nathaeli dictum est: Cùm esses sub ficu, vidi te. Et rursùm maledicit ficulneæ pro eo, quòd non invenit in ea fructum. Benè ficus, quæ bona licet Patriarcharum radice prodierit, nunquàm tamen in altum proficere, nunquam se humó attollere voluit, nunquam respondere radici proceritate ramorum, generosi-

f Serm. 28. in Cant. num. 10. g Serm. 1. de Resurrect. Dom. num. 11.
h Serm. de S. Stephano Mart. nu. 2. tom. 6. pag 627. i Serm. 60. in Cant. nu. 3.

nerositate florum , fœcunditate fructuum . Malè prorsùs tibi cum tua radice convenit arbor pusilla , tortuosa , nodosa . Radix enim sancta . Quid eâ dignum tuis apparet in ramis? Ficus, inquit, protulit grossos suos. Non hos nobili à radice traxisti semen nequam. Quod in ea est, de Spiritu Sancto est, ac per hoc subtile totum ac suave. Tibi unde hi grossi? Et verè quid nòn grossum in gente illa? Nec actus profectò, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus, quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat, intellectus in crassitudine literæ, cultus in sanguine pecudum & armentorum. Mali imbres *(k)* etiam traditiones Pharisæorum, quos Salvator redarguit, & ipsi nubes malæ. Et nisi existimes me injuriam facere Moysi, nam bona nubes est illa, non omne quod pluit vel ipsa, bonum tamen dicam, ne Ezechieli contradicam qui ait: Dedit illis, idest Judæis, præcepta non bona, (haud dubium quin per Moysen) & justificationes in quibus non vivent in eis. Literalis illa (verbi causa) observatio sabbathi sonantis requiem non donantis, indictus sacrificiorum ritus, interdictus porcinæ carnis esus, nonnullorumquè similium quæ immunda à Moyse censentur, pluvia est hoc totum ex illa nube descendens, sed nolo in agrum vel hortū meum quandoque descendat. At dicit aliquis: *(l)* Cùm istiusmodi grossos non aliquando proferre gens Judæorum cessaverit, ergo non aliquando tempus putationis non extitit, quia unum utique rei tempus existere perhibetur? Non ita est. Dicimus arbores edidisse flores suos, non cùm cœperint florere, sed potiùs cùm desierint. Ita hic quoque dictum est quia ficus protulit grossos suos, non cùm aliquos edidit sed cùm totos, idest cùm ad finem pervenit editio. Quæris quo tempoee istiusmodi complementum illi populo Judæorum accidit? Cùm Christum occidit: tunc completa est malitia eius, juxta quod ipse eis prædixerat: Implete mensuram Patrum vestrorum. Vnde in patibulo traditurus jam spiritum, Consummatum est, inquit. O qualem consummationem dedit grossis suis ficus hæc maledicta, & subinde æterna ariditate dam-

k *Serm. 58 in Cant. num. 7.* l *Serm. 60 in Cant. num. 4.*

damnata! O quàm sunt novissimi pejores prioribus! Incipiens ab inutilibus, ad perniciosos pervenit & venenatos. O grossum vipereumquè affectum, odire Hominem qui hominum & corpora sanat, & animas salvat. Descendit in carcerem (m) venit ut educat vinctum de domo carceris. Judæi verò non immemores odii quo oderant Patrem, exercent illud in Filium, unde & ipse ait: Quia oderunt me, & Patrem meum. Quid enim fecerunt impii, quibus gravis erat etiam ad videndum? Hic est, inquiunt, hæres: venite, occidamus eum. Sic ergo occiderunt Agnum Dei in suam quidem perniciem, sed in salutem nostram. Extunc (n) itaque dici potuit quia ficus protulit grossos suos, cùm jam videlicet legitima illius populi esse cœperunt quasi in exitu super summum, ut novis (iuxta veterem prophetiam) supervenientibus vetera proiicerentur. Non aliter sanè quàm quomodo grossi cadunt, & cedunt suborientibus ficubus bonis. Quamdiu, inquit, non cessavit ficus producere grossos suos, non te vocavi ô sponsa Ecclesia, sciens non posse unà prodire optimas ficus. Nunc autem productis qui priùs producendi erant, non jam intempestivè te invito, cùm boni ac salutares fructus in proximo esse noscantur, inutiles expuncturi. Hoc quippè (o) in judicium venit Jesus in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cœci fiant. Ex parte tamen: quia non repellet Dominus plebem suam, ex toto servans sibi ad semen Apostolos & multitudinem credentium, quorum erat cor unum & anima una. Sed nec repellet in finem, reliquias Israel saluaturus. Iterùm enim suscipiet Israel puerum suum, & recordabitur misericordiæ suæ: ut ne ibi quidem iudicium deserat comes misericordia, ubi nullum ipsa reperit locum. Alioquin si pro meritis recepisset, iudicium profectò sine misericordia ei qui non facit misericordiam. Et tu quidem impia Synagoga (p) hunc nobis Filium peperisti officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sino tuo extra Civitatem eiiciens, & elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ Gentium pariter & Ecclesiæ primitivorum, quæ est in cælis: Nec mihi nec

m *Serm. 3. in Circumc. n. 4.* n *Serm. 60. in Cant. n. 5.* o *Serm. 14. in Cant. n. 2.* p *Serm. 6 in Vig. Nativ. Dom. num. 11.*

vobis ſit, ſed dividatur. Dividatur, inquam, non inter utraſque, ſed ab utriſque. Expulſum enim, & exaltatum, & elevatum (& quidem modicè ſatis, tamen ut nec in tuis eſſet mænibus nec in terra) ferro undique coarctaſti, ne fortè vel hac vel illac excideret: ut videlicet à te ſeparatus ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirùm mater ita abortivum facere voluiſti, dum non eſſet qui excipere poſſet excuſſum. Age ergo, quid profeceris, intuere. Vndique enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant Regem Salamonem in diademate, quo coronaſti eum. Profectò coronatus eſt (q) à noverca ſua coronâ ſpineâ, coronâ miſeriæ: nimirùm à populo Judæorum (r) qui utique ſpinoſus detractione, hiſpidus ſuperſtitione, aridus fuit unctione divinæ gratiæ. Vnde ſpinoſus ſpineam coronam Regi ſuo exhibuit, & in eum ſicut ignis in ſpinis exarſit. O Regem (s) ô diadema! Mater ſiquidem Synagoga non matrem ſe exhibens ſed novercam, Regem noſtrum coronâ ſpineâ coronavit.

3. Habuit & Judæa (t) quoſdam JESUS, quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec paſcunt, nec medentur. Idcircò Synagoga in tenebris eſt uſque adhuc, fame & infirmitate laborans. Et non ſanabitur nec ſatiabitur, quouſque ſciat meum Jeſum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad veſperam. Revertere itaque (u) revertere Sunamitis, revertere in Hieruſalem, & invenies. Nunciatur certè Jeſu, quòd mater ejus & fratres foris ſtent quærentes eum. Nunquid egreditur? Vos potiùs ingredimini & invenietis. Et regredientes (inquit Euangeliſta) invenerunt eum poſt triduum in templo. In medio enim templi (x) miſericordia eſt, non in angulo aut diverſorio, quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum. In communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers niſi qui renuit. Medius veſtrûm ſtat, ô miſeri, quem vos neſcitis, ut morientes antequam videritis Chriſtum Dominum, non in pace dimittamini, ſed potiùs rapiamini à rugientibus præparatis ad eſcam. Spiritus Sanctus (y) loquitur myſteria, teſte Apoſtolo: ſed Iſrael pro velato myſterio ipſum myſterii velamen te-

q Serm. 2. in Epiſt. n. 3. r Serm. de B. M. Deip. n. 10. s Serm. 5. de omn. Sanct. nu. 9. t Serm. 15. in Cant. n. 8. u Tract. de Ieſu puer duoden. n. 15. x Serm. 3. in Purific. B. M. num. 2. y Serm. 73. in Cant. num. 2.

tenet. Quare, nisi quia adhuc velamen est positum super cor eius? Ita quod sonat litera, illius est: quod designat, meum est: ac per hoc illi ministratio mortis in litera, mihi vita in spiritu. Nam spiritus est qui vivificat, dat quippè intellectum. An non vita intellectus? Intellectum da mihi & vivam, ait Propheta Domino. Intellectus non remànet extrà, non hæret in superficie, non instar cæci palpat forinseca: sed profunda rimatur, preciosissimas solitus exinde veritatis exuvias tota aviditate diripere ac tollere sibi, & cum Propheta dicere Domino: Lætabor ego super eloquia tua; sicut qui invenit spolia multa. Nempè ita regnum veritatis vim patitur, & violenti rapiunt illud. Verùm ille senior frater, qui de agro veniens formam tenuit populi veteris & terreni, qui pro terrena hæreditate doctus diligere trituram, attrita fronte gemit anxius sub gravi jugo legis, portatquè pondus diei & æstus. Is, inquam, quia intellectum non habuit, foris stat etiam nunc, & non vult nec invitatus à Patre intrare domum convivii, semetipsum fraudans usquè adhuc participio symphoniæ & chori & vituli saginati. Miser, qui renuit experiri quàm bonum sit & quàm jucundum habitare fratres in unum. O fatuam (z) sponsam Synagogam, quæ contemnens Dei iustitiam (idest gratiam Sponsi sui) & suam volens constituere, iustitiæ Dei non est subiecta. Ob hoc misera repudiata est, & iam non est sponsa, sed Ecclesia cui dicitur: Desponsavi te mihi in fide. Desponsavi te mihi in iudicio & iustitia. Desponsavi te mihi in misericordia & miserationibus. Cæterùm (A) expectamus diem, qua prædicante Enoch, & Elia, Jesum inveniat mater eius Synagoga, ingressura nimirùm templum (idest Ecclesiam) in quo inter seniores & doctores medius residet mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus. Tunc vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis Jacob personabit, quando agnitus à fratribus verus Joseph populo Judæorum in fine mundi, quasi patri senescenti viuus nunciabitur à dicentibus: Joseph Filius tuus vivit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti. Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quid fecisti ô Joseph? Mater mo-

 ritur,

z Serm.67.in Cant.n.11. A Tract.de Iesu puer.duoden.num.16.& 17.

ritur, pater perpeti fletu conteritur, periclitantur fratres, tota insuper domus paterna languescit: & tu tuorum negligens, Ægyptiis consulis ad salutem? Fili, quid fecisti nobis sic? Eunt fratres in Ægyptum & redeunt, cernunt te Dominum terræ, nec cognoscuntur: & speciosus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur, domesticis tantùm tuæ carnis absconditur? Fili, quid fecisti nobis sic? Respicis tuos quasi alienos, imponis crimina, minaris supplicia: & quem clementissimum inveniunt alieni, tui te crudelissimum reperiunt. Fili, quid fecisti nobis sic? Prodigus ille filius tuus (qui dilapidavit omnem substantiam suam cum meretricibus, qui fornicatus in ligno & lapide, & mutavit gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atque serpentium) introductus in domum tuam: ecce jam tot annis vituli saginati carnibus pastus, & sanguine vuæ meracissimo inebriatus, in nostri David deliciis symphonia lusit & choro. Et nos (quorum erat testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum Patres, ex quibus tu secundùm carnem) quasi alieni foras stetimus. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Putabamus novo miraculo templum reædificandum, restaurandum sacerdotium, dispersionem Israel in dilectam sibi Hierosolymam revocandam, & sic Christum inveniendum in finibus Judææ, quem nunc invenimus in campis sylvæ. Dolentes quærebamus te: (*b*) doluimus antiqua sublata miracula, oracula siluisse Prophetica, Ducem de femore Jacob nullum, unctionem Regum & Pontificum nullam: & cùm hæc omnia tuum testarentur adventum, non credidimus tamen te, nobis relictis, alienum dignasse hospitium. Ideò dolentes quærebamus te. Non putabamus nobis promissum, nobis redditū, ob æmulæ gentis salutem reliquisse quos genuit, sprevisse quos fovit, & his (quibus mare cessit, quos cœlum pavit, quos potavit saxum, quibus aqua murus extitit, quibus murus peruius fuit, quibus paruit Sol, quibus Luna substitit, immundas idolatriā gentes prætulisse. Ideò dolentes quærebamus te. Et aliquandò quidem multis indiciis tuus nobis probabatur adventus, sed ob

b *Ibid. in num. 18.*

ob Gentium vocationem, & nostram repulsionem rursùs desperabatur. Ideo dolentes quærebamus te.

4. At ille, Quid est (inquit) quòd me quærebatis? *(c)* nesciebatis quia in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse? O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne ita oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam per omnes Gentes? Siccine non audistis per os David vocem Patris ad Filium? Postula à me, & dabo tibi Gentes hęreditatem tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ? Sicnę tibi Judæe *(d)* excidit quòd audisti in Psalmo, Quia Dominus regnavit à ligno, ut regem abneges, quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed nationibus hæc annunciatio debebatur. Dicite (inquit David) in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno. Quid est, inquam, quod me quærebatis *(e)* & non statim inter Gentes inveniebatis? Nonne Abrahæ dictum est: In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ? Nesciebatis, quia in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse? Audite Patrem per Esaiam loquentem mihi: Parùm est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad fines terræ. Decetne obsecro *(f)* ut benigni Patrisfamilias invitatos seruus nequam excludat? Ego sum, ait, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Et non ampliùs? Aperi manum tuam adhuc, & imple omne animal benedictione. Veniant ab Oriente & Occidente, & recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum. Veniant veniant tribus tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant, epulentur & delectentur in lætitia, & unus ubique resonet in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Nonne ego sum *(g)* apud Patriarcham Jacob, Expectatio gentium? Et apud Malachiam, Desideratus earum? & sicut idem ait. A solis ortu usque ad occasum, magnum nomen meum in Gentibus. Timuistis muneribus meis, invidistis visceribus meis: & quia nequam oculus saluti pœnitentis invidit, livore

c *Iisdem num. 18.* d *Serm. 1. de Resurrect. Domini num. 1.* e *Tract. de Iesu puer duoden. num. 18.* f *Serm. 15. in Cant. num. 3.* g *Tract. de Iesu puer duoden. num. 18.*

re cœcatus propriæ salutis Auctorem videre non potuit. Ideò naturalibus ramis non peperci, sed illis à radice naturalis olivæ decisis, ramos alienos inservi. Sed nunc exurgens miserabor Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Revoco quos abieceram, recolligo quos dispersoram, suscipio quos repuleram: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Tunc si fuerit *(h)* numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur (reliquiæ inquam Jacob) ad Deum fortem. Quando? utique post triduum. Post triduum enim invenerunt eum, ait Euangelista. Interim sanè *(i)* qui moritur manet in morte. Vnde Dominus *(k)* ait per Prophetam Oseam: Perditio tua Israel ex te tantùm: in me auxilium tuum. Quasi diceret: Vt pereas, imputa tuo merito: ut salveris meo auxilio. Audi denique ipsum: *(l)* Si non venissem, ait, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Non dicit simpliciter, & locutus non fuissem, sed inserens, *eis*, & *locutus eis*, inquit, non fuissem: ostendens sine dubio non ante censeri inexcusabiles de contemptu, quàm ad ipsorum usque notitiam jussio perveniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominùs excusaret. Nunc autem, inquit, quoniam locutus sum eis, excusationem non habent de peccato suo. Certum id quidem, *(m)* omnem qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipso jam non modò victum esse, sed etiam iudicatum. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Judas *(n)* panem intinctum accepit, quia Dominum Jesum tantùm hominem & non Deum putavit. Buccellam intinctam vel panem subcinericium intinctum comedit, quia etsi Dominum moriturum, tamen resurrecturum non credidit. Hunc Judæi, qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt: & mortem illius concedunt, sed Resurrectionem adhuc non admittunt. Vnde hi *(o)* qui ante non respiraverunt, nec enim quæsierunt inspirantis diei lumen, & Sol iustitiæ non ortus est eis: hi inquam ibunt de tenebris in tenebras densiores, ut

qui

h *Ibidem num.15.* i *Epist. 322. nu. 6.* k *Tract. de interiori domo c. 25. nu. 57.* l *Tract. ad Hugonem cap. 1. nu. 3.* m *Serm. 1. in oct. Pascha nu. 3.* n *Serm. 3. in ult. Cœn. Dom. n. 21.* o *Serm. 72. in Cant. n. 10.*

qui in tenebris ſunt,tenebreſcant adhuc.Proinde non ſanabitur (p) nec ſatiabitur Judæa, quouſque ſciat meũ Jeſum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad veſperam: & famem patiatur ut canes,& circumeat Civitatem. Surgam (q) & circuibo Civitatẽ,ait Sponſa Eccleſia.Circuibo,ais,Civitatem. Ad quid? In circuitu impii ambulant. Judæis iſtud relinquito, quibus proprius eorum Propheta David hoc vaticinatus eſt, quia famem patientur ut canes, & circumibunt Civitatem. Etſi introieris in Civitatem ſecundùm Prophetam alium, nempe Hieremiam, Ecce attenuati ſunt: quod utique non eſſet, ſi in ea fuiſſet panis vitæ. Surrexit de corde terræ, ſed ſuper terram non remanſit. Aſcendit autem ubi erat priùs. Nam qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit, panis viuus qui de cœlo deſcendit, idem ipſe Sponſus Eccleſiæ Jeſus Chriſtus Dominus noſter.

5. Verumtamen aitEccleſia:Tenui eum(r)nec dimittã,donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ. Magna Eccleſiæ charitas,quæ nec æmulæ quidem Synagogę ſuas delicias invidet. Quid benigniùs quàm ut quẽ diligit anima ſua,ipſum communicare parata ſit inimicę? Nec mirũ tamen,quia Salus ex Iudęis eſt.Ad locũ unde exierat revertatur Salvator,ut reliquiæ Iſrael ſalvæ fiant. Non rami radici, non matri filii ingrati ſint. Non rami radici invideant, quod ex ea ſumpſère: non filii matri, quod de ejus ſuxêrę uberibus. Teneat itaque Eccleſia firmiter ſalutem, quam Iudæa perdidit: ipſa apprehendit,donec plenitudo Gentium introeat, & ſic omnis Iſrael ſaluus fiat. Velit in commune communem venire ſalutem, quæ ſic ab omnibus capitur, ut nihil ſingulis minuatur. Vtique hoc facit, & plùs. Quid plùs? Quòd & nomen ſponſæ illi optat & gratiam. Prorsùs ſuper ſalutẽ hoc.Incredibilis eſſet charitas Eccleſiæ (s) ſi non ſermo quem locuta eſt ipſa, feciſſet fidem. Dixit enim (ut advertiſtis) velle ſe introducere quem tenebat, non modò in domum matris, ſed in cubiculum quoque, quod eſt prærogativæ indicium. Sufficiebat ad ſalutem, ſi domum intraret: at ſecretum cubiculi ſignat gratiam. Hodie (ait) huic domui

ſalus

---

p Serm. 25. in Cant. nu. 8. q Serm. 75. in Cant. n. 12. r Serm. 79. in Cant. n. 5.
s Ibidem num. 6.

ſalus facta eſt. Quidni ſit domeſticis ſalus Salvatore ingreſſo domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, ſeorsùm habet ſecretum ſuum ſibi. Salus domui ſit. thalamo deliciæ reconduntur. In domum matris meæ introducam eum, inquit. In quam domum, niſi de qua olim prænunciârat Chriſtus Iudæis: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta? Fecit quod dixit, ſicut habes & de hoc teſtimoniũ eius in Hieremia Propheta: Reliqui, ait, domum meam, dimiſi hæreditatem meam. Et nunc Eccleſia pollicetur reducere illum, & domui matris ſuæ perditam ſalutem reſtituere. Hoc & deprecari videtur, dicens: Jeſu bone *(t)* quando reſpicies carnem tuam, domeſticos ſanguinis tui, cùm nemo carnem ſuã odio habeat? Frange Domine eſurientibus panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Quamdiù miſer Cain vagus & profugus erit ſuper terram tuam, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem tuum, ô noſter Abel, de manu eius? Nonne adhuc reddidiſti ei ſeptuplum in finem ejus, cùm ubique major ſerviat minori: cùm ubique ſit jugum premens, & gladius terrens: nec ſit qui redimat, neque qui ſaluum faciat? Et ſi hoc parum videtur *(u)* audi quid boni adiiciat Eccleſia: Et in cubiculum genitricis meæ. Qui ingreditur thalamum, Sponſus eſt. Magna amoris potentia, Salvator indignabundus exierat de domo & hæreditate ſua; & nunc ad Eccleſiæ gratiam mitigatus inflectitur ita, ut redeat non modò Salvator ſed & Sponſus. Benedicta tu à Domino filia, quæ & indignationem compeſcis, & hæreditatem reſtituis. Benedicta tu matri tuæ Synagogæ, cujus beneficio avertitur ira, revertitur ſalus, revertitur qui dicat illi: Salus tua ego ſum. Non ſufficit hoc. Addat & dicat: Deſponſabo te mihi in fide, deſponſabo te mihi in judicio & juſtitia, deſponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus. Sed memento quia quæ has conciliat amicitias, ſponſa eſt Eccleſia. Quomodo ergo Sponſum & hunc Sponſum alteri cedit, ne dicam cupit? Non eſt ita. Cupit quidem illum matri filia bona, non tamen ut cedat illi, ſed ut communicet. Sufficit unus duabus, niſi quòd jam non erunt duæ, ſed una in ipſo. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui facit utramque unam, ut ſit

una

t Tract. de Ieſu puer. duoden. num. 15. u Serm. 79 in Cant. num. 6.

una ſponſa, & Sponſus unus Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Propterea (*x*) non ſunt perſequendi Iudæi, non ſunt trucidandi, ſed nec effugandi quidem. Interrogate namque divinas paginas. Novi quod in Pſalmo legitur prophetatum de Iudæis: Deus oſtendit mihi (inquit Eccleſia) ſuper inimicos meos ne occidas eos: ne quando abliviſcantur populi mei. Vivi quidam apices nobis ſunt, repræſentantes Dominicam Paſſionem. Propter hoc diſperſi ſunt in omnes regiones, ut dum juſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ Redemptionis. Vnde & addit in eodem Pſalmo loquens Eccleſia: Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus, Domine. Ita factum eſt: diſperſi ſunt, depoſiti ſunt, duram ſuſtinent captivitatem ſub Principibus Chriſtianis. Nulla turpior ſervitus (*y*) graviorvè, quàm ſervitus Iudæorum, quam quocunque poſt ſe trahunt, & ubique Dominos offendunt ſuos. Nonne etiam (*z*) copioſiùs triumphat Eccleſia de Iudæis per ſingulos dies, vel convincens vel convertens eos, quàm ſi ſemel & ſimul conſumeret eos in ore gladii. Nunquid incaſſum conſtituta eſt illa univerſalis oratio Eccleſiæ, quæ offertur pro perfidis Iudæis à Solis ortu uſque ad occaſum, ut Deus & Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis à ſuis tenebris eruantur? Niſi enim eos qui increduli ſunt, credituros ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro eis. Sed conſiderat oculo pietatis, quòd Dominus habet reſpectum gratiæ apud eum qui reddit bona pro malis, & dilectionem pro odio. Vbi eſt ergo illud; quod dictum eſt in Pſalmo: Videas ne occidas eos? Vbi eſt, Cùm plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet? Vbi eſt, Ædificans Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit? Tunc es ille qui mendaces facies Prophetas? & evacuabis omnes theſauros pietatis & miſericordiæ Ieſu Chriſti? Si Iudæi (*A*) penitùs conterantur, unde jam proſperabitur eorum in fine promiſſa ſalus ſive converſio? Planè & gentiles ſi eſſent ſimiliter expectandi, ſuſtinendi forent potiùs

x *Epiſt. 322. num. 6.* y *Lib. 1. de conſid. cap. 1. num. 4.* z *Epiſt. 323. num. 2.* A *Epiſt. 322. num. 7.*

quàm gladiis expetendi. Nunc autem cùm in nos cœperint esse violenti, oportet vim vi repellere eos qui non sine causâ gladios portant. Est autem Christianæ pietatis ut debellare superbos gentiles, sic & parcere subjectis, his præsertim quorum est legislatio repromissa, quorum Patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est benedictus in secula. Attamen exeratur gladius *(b)* uterque Fidelium in cervices inimicorum, (*Turcarum*) ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, quæ est Christianorum Fides: nè quando dicant gentes, Vbi est Deus eorum? Quibus expulsis reverteretur ipse in hæreditatem domumquè suam, de qua iratus in Euangelio, Ecce, inquit, relinquetur vobis domus vestra deserta. Et per Prophetam Hieremiam ita conqueritur: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: implebitquè illud Propheticum: Redemit Dominus populum suum & liberavit eum: & venient & exultabunt in monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini. Lætare Hierusalem (ait Esajas) & cognosce jam tempus visitationis tuæ. Gaudete & laudate simul deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem, paravit Dominus brachium suum sanctum in oculis gentium. Virgo Israel corrueras, & non erat qui sublevaret te: Surge jam, excutere de puluere Virgo captiva filia Sion. Surge, inquam, & sta in excelso, & vide jucunditatem quæ venit tibi à Deo tuo. Non vocaberis ultrà derelicta (ait idem Esajas) & terra tua non vocabitur ampliùs desolata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. O tempus desiderabile *(c)* quando cognoscet Israel Deum suum, & pavebit ad David Regem suum: quando utraque gens faciet sibi caput unum, & ascendet de terra. Scio quia tandem convertentur Iudæi, sed ad vesperam. Post triduum enim invenerunt eum in templo. Et hæc dicta sint *(d)* pro distinctione partis Ecclesiæ, partisquè Synagogæ, quo & cœcitas hujus ex illius prudentia manifestior fiat: & felicitas illius ex hujus miseranda fatuitate præemineat.

Bene-

b *Tract. de exhort. ad mil. templi cap. 3. num. 5. & 6.* c *Tract. de Iesu puer duoden. num. 15.* d *Serm. 73. in Cant. num. 2.* e *Tract. de dilig. Deo cap. 7. num 21. & 22.*

6. Benedic *(e)* anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono: prævenit, sustinet, implet. Ipse facit ut desideres, ipse est quod desideras. Ipse dat occasionem, ipse creat affectionem, desiderium ipse consummat. Ipse consensus *(f)* in quo omne meritum consistit, ab ipso est, cùm nec cogitare (quod minus est quàm consentire) aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est cogitare & velle & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo non suo arbitrio. Propterea *(g)* disce anima mea in referendo gratiam non esse segnis, disce ad singula dona gratias agere Deo. Diligenter, inquit, cõsidera quæ tibi apponũtur, ut nulla videlicet Dei dona gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta ne pereant, idest nec minima beneficia oblivisci. Alioquin *(h)* nisi ad fontem redeant, fluenta gratiæ exsiccantur: & infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Itane aquam petit à rivulo *(i)* fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. Ad fontem enim unde exeunt flumina revertuntur, ut iterùm fluant. Non verò ut minus habens quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repelletur. Sic planè sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Oportet proinde *(k)* gratum esse hominem & devotum, qui percepta gratiæ munera non modò manere sibi desiderat, sed & multiplicari. Fælix *(l)* qui ad singula dona gratiæ redit cum gratiarum actione ad eum, in quo est plenitudo gratiarum: cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut maiora adhuc recipere mereamur. Origo fontium *(m)* & fluminum omnium mare est: virtutum & scien-

 tia-

e *Tract. de diligen. Deo cap. 7. n. 21. & 22.* f *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 14. n. 36.* g *Ser. 51. in Cant. n. 7.* h *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 13.* i *Ser. 1. in Quadrag. n. 3. & 4.* k *Serm. 2. in Dom. 6. post Pent. n. 2.* l *Serm. 27. de div. n. 7.* m *Ser. 13. in Cant. n. 1.*

tiarum Dominus Jesus Christus. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? Quòd si copiæ aquarum secretis subterraneisquè recursibus incessanter æquora repetent, ut inde rursùs ad visus usufquè nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio: Cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberiùs terræ refundatur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere cofidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ deputa Christo. Loquente me coram aliquando (*n*) & Dei in me gratiam commendante, quòd scilicet ab ipsa me in bono & præventum agnoscerem, & provehi sentirem, & sperarem perficiendum. Quid tu ergo (ait unus ex circumstantibus) operaris? aut qui mercedis speras vel præmii, si totum facit Deus? Quid enim, inquam, tu consulis? Da, inquit, gloriam Deo, qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit: & vive dignè de cætero, quo te probes & perceptis beneficiis non ingratum, & percipiendis idoneum. Confitenti humiliter (*o*) & devotè gratias referenti non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, iure constituetur super multa: sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque (*p*) benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini Sancto eius. Benedic, & dic: Gloria, laus, & honor tibi Rex Christe Redemptor. Benedic, inquam, (*q*) anima mea Deum Salvatorem meum, & magnifica Nomen eius. Sanctum est enim, & sanctissimis deliciis plenum. O quàm bonus, quàm suavis es Domine Jesu animæ quærenti te! Jesu Redemptor per-

n *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 1. num. 1.* o *Serm. 4. super Psalm. 90. num. 1.*
p *Tract. de inter. domo cap. 37. num. 83.* q *Serm. de Passion. Dom. nu. 24. & 24.*

perditorum, Salvatòr redemptorum, ſpes exulum, fortitudo laborantium, anxiati ſpiritus latitudo, animæ lachrymoſæ & poſt te currentis in ſudore ſolatium, & ſuave refrigerium, corona triumphantium, unica merces, & lætitia omnium ſupernorum civium, uberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles Summi Dei, & Deus Sũmus, benedicant te omnia quæ in Cœlo ſunt ſursùm, & quæ in terra deorsùm. Magnus tu, & magnum Nomen tuum. O immarceſcibilis decor Dei excelſi, & puriſſima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans, & conſervans in æterno ſplendore. Eructavit te cor Dei Altiſſimi de ſua impenetrabili abyſſo, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immenſus immenſum, & per omnia ſibi coæqualem: & de plenitudine tua nos omnes accepimus. Tu enim largiſſime fons omnis boni, ſeptemplicis gratiæ precioſum flumen de theſauris tuis emittis, cuius ſuavi dulcore huius noſtri maris, ideſt noſtræ infirmitatis ſalſuginem mitigare dignaris. Cæterùm (r) quidquid illud eſt quod offerre paras ô anima mea, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ, gratia redeat quo influxit. Modicum iſtud quod offerre deſideras, gratiſſimis illis & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendũ tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Sed tibi Domine Jesu (s) quid gratiarum retribuam, ut digne retribuã ego homo pulvis & vile figmentum? Nam etſi Cœlum & terram & omnem ornatum eorum tibi poſſem rependere, certè nec ſic uſque ad mẽſuram debiti ullatenùs attingere poſſem. Vt autẽ ipſum quod & debeo, & poſſibile mihi eſt, retribuam. Duo minuta habeo Domine, (t) corpus, & animam dico: utinam hæc tibi perfectè poſſim ſacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longequè glorioſius atque utilius eſt ut tibi magis offerar, quàm deſerar mihi ipſi. Nam ad meipſum anima mea conturbatur, in te verò exultabit ſpiritus meus ſi tibi veraciter offeratur. Cui enim (u) iuſtiùs vivam quàm tibi, qui ſi pro me non moreris, ego non viverem? Cui commodiùs, quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex neceſſitate, quàm flam-

mas

r *Ser.2.de Virg Deip.n.18.* s *Ser. de Paſſ. Dom. n.18.* t *Ser.3.Purific.B.M.n.3.*
u *Epiſt.143. num.3.*

mas perpetuas minitanti? Sed ſervio voluntariè, quia charitas libertatem donat, timorem expellit, laborem non ſentit, meritum non intuetur, prœmium non requirit, & tamen plùs urget. Nullus terror ſic ſollicitat, nulla præmia ſic invitant, nulla iuſtitia ſic exigit. Verumtamen (x) tui Domine muneris eſt. Diligendus es, mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute: & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet iſtud in me niſi per te? Adhæreat anima mea poſt te, quia tota virtus eius pendet ex te. Et nunc Domine Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, te ſpero: & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro, adiuva imperfectum meum. Oculi mei (y) ſemper ad te Domine, per quem ſum, vìvo, & ſapio. Inclina tibi (z) Deus modicum id quod me dignatus es eſſe, atque de mea miſera vita ſuſcipe obſecro reſiduum annorum meorum: pro his verò quos vivendo perdidi quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicias. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & prætererunt ſine fructu, impoſſibile eſt ut revocem: placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Jam de ſapientia, ante te omne deſiderium meum, & propoſitum cordis mei: ſi qua eſſet in me, ſervarem ad te. Sed Deus tu ſcis inſipientiam meam: niſi quod hoc ipſum fortaſsè ſapere eſt, quòd & ego agnoſco eam, & quidem ex munere tuo. Auge illud minimè quidem ingrato pro munuſculo, ſed ſollicito pro eo quod deeſt. Pro his tamen ita ſum amans te quantùm poſſum. Valdè omninò mihi amandus es, per quem ſum, vivo, & ſapio. Si ingratus ſum, & indignus. Dignus planè eſt morte, qui tibi Domine Jesu recuſat vivere, & mortuus eſt: & qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Sed iam (A) huic ſermoni terminum imponimus, parati emendare, demere, & mutare, ſicubi contra fidem, & contrà ſacras Scripturas aliquid diximus. In omnibus autem gratias humiliter agimus ei, qui gratuitâ gratiâ ſuâ nos edocuit: qui aperit os mutorū, & linguas infantium diſertas facit. Atque Nomini principium opuſculi huius finemquè conſecramus optimo & dulciſſimo Jesu.

x *Serm.de Paſſ. Dom.num.19.* y *Tract.de inter.domo cap.27. num.83.*
z *Serm.20.in* Cant.*num.1.* A *Tract.de vita myſt.cap.46.num.195.*

Jesu. Ipſe quippè (b) principium & finem omnino ſoli vindicat ſibi: cùm ſit nobis Alpha & Omega Dominus Deus noſter. Unde pro utroque, iure clamamus: Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Ipſe inquam Jesus (c) ſit hujus opuſculi finis, qui finis eſt ad iuſtitiam omni credenti. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO;

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. in Concluſ. tract. medit. de vita Chriſti.

---

b *Serm. 4. de verbis Iſa. Proph. num. 4.* c *Epiſt. 107. num. 13.*

MAGNALIA DEI,

OSTENSA IN

MARIA MATRE FILII SUI:

Comprehensa XXIV. Elogiis

De Prærogativis

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ex sententiis Mellifui Doctoris Sancti Patris Bernardi, fideliter desumpta, & concinnè disposita.

DEIPARÆ

VIRGINI MARIÆ

LAURETANÆ

DEDICATA

Simùl cum Opusculo

THESAURI DIVITIARUM CÆLESTIUM,

A R. P. FR. BERNARDO BOGDANOVITZ POLONO Sacerdote Monacho Ordinis Cisterciensis.

ROMÆ, M.DC.XCIII.

Typis Jo:Jacobi Komarek Boëmi apud S.Angelum Custodem.

SUPERIORUM PERMISSU.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P.M. S. P. Apostolici.

Horatius Fortunatus Episc. Neritonen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari S. P. A. Magister.



Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.
Quapropter & quod nascetur sanctum; vocabitur filius Dei. LVC. I.

ELOGIUM I.

a EXCELLENTISSIMÆ
b CÆLORUM IMPERATRICI,
c MARIÆ Genitrici Dei.

d VErbi Incarnati Matri.
e Matri Unigeniti Filii Dei.
f Matri Plasmatoris & Salvatoris omnium.
g Virgini Matri intactæ.
h Matri autem non cujuscunque, sed Dei.
i Deus siquidem (Deus enim est quem peperit)
Matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloriâ,
Singulari in terris prævenire curavit & gratiâ:
Quâ videlicèt ineffabiliter conciperet, & pareret incorrupta.
k Duplex novitas. Duplex prærogativa.
Duplex miraculum, sed dignè prorsùs aptissimèquè conveniens.
Neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter
l Deum hujusmodi decebat nativitas, quâ nonnisi de Virgine nasceretur.
Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.
m Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis,
Quòd Filium unum eundemquè cum Patre meruit habere communem.
n Qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine,
Totus tamen Dei, & totus Virginis est:
Nec duo Filii, sed unus utriusque Filius.
o Ipsa est excellens prærogativa MARIÆ,
p Cum qua utique tanta Deo consensio fuit,
Ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret:
Acsi de sua, Virginisquè substantia vnum Christum efficeret:
q Ut idem ipse Dei atque hominis Filius,
Unus omninò Deus & homo prodiiet ex MARIA.

S. Bern. Abb. Claravallen. iuxta editionem eius operum in VI. Tomis authore Horstio impressorum Parisiis anno 1667. a *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* b *Ser. de S. Ioan. Bapt. n. 4. tom. 6. p. 743.* c *Ser. 4. sup. Sal. Reg. n. 12.* d *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 1.* e *Ser. 1. in Assumpt. B. M. n. 2.* f *Ser. super Magnificat, n. 4. tom. 6. pag. 855.* g *Ser. 3. super missus num. 8.* h *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 5.* i *Ser. 2. super missus n. 1.* k *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 5.* l *Ser. 2. super missus n. 1.* m *Ser. 2. in Annunc. B. M. n. 2.* n *Ser. 3. super missus n. 4.* o *Ser. 2. in Annun. B. M. n. 2.* p *Ser. 3. super missus n. 4.* q *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 9.*

r An non Deum & Dominum Angelorum
MARIA suum audacter vocat Filium? dicens:
Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum dicere?
Sufficit Angelis, & pro magno habent,
Quòd cùm sint Spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati Angeli.
MARIA verò Matrem se agnoscens, Majestatem illam,
Cui Angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat Filium.
s Magnum est Angelo ut minister sit Domini:
Sed MARIA sublimius quiddam meruit ut sit Mater,
t Quæ verum Deum & Dei Filium genuit.
u Nam si juxta Salamonem: Filius sapiens gloria est patris:
Quantò magis gloriosum est Matrem ipsius effici Sapientiæ.
x Hic est Christus Dei Virtus & Dei Sapientia.
y Nec etiam circa suum Filium ampliùs potuit elevari,
Quàm ut Mater Dei vocaretur.
z Fæcunditas itaque Virginis supereminens gloria est:
Tantòque excellentior Angelis facta munere singulari,
Quantò differentius præ ministris nomen Matris accepit.

ELOGIUM II.

a VIRGINI MATRI.
b Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi.
c Nempè, quæ generat, & Mater & Virgo est.
d Meritò & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit:
Ut longè gloriosior fiat & Virginitas ex fæcunditate, & ex Virginitate fæcunditas:
Ac mutuis se se radiis illustrare hæc duo Sydera videantur.
Magnum enim Virginem esse,
Sed Virginem Matrem esse longè ampliùs per omnem modum.
e Optimam partem elegit sibi MARIA. Optimam planè,
Quia optima est fæcunditas Virginea, seu fæcunda Virginitas.
MARIÆ privilegium est, non dabitur alteri: quia non auferetur ab ea:
Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem.
f Miraculum fuit, quòd Virgo peperit.
g A sæculo enim non est auditum, ut aliqua simul Mater esset & Virgo.
h A sæculo, inquam, non est auditum, quòd Virgo esset quæ peperit:
Quòd

r *Ser.1. super missus n.7.* s *Ser.2. de Virg.Deip.n.12.* t *Ser.1.de Virg.Deip.n.9.* u *Ser.4. sup.missus n.1.* x *Ser.52. de div.n.1.* y *Ser.5.sup.Sal.Reg.n.1.* z *Ser.2.de Virg.Deip.n.12.* a *Ser.4. in Assumpt.B.M.n.5.* b *Ser.7.sup.Psal.90.n.4.* c *Ser.4.in Vig.Nat.Dom. num.6.* d *Ser.1.de Virg.Deip.n.9.* e *Ser.4.in Assumpt.B.M.n.5.* f *Ser.de B.M.Deip.nu.1. tom.6. p.760.* g *Ser.1.super missus n.7.* h *Ser.3.in Vig.Nat.Dom.n.9.*

Quòd Mater esset quæ Virgo permansit.

Nunquam juxtà rerum ordinem Virginitas, ubi fæcunditas prædicatur:

Nec fæcunditas, ubi Virginitas integra conservatur.

Sola hæc est, in qua Virginitas & fæcunditas obviaverunt sibi.

Ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum:

Quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

i Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.

k Sola MARIA de partu, & partu Divino gloriatur.

Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit.

l O verè Nativitas inaudita!

Virgo peperit, & post partum inviolata permansit,

Fæcunditatem prolis cum carnis integritate,

Et gaudium Matris habens cum Virginitatis honore.

m Gloriosa dicta sunt de te Dei Genitrix?

Sed adhuc locus est tuæ laudationi

n Genitrix Dei, Domina Mundi, Regina Cæli.

o Proinde mentem & oculos pariter cum manibus ad te

Regina Mundi attollo, Cervicem inclino:

Ac plenis suspiriis ad te preces in cælum transmitto:

p Domina, labia mea aperies. Dominus tecum, & tu mecum.

Dignare me laudare te (*q*) Virgo sacrata,

r Dignis extollenda laudibus Virgo Mater.

s Te Mater misericordiæ per ipsum sincerissimæ tuæ mentis affectum,

Tuis jacens provolutus pedibus, devotis supplicationibus interpello,

t Ut tuo interventu, tuo ducatu, adjutorio tuo,

Tuam dignè laudare queam magnificentiam:

Et tuam gloriam exprimere valeam.

u O Domina, ex totis præcordiis vocifero ad te: Adjuva imbecillitatem meam.

x Sub tuam protectionem confugio, ubi Virtutem acceperunt infirmi.

y Ostende lumen miserationum tuarum. (*z*) Et ora solvamus tibi.

ELOGIUM III.

a VIrgini Sanctæ corpore & spiritu.

b Matri Domini antè Sanctæ quàm natæ.

c A sæculo electæ, ab Altissimo præcognitæ & sibi præparatæ.

Priùs

i *Ser.4 in Assumpt.B.M.n.5.* k *Ser. 2.super missus n.1.* l *Ser.4.in Vig.Nat.Dom. num.4.* m *Ser.3.de Virg.Deip.n.6.* n *Ser.2 in die Pent.n.4.* o *Ser.3.de Virg.Deip. nu.1.* p *Ser.1. super Sal.Reg.n.1.* q *Ser.2.in Purificat.B.M.n.2.* r *Ser.4.in Assumpt.B.M.nu.5.* s *Ser.1. de Virg.Deip.n.16.* t *Ser.2.super Sal.Reg.n.10.& 7.* u *Ser.3.de Virg.Deip.n.6.* x *Ser.1. super Sal.Reg.n.2.& 1.* y *Ser.2.super Sal.Reg.n.7.* z *Ser.1.super Sal.Reg.nu.1.* a *Ser.2. de Virg.Deip.n.9.* b *Epist.174.n.5.* c *Ser.2.super missus n.4.*

d Priùs enim Altiſſimus ſibi eam quaſi mundum ſpecialiſſimum creavit:
Quam in Juſtitia & Sanctitate coram ipſo fundaret:
Et fluentis ſapientiæ irrigaret:
Et cæleſtibus deſideriis inſtar aëris ſublimaret:
Et igne dilectionis accendendo illuſtraret.
e Hinc in ejus Mente tanquam in quodam firmamento,
Solem poſuit rationis, & Lunam ſcientiæ:
Et virtutes tanquam ſtellas ſpeciei omnimodæ.
Solem, qui lucem divinæ cognitionis faceret:
Lunam, quæ cum ſtellis noctem actionis ſplendidam redderet.
f Bezeleel cum ſocio Oliab Arcam Teſtamenti fabricavit:
Sancta quoque Trinitas Virginem ſibi ſanctificavit,
Ac templum ſanctiſſimum conſecravit, hoſpitiumquè mundiſſimum
Sibi præparavit: thalamum quoque, de quo Sponſus præ filiis
Hominum ſpecioſus ad publicum prodiret, decenter præornavit.
g Pater in conſecratione Virginis exhibuit claritatem,
Filius humilitatem, Spiritus Sanctus charitatem.
Pater exhibuit lumen rationis, Filius cinerem humiliationis,
Spiritus Sanctus oleum dilectionis.
Pater exhibuit potentiam, Filius Sapientiam,
Spiritus Sanctus omnium virtutum gratiam.
Pater exhibuit auctoritatem contra peccatum,
Filius humilitatem contra mundum,
Spiritus Sanctus charitatem ergà Deum & proximum.
Filius exhibuit carnis mortificationem,
Spiritus Sanctus compunctionem,
Pater cæleſtium contemplationem.
Filius docuit eam Divina contemplari,
Spiritus amare & amari,
Pater cæleſtia contemplari.
Filius eam erudit: Spiritus eam provehit: Pater eam perficit.
Filius eam purificat: Spiritus eam pacificat: Pater eam honorat.
Hæc dicens, opera vel dona Sanctæ Trinitatis non divido,
Sed fideliter inſeparabilia aſſero.
Sicut enim in eſſentia Unitas, ità in operatione Identitas.
h Germinat Virga Jeſſe de tortuoſa radice generis humani,
Et Patriarcharum arbore: & in altitudinem & rectitudinem erumpens,
Omnem ignorat nodoſitatem filiorum,
Tenebroſa neſcit, fruticoſa quædam non habet.
i Quia licèt MARIA de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem:
Prælecta tamen fuit per Spiritum Sanctum, & præſervata ad purum.
k Innocens fuit ab originalibus & actualibus peccatis.

Pura

---

d Ser. de B. M. Deip. num. 2. tom. 6. p. 761. e Ibidem. f Ibid. num. 9. g Ibid. m. h Ser. 2. de Nat. Dom. nu. 2. tom. 6. p. 614. i Ser. de Beat. M. Deip. n. 11. k Ser. 4. ſuper Sal. Reg. nu. 11.

l Pura ab omni contaminatione.
m Factor hominum ut Homo fieret, nasciturus ex homine
Talem sibi ex omnibus debuit deligere imò condere Matrem,
Qualem & se scire decebat, & sibi noverat placituram.
n Tu es puella præelecta & præparata Altissimi Filio & tuo:
o Electa ex omnibus, prælata omnibus:
p Longè ante Patribus cælitùs repromissa:
q A Patribus præfigurata, à Prophetis promissa:
r Desiderata Gentibus, Patriarchis Prophetisquè præcognita:
s Mysticis præfigurata miraculis, Oraculis prænunciata propheticis.
t Et cui te assimilabimus Mater pulchritudinis?
Hortus conclusus tu es Dei Genetrix:
Ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introvit.
u Imò verò unicus ille stultus & totius stultitiæ princeps,
(Qui verè mutatus ut Luna perdidit sapientiam in decore suo)
Sub tuis pedibus conculcatus & contritus miseram patitur servitutem.
Nimirùm ipsa es quondam à Deo promissa Mulier,
Serpentis antiqui caput virtutis pede contritura.
x Lectulus es Salamonis, de quo in Canticis:
Et lectulum Salamonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël:
Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.
y Tu Terribilis ut Castrorum acies ordinata:
In circuitu cujus innumerabilium beatorum Spirituum militiam
Ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse nullatenùs ambigimus:
Utpotè qui custodirent lectulum Salamonis gratissimum,
Ac providerent, nè præparatum æterno Regi
Hospitium alienus hospes invaderet.
z His quoque visis, hostibus certè suspecta fuisti:
Non enim parùm formidabant, nè fortè tu esses,
Quæ & eras, per quam expugnandi erant & damnandi.
a An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem
Armatura omni fortiore instructam contrà se procedere fœminam?
Fœminam fortem, & ad bella doctissimam?
b Propter quod & terribilis fuisti eis ut castrorum acies ordinata:
c Nimirùm timor & tremor venerunt super eos, itaut dicerent:
Ecce plusquam Eva hæc: Castra Dei sunt hæc, fugiamus Israëlem.
Tu ergo bellatrix egregia primò eum, qui primus
Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es:

Ut

---

l *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 7.* m *Ser. 2. super missus n. 1.* n *Ser. primo de Virg. Deip. n. 16.* o *Epist. 174. n. 2.* p *Ser. 1. de Virg. Deip. 8.* q *Ser. 2. super missus n. 4.* r *Epist. 174. n. 2.* s *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 8.* t *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* u *Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 4.* x *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 25.* y *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 5.* z *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 23.* a *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 5.* b *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 23.* c *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 5.*

d Ut qui vicerat fœminam, vinceretur per ipsam,
e Quam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait:
Inimicitias ponam inter te, & Mulierem: Ipsa conteret caput tuum.
f Tu pulcra es ut Luna, imò pulcrior Lunâ:
Quia tota pulcra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio.
g Nam & defectus omnis sub te est.
Et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissimâ quadam
Sublimitate præ cæteris omnibus excedis & supergrederis creaturis,
Ut meritò sub pedibus tuis Luna esse dicatur.
h Tu electa es ut Sol: Ille, inquam, Sol solis conditor.
Ille enim electus est ex millibus virorum:
Tu electa es ex millibus fœminarum.
Ille electus est ex omnibus, quæ sunt:
Tu electa ex omnibus, quæ per illum sunt.
i Jure autem MARIA Sole perhibetur amicta:
Candidissimus sanè, sed & calidissimus hujus Mulieris amictus:
Cujus omnia tàm excellentèr irradiata noscuntur esse,
Ut nihil in ea nòn dico tenebrosum seu obscurum saltèm vel minùs lucidum,
Sed nè tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.
k Ipse enim Sol Justitiæ de MARIA processurus,
Ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens,
In eam lucis suæ radios copiosè transfudit,
Quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat,
MARIA in fugam converteret.
l Arca Noë significat arcam gratiæ, Excellentiam scilicet MARIÆ.
Illam Noë ut diluvium evaderet, fabricavit:
Istam Christus ut humanum genus redimeret, sibi præparavit.
Illa centum annorum fabricata est spatio:
In ista omnium virtutum fuit perfectio.
Illa facta est de lignis levigatis:
Ista de Virtutibus ædificata est consummatis.
Illa superferebatur aquis diluvii:
Ista non sensit naufragia ullius peccati.
m Unde auctoritas Augustini est, qui dicit:
Cùm de peccatis agitur, nullam de Beata MARIA volumus fieri mentionem:
Et ex eo enim majorem credimus ei collatam
Virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum,
Quòd concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum.
n Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.
Eâ ergo solâ exceptâ, cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Joannes:
Si

d *Ser. 2. super missus n. 5.* e *Ibidem n. 4.* f *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 5.* g *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 3.* h *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 5.* i *Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 3.* k *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 4.* l *Serm. de B. M. Deip. num. 6.* m *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* n *Ibidem.*

Si dixerimus quòd peccatum non habemus;
Ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.
o Libanus mons, qui dicitur dealbatio,
Altam præomnibus signat innocentiam tuam ô MARIA!
Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita præter te.
p Non est in filiis hominum magnus vel parvus tanta præditus sanctitate,
Nec tantæ religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus,
Præter te Matrem immaculati Agni peccata mundi tollentis:
q Quæ præelecta, præservata, præparata, & ornata fuisti
per Spiritum Sanctum, & Dei Filium.
r Verè Paradisus Dei tu es,
s Quia inde totam te sibi rapuerat Spiritus Sanctus,
Et cœlestibus insignaverat ornamentis.
Jam consecrata eras in loco voluptatis, de quo
Fons ille debebat ascendere, qui universam terræ faciem irrigaret:
t Atque inde in quatuor capita sese dispertiens,
Ad irrigandam faciem arentis mundi emanaret.
u Tu sola totam Spiritus Sancti gratiam possedisti,
x Quæ tuum non solùm sanctificaret ortum,
Sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem,
Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.
y Absit enim ut proprii inquinamenti aliquando habuisse dicaris.
z Cùm igitur tàm clarè auctoritates tuam ab utero testentur Innocentiam,
Quis ultrà dubitet Sanctam & Immaculatam huic mundo progenitam?

ELOGIUM IV.

a SANctæ & Immaculatæ
Mariæ huic mundo progenitæ,
b Ex Regibus ortæ, ex semine Abrahæ, generosa ex stirpe David:
Longè ante eisdem Patribus cœlitùs repromissæ:
c De qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.
d A Patribus præfiguratæ, à Prophetis promissæ,
e Desideratæ gentibus, Patriarchis Prophetisquè præcognitæ.
f Tu es illa promissa, illa expectata, illa desiderata,
Ex qua Sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans,

B Vi-

o *Ibid. n.21.* p *Ser. 13. in Cœna Dom. n. 102. to. 6. p. 708.* q *Ser. de B. M. Deip. num. 9.* r *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* s *Ser. 2. de Nat. Dom. n. 2. tom. 6. p. 615.* t *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* u *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* x *Ep. 174. n. 5.* y *Ser. 2. in Assumpt. B. M. num. 8.* z *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 23.* a *Ser. 4. sup. Sal. Reg. n. 23.* b *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 8.* c *Ser. 2. super miss. n. 1.* d *Ser. 1. sup. miss. n. 4.* e *Ep. 174. n. 2.* f *Ser. 4. super missus. nn. 8.*

Vitam sperabat æternam, cùm dicebat: Expectabo Salutare tuum Domine.
g In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster
Ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ.
h In utero videlicet Virginis MARIÆ.
i Tu verè puella es præelecta & præparata Altissimi Filio & tuo;
k Per quam, & in qua, & de qua, & cum qua totum hoc faciendum decrevit:
Ut sicut sine illo nihil est factum, ita sine te nihil refectum esset.
l Te enim benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret,
Sicut per Evam processerat maledicta.
m Et cui te assimilabimus Mater pulchritudinis?
n De te Secretorum Cœlestium conscius Salamon dicit:
Quæ est ista quæ progreditur sicut Aurora consurgens,
Pulchra ut Luna, electa ut Sol?
Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit Auroram.
Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum,
Frigidum concupiscentiâ, obscurum ignorantiâ?
o Tu ergo processisti ut Aurora lucida & rubicunda:
Quia superatis originalibus peccatis in utero Matris,
Nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.
p Denique sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es ô MARIA!
Quando veri Solis splendorem tantæ Sanctitatis jubare præcurristi,
Ut verè diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus,
A tua claritate initiari dignum fuerit.
q Felix aurora felicis diei nuncia extitisti:
Talem Auroram talis dies, & talem diem talis Aurora decuit.
r Utique Dies Pater: siquidem dies ex die salutare Dei.
An non etiam Virgo dies? Et præclara. Rutilans planè dies.
s Quia MARIÆ præsentiâ totus Orbis illustratur.
t Ipsa namque est nobis illa Stella ex Jacob orta,
Cujus radius universum Mundum illuminat:
Cujus splendor & præfulget in Supernis, & Inferos penetrat:
Terras & perlustrans & calefaciens magis mentes quàm corpora,
Fovet virtutis, excoquit vitia.
u Tolle corpus hoc solare quod illuminat Mundum, ubi dies?
Tolle MARIAM hanc maris Stellam, quid nisi caligo involvens,
Et umbra mortis ac densissimæ tenebræ relinquuntur?
x Ipsa inquam est præclara & eximia Stella
Super hoc mare magnum & spatiosum, (*y*) quod est sæculum nequam,
Ne-

---

g *Ibid. n. 6.* h *Ser. 2. in die Pent. n. 4.* i *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 16.* k *Serm. 1. de Nat. Dom. n. 2. tom. 6. p. 615.* l *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* m *Serm. 3. de Virg. Deip. num. 4.* n *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* o *Ibid. p. Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* q *Ibid.* r *Ser. 2. de Virg. Deip. nu. 11.* s *Ser. 1. in Assumpt. B. M. n. 2.* t *Ser. 2. super missus num. 17.* u *Serm. 2. de Virg. Deip. nu. 6.* x *Ser. 2. super missus nu. 17.* y *Ser. 2. de S. Michaele num. 1.*

z Necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.
O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis interprocellas
Et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare:
Nè avertas oculos à fulgore hujus Syderis, si non vis obrui procellis.
Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum:
Respice Stellam, Voca MARIAM.
Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis:
Respice Stellam, Voca MARIAM.
Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis:
Respice ad MARIAM.
a Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus,
Judicii horrore perterritus
Barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso:
Respice ad MARIAM.
In periculis, in angustiis, in rebus dubiis,
MARIAM cogita, MARIAM invoca.
Non recedat ab ore, non recedat à corde.
Et ut impetres ejus orationis suffragium,
Non deseras conversationis exemplum.
Ipsam sequens, non devias:
Ipsam rogans, non desperas:
Ipsam cogitans, non erras:
Ipsâ tenente, non corruis:
Ipsâ protegente, non metuis:
Ipsâ duce, non fatigaris:
Ipsâ propitiâ, pervenis.
b Agnoscit certè & diligit diligentes se:
Et propè est in veritate invocantibus se:
Præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate, & humilitate,
Si tamen charitatem adjecerint, & totam spem suam in ea posuerint.
Non aspernatur affectum prædulcem, ingens desiderium,
Inundationem lachrymarum, assiduitatem precum quorumlibet quamvis
Peccatorum: si tamen laverint à malitia cor.
c Tu pulchra ut luna diceris,
Eiquè non immeritò compararis.
Illa enim transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat:
Tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis ad
Imitationem tui nos provocas, sicquè noctem nostram illuminas.
Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris:
Sed lumen vitæ inveniet.
d Tu electa es ut Sol.
e Quia sicut Sol cœli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ:

 Sic

z *Serm.2. super missus num. 17.* A *Ibidem* b *Serm.1. super Sal. Reg. num.2.*
c *Ser. 3. de Virg. Deip. num.5.* d *Ibidem*. e *Ser.1. super Sal. Reg. n.2.*

Sic tu totam rationalem creaturam (post Filium) præcellis splendore Virtutis.
f Nihil est enim Virtutis quod ex te non respledeat:
Et quidquid singuli habuêre Sancti, Tu sola possedisti.
g Et quemadmodùm Sol super bonos & malos indifferenter oritur:
Sic Tu quoque præterita non discutis merita:
Sed omnibus te exorabilem, omnibus clementissimam præbes.
Omnium denique necessitatibus amplissimo quodam misereris affectu,
h Quæ mirabili proprietate terræ medium appellaris.
Ad te enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei,
Sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum
Respiciunt & qui in Cœlo habitant, & qui in Inferno:
Et qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur:
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Illi qui sunt in Cœlo, ut resarciantur:
Et qui in Inferno, ut eripiantur:
Qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur:
Qui sequentur, ut glorificentur.
i Eò beatam te dicunt omnes generationes, Domina mundi, Regina Cœli.
In te enim Angeli lætitiam, Justi gratiam,
Peccatores veniam invenerunt in æternum.
Meritò autem in te respiciunt oculi totius Creaturæ
Quia in te, & per te, & de te
Benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.
k Ita est, jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in Oleo.
Jam clamamus: Oleum infusum Nomen tuum,
l O magna, ô pia, ô multùm amabilis Maria.
Tu nec nominari quidem potes, quin accendas:
Nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te:
Tu nunquam sine dulcedine divinitùs tibi
Insita piæ memoriæ portas ingrederis.
m O dulcis Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat:
Cujus Magnitudinis meditatio mentem elevat:
Cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat:
Cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat.
O Domina, quæ rapis corda hominum dulcore,
n Ciba hodie pauperes tuos Domina.
o Panis enim cor hominis confirmat.
Panis ille de quo Scriptura: Panem Angelorum manducavit homo.
p In manibus tuis vita, & spiritus nostri.
Et oculi omnium Christianorum in te sperant:

Et

---

f *Ser.4. super Sal.Reg.n.25.* g *Ser.1.de Virg. Deip.n.3.* h *Ser.2.in die Pent. n.4.* i *Ibid.*
k *Ser.2. de Virg. Deip. n.5.* l *Ser.3. de Virg. Deip. nu.6.* m *Ser.5. super Sal. Reg.nu.2.*
n *Ser.1.de Virg.Deip. n.16.* o *Ser. 4. super Sal. Reg. n.20.* p *Ser. 1. super Sal. Reg. n.1.*

Et tu das eis escam gratiæ (quâ plena es) in tempore opportuno.
q Gratiam scilicet devotionis, & fervorem charitatis.
r Certè qui sperant in te, assument pennas ut Aquilæ: volabunt, & non deficient.
s Ego opinor non incongruè pennas istas, agnitionẽ, & devotionẽ intelligi posse.
t Nec puero Abrahæ tantùm,
Sed & Camelis potum tribuas de superfluenti Hydria tua.
u Defecit enim vinum in Cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis.
Calix in manu tua, in potestate tua, vini meri, Amoris divini.
Hoc vinum lætificat cor hominis. Hoc à te, & per te speramus,
x O clemens, ô pia, ô dulcis MARIA.
O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus.
O clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus.
O clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando.
O clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando.
Clemens es subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis.
y Hos in tuos filios adoptasti: hos regere Domina voluisti.
Nos ergo miseri tecũ de cætero consolemur, tecum amodò Domina habitemus:
Te mentis visceribus amplectamur, quia tu es Vita dulcedo.
O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis.
O vita quæ nutris tuos Cœlestibus alimentis.
Verè dulcedo tu es, quæ nobis gratiæ dulcorem acquiris:
Quæ ad suavitatem Patriæ Cœlestis contemplantes introducis.
O Domina, dum hîc sumus exules, constituas nos,
Ne hîc tamquam in patria confidentes, te quærere desistamus.
Sic tamen constituas exules in corpore,
Ut semper tecum simus cives in mente.
z Qui autem vult te habere, se affligat, delicias respuat:
Et qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit.

ELOGIUM V.

a VIrgini novam professæ Virtutem.
b Virginitatis Primiceriæ.
c Virgini carne, Virgini mente, Virgini professione.
d Virgini Virginum Primiceriæ:
e Quia prima Votum conservandæ virginitatis vovit Domino.

Si re-

q *Ser. 1. in Dom. 1. post oct. Epiph. n. 4.* r *Ser. 5. super Sal. Reg. n. 2.* s *Ser. 4. de verb. Esai. n. 1.* t *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 16.* u *Ser. 4. sup. Sal. Reg. n. 19. & 20.* x *Ser. 5. super Sal. Reg. n. 6.* y *Ibidem n. 1. 2. & 4.* z *Ibid. nu. 1.* a *Ser. 3. in Annunc. B. M. nu. 1.* b *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 8.* c *Ser. 2. super missus num. 4.* d *Tract. de Vite mystic. cap. 31. num. 125.* e *Ibidem cap. 17. num. 67.*

f Si rerum precia de raritate pensamus, quæ prima in terris
Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est.
g Angelica planè vita est Virginitas.
Et qui non nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei.
h Offerantur Regi Virgines, sed post MARIAM:
Nam primatum sola vendicat sibi.
i De cætero sanè & Virginitatem carnis, & propositum Virginitatis,
Et ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat:
Quòd videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens,
Illibatam Deo Corporis simul & spiritus castimoniam vovit.
k Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa,
l Quòd nec populum suum augere prolis successione,
Nec domui Patris sui relinquere curavit hæredem.
Sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna
Domo rerum terrenarum habere potuisset,
Omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret.
Nec fefellit eam intentio, quando & Christum sibi
Filium vendicavit, nec propositum pudicitiæ violavit.
m O admirandam & omni honore dignissimam Virginem!
n Quæ in confinio utriusque legis votum consecrasti perpetuæ Virginitatis:
Quæ elegisti in Israël esse contemptibilis,
o Et (ut ei placeres cui te probasti) maledictum incurrere sterilitatis.
p O Virgo prudens, ô Virgo devota, quis te docuit Deo placere Virginitatem?
Quæ lex, quæ Justitia, quæ pagina veteris Testamenti vel præcipit vel consulit,
Vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitã?
Ubi legeras beata Virgo, Sapientia carnis mors est?
Et, Curam carnis ne perfeceris in desiderio?
Ubi legeras, Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit:
Et qui non jungit meliùs facit?
Ubi audieras, Volo vos omnes esse, sicut & meipsum?
Et, Bonum est homini si sic permaneat secundum meum consilium?
De Virginibus, inquit, præceptum non habeo, consilium autem do.
Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum:
Nisi quod Unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus &
Efficax antè tibi factus est Magister, quàm Filius.
Priùs instruxerit mentem, quàm induerit Carnem.
q Dedit Virgini partum, qui ei jam antè Virginitatis inspiraverat Votum.
Alioquin quomodo Angelus eam gratiâ plenam pronunciat,
Si quippiam vel parum boni quod ex gratia non esset, habebat?

Ha-

---

f Ser 4. *in Assumpt. V. M. num.*6. g Ser.2. *de Virg. Deip. num.*8.
h Ser. 1. *de Virg. Deip. num.*10. i *Ibidem num.* 9. k Ser.2. *in Annunt. B. M. nu.*2.
l Ser. 3. *super missus nu.*3. m Ser. 2. *super missus num.*3.
n *Tract. de Vit. myst. c.*18. *num.*74. o Ser.3. *super missus nu.*7. p *Ibidem.*
q Ser. 2. *super missus num.* 1.

r Habet MARIA Lilium Castitatis:
Quia prima Votum conservandæ Virginitatis vovit Domino.
Habet Rosam Charitatis:
Quia si non usque adeò dilexisset Dominum, unde ei tanta fiducia,
Unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera & verecunda,
Et adhuc sub parentum jure & præceptis legis constituta inchoaret?
Sed ut verum fatear: Audacem faciebat Amor:
Coegit Rosa ardens servilem timorem devorans,
Ut faceret novum Votum, & singulare Lilium:
Ut posset quandoque dicere dilecto suo:
Candida sum & rubicunda, sicut & tu candidus & rubicundus.
s MARIA Rosa fuit candida per Virginitatem, Rubicunda per Charitatem.
Candida carne, Rubicunda mente:
Candida virtutem sectando, Rubicunda vitia calcando.
Candida affectum purificando, Rubicunda actum carnalem mortificando.
Candida Deum diligendo, Rubicunda proximo compatiendo.
t Sic potentissima & piissima charitas & affectu compatiendi,
Et subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque.
u Aliter. Eva Spina, Rosa MARIA.
Revera Eva spina fuit, quæ & Virum suum ad mortem pupugit,
Et posteritati suæ peccati aculeum infixit.
Eva ergo Spina fuit, MARIA Rosa extitit,
Eva Spina infigens omnibus mortem:
MARIA Rosa reddens salutiferam omnibus sortem,
Eva Spina vulnerando, MARIA Rosa omnium affectus mulcendo.
x Novum Canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus,
Ipsam Virginum Reginam cum cæteris, imò primam
Inter cæteras esse Cantaturam nemo est qui ambigat.
Puto autem illam præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen
Virginibus ei (ut dixi) commune erit dulcioriquodam atque elegantiori
Carmine lætificaturam esse Civitatem Dei.
y Cantabit utique & tanto jucundiùs quantò castior cæteris.
Præbebitque toti Virginum Choro in Cantando exemplum,
Quas ad Virginitatis amorem suo incitavit exemplo.
z Cujus utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos
Nè ipsarum quidem Virginum ulla digna invenietur:
Quia soli meritò decantandum servabitur,
Quæ sola de partu, & partu divino gloriatur.

ELO-

---

r *Tract. de vite myst. c. 17. n. 67.* s *Ser. de B. M. Deip. n. 10.* t *Ser. 4. in assumpt. B. M. nu. 8.*
u *Ser. de B. M. Deip. n. 10.* x *Ser. 2. super missus n. 1.* y *Tract. de vite myst. c. 31. nu. 125.*
z *Ser. 2. super missus num. 1.*

ELOGIUM VI.

a VIrgini Regiæ gemmis ornatæ Virtutum:
b Quæ ad nubiles annos egrediens, speciem induit speciosam,
Quâ ipsum alliceret Deum, & Divinitatis oculos in se converteret.
c Cujus decorem concupisceret Rex: Cujus odore suavissimo
Ab æterno illo Paterni Sinus attraheretur accubitu.
d Et cui te assimilabimus Mater pulchritudinis?
Hortus conclusus tu es Dei Genetrix?
e Quod utique Claustrum pudoris signat in Virgine,
Et inviolatæ Custodiam Sanctitatis.
Et benè in Horto Virginitas, cui familiaris Verecundia est:
Fugitans publici, latibulis gaudens, patiens disciplinæ.
Hortus inquam conclusus tu es Dei Genitrix?
f Cui nimirùm in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia,
Nè vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis Castitas tentaretur.
g Hortus deliciarum nobis tu es ô MARIA!
Quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus.
Tu sanctorum areola aromatum à cælesti consita pigmentario,
Virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas:
Inter quos pulcherrimos flores, tres miramur in te ô excellentissima!
Quorum odore suavissimo totam domum Domini reples ô MARIA!
Hi sunt, Viola humilitatis, Lilium Castitatis, Rosa Charitatis.
h Fervebat siquidem in quærenda gratia Charitas:
Splendebat in Carne Virginitas:
Humilitas in obsequio eminebat.
Est in Angelis Charitas, est puritas, est humilitas.
Quid horum non enituit in MARIA?
i Fuit enim mundissima Carne: humillima Corde: devotissima Mente
k Christus Apis est, quæ pascitur inter Lilia:
Quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum.
Unde ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis
Florem advenit, illi insedit, illi adhæsit.
l Apud MARIAM utique pascebatur idquè copiosiùs præ multitudine Liliorum.
An non Lilia Virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia Charitatis?
Hortus itaque deliciarum est MARIA.

Quid

a Ser. 2. *super missus n.* 2. b Ser. 2. *de Nat. Dom. n.* 2. *tom.* 6. *p.* 614. c *Ser.* 4. *in assumpt. B. M. num.* 7. d Ser. 2. *de Virg. Deip. n.* 4. e Ser. 47. *in Cant. num.* 4. f *Ser.* 3. *super missus num.* 1. g Ser. 3. *de Virg. Deip. n.* 4. h Ser. 1. *de Virg. Deip. nu.* 9. & 12. i *Ser. de B. M. Deip. num.* 5. k Ser. 2. *de Aduen. Dom. n.* 3. l *Ser.* 2. *de Virg. Deip. n.* 18. & 6.

m Quidni delicias dixerim Virginitatis decus cum munere fæcunditatis?
Humilitatis insigne, distillantem Charitatis favum?
n Habet MARIA & alios quoscunque flores: tota enim florea est.
Nullius floris expers: quia nulla Virtute caret.
o Quidquid singuli habuêre Sancti, sola MARIA possedit.
p Utrum autem & quatuor principales virtutes possederit,
Nempe fortitudinem, temperantiam, prudentiam, & justitiam? inquiramus.
Primùm ergo videamus an fortitudinem habuerit?
Quæ nimirum Virtus quomodo illi abesse potuit,
Quæ abjectis fæcularibus pompis, spretisquè voluptatibus Carnis,
Soli Deo in Virginitate vivere proposuit?
Hæc est Virgo, quæ apud Salomonem legitur:
Mulierem fortem quis inveniet?
Quæ adeò fortis fuit, ut illius Serpentis Caput contereret,
Cui à Domino dictum est: Ipsa contereret Caput tuum.
q Cui hæc servata victoria est, nisi MARIÆ?
Ipsa procul dubio Caput contrivit venenatum,
Quæ omnimodam maligni suggestionem tàm de Carnis illecebra;
Quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.
r Tu ergo bellatrix egregia primò eum, qui primus
Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es.
Tu & spiritum elationis Evæ vertice humilitatis complosisti.
Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ, Virtute Castitatis
In tua Carne Virginea eatenùs extinxisti,
Ut is, in cujus conspectu nec Astra munda sunt,
Tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit,
Ut etiam suæ Divinæ puritati agglutinare non despexerit.
s Porrò quòd temperans, prudens, & justa fuerit MARIA;
Ex Angeli collocutione, & sua ipsius responsione comprobamus.
Salutata quippe ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum:
Non se extulit quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur:
Sed siluit, & qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit.
Qua in re quid nisi temperans fuit?
At verò cùm de Cælestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur,
Diligenter quæsivit quomodo conciperet, quæ Virum utique non cognosceret:
Et in hoc sine dubio prudens extitit.
Justitiæ autem præfert insigne, ubi se Ancillam Domini confitetur.
Fuit igitur Beata Virgo MARIA fortis in proposito, temperans in silentio,
Prudens in interrogatione, justa in Confessione.
t Denique abiit in Montana cum festinatione, & salutavit Elizabeth:
Et in ministerio ejus erat quasi mensibus tribus,

---

m *Ser.4.in Assumpt.B.M.n.1.* n *Tract.de Vite myst. cap.17.n.67.* o *Ser.4. super Sal.Reg. n.25.* p *Ser.52.int.diu.n.3.* q *Ser.2.super missus n.4.* r *Ser.3.de Virg.Deip.n.5.* s *Ser.52. int.diu.n.3.& 4.* t *Ser. 2.de Virg.Deip.n.9.*

Ut jam tunc posset dicere Mater matri, quod tantò post filio dixit Filius:
Sine modò, sic enim decet nos implere omnem Justitiam.
Planè montana conscendens, cujus justitia sicut montes Dei.
u Scriptum est: Oratio justi penetrat Cælos.
Et quis justus, si non MARIA justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis?
x Gratissima gemma in diademate, rubor in facie hominis verecundi.
An verò quis putat quòd hac caruerit gratiâ, quæ gratiâ plena fuit?
Pudibunda fuit MARIA: ex Evangelio id probamus.
Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur?
Foris stabat quærens loqui Filio, nec Materna auctoritate
Aut sermonem interrumpit, aut habitationem irruit in qua Filius loquebatur.
In omni denique Textu quatuor Evangeliorum
Non nisi quater MARIA loquens auditur.
Primò quidē ad Angelum, sed cùm jam semel atq; iterum allocutus eam fuisset.
2. Ad Elizabeth, quando vox salutationis ejus Joannem exultare fecit in Utero:
Et ea magnificante MARIAM, ipsa magis Dominum magnificare curavit.
3. Ad Filium, cùm jam esset annorum duodecim,
Quòd ipsa & pater ejus dolentes quæsissent eum.
4. In nuptiis ad Filium, & ministros locuta est.
Et is quidem sermo certissimus index virginalis Verecundiæ fuit.
Aliorum quippè verecundiam suam reputans,
Sustinere non potuit, non potuit dissimulare vini defectum.
y Compassa est enim eorum verecundiæ sicut misericors, sicut benignissima.
z Nos quidem servuli tui Virgo Beata, cæteris in virtutibus congaudemus tibi:
Sed in misericordia potiùs nobis ipsis.
Laudamus Virginitatem, Humilitatem miramur:
Sed misericordia miseris sapit dulciùs: misericordiam amplectimur chariùs:
Recordamur sæpiùs: crebriùs invocamus.

ELOGIUM VII.

a VIrgini plenæ gratiarum.
b Deus cælesti rore aream rigaturus, totum Vellus priùs infudit.
c Mariam Gedeonis Vellus dum in medio siccæ areæ maduit, præsignabat.
d Cui utique distillantibus Cælis tota se infudit plenitudo Divinitatis.
e Quatenùs scilicet plenitudo Divinitatis in MARIA
Sicut & in multis Sanctorum spiritualiter habitaret,

Ubi-

---

u Ibidem n.5. x Ser.1.de Virg.Deip.nu.10. y Ser.1. in Dom.1. post Oct.Epiphaniæ num.2. z S.r.4.in Assumpt.B.M.n.8. a Ser.1.de Virg.Deip.nu.16. b Ser.2.de Virg.Deip. num.6. c Ser.1.de Virg.Deip.n.8. d Ser.2.super missus n.7. e Ser.4.super missus n.3.

f Ubicunque illa est, & Cor ejus. Oculi ejus super eam,
Ubique respicit humilitatem Ancillæ suæ.
g Deus totius boni plenitudinem posuit in MARIA:
h Atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit.
i Ad quid hoc? Ut proinde si quid spei in nobis est,
Si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare,
k Quæ sola totam Spiritus Sancti gratiam possedit.
l Priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, quæ ejus repleverat mentem,
m Adeo ut ex hac plenitudine omnes accepimus,
Qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus.
n Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum:
Ut de plenitudine tanta omnes accipiamus.
o Plena est gratiarum MARIA, plena rore Cælesti,
p Ut de plenitudine ejus accipiant universi,
Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem,
Peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam:
Denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam.
q Quis vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratiâ plenam?
r Sola ergo MARIA totam Spiritus Sancti gratiam possedit.
s Et cui te assimilabimus Mater pulchritudinis?
t Duodecim panes mensæ propositionis, duodecim sunt prærogativæ gratiarum,
In quibus gratiâ repleta es, & Dominus tecum.
Tuas has prærogativas Paulus & nominat pariter & enumerat dicens:
Fructus autem Spiritûs est Charitas, gaudium, pax,
Patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,
Mansuetudo, fides, modestia, continentia, Castitas.
u Summæ spirituales deliciæ hæ sunt: imò fructus sunt Spiritus Sancti.
Proinde, Virgo Beata, postquam Nuncius Cælestis
Te prædictâ gratiarum prærogativâ perhibuit plenam,
Mox gratiarum causam subjungens, ait: Dominus tecum.
Dominus autem Spiritus Sanctus est.
Spiritus ergo Sanctus magnificavit facere tecum:
x Cùm ipse sit dator gratiarum.
y Benè Spiritui Sancto in te complacuit ô MARIA,
Qui Sanctissimam Animam tuam totam inflammavit.
z Est sagitta electa Amor Christi, quæ MARIÆ Animam
Non modò confixit, sed etiam pertransivit,
Ut nullam in pectore virginali particulam vacuam Amore relinqueret:

---

f *Ser. 3. in Annun. B. M. n. 7.* g *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 6.* h *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 2.* i *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 6.* k *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* l *Ser. 4. super missus nu. 3.* m *Ser. 2. super missus n. 7.* n *Ser. 2. in Assumpt. B. M. n. 2.* o *Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 16.* p *Ibidem num. 2.* q *Ser. 2. in Assumpt. B. M. n. 2.* r *Ser. 4. super Sal. Reg. nu. 22.* s *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 4.* t *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 20.* u *Ibidem.* x *Ser. 4. super missus n. 3.* y *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 2.* z *Ser. 29. in Cant. n. 8.*

Sed toto Corde, tota Anima, tota Virtute diligeret: & esset gratiâ plena.
Aut certè pertransivit eam, ut veniret usque ad nos,
Et de plenitudine illla omnes acciperemus:
Et fieret Mater Charitatis, cujus Pater est Charitas Deus.

ELOGIUM VIII.

a SANCTÆ MARIÆ,
b Inventrici Gratiæ.
Mediatrici Salutis. Restauratrici Sæculorum
c Parentum Reparatrici. Posterorum Vivificatrici.
d Hæc est enim MARIA, quæ totius Mundi reparationem obtinuit,
Salutem omnium impetravit.
Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est:
Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam, utique quam quærebas.
e Prudens Virgo non sapientiam sicut Salomon,
non divitias, non honores, non potentiam,
Sed gratiam requirebat. Nimirùm sola est gratia, quâ salvamur.
f Denique & quod quærebat, invenit:
Cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum.
Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc invenit?
Digna prorsùs invenire quod quærit,
Cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono:
Sed (quemadmodum scriptum est: Qui bibit me adhuc sitiet.)
Petit superfluentiam ad Salutem Universitatis.
Nimirùm propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt,
Quòd necdum intercederet tam desiderabilis Aquæductus, idest, MARIA.
g Ipsa per hoc quòd Virgo est,
Exaudita est pro reverentia sua in Causa totius generis humani.
h Nunquid non hoc est, quod quærebat, quod gemebat,
Quod diebus & noctibus orando suspirabat?
i Crudelis Eva, per quam Serpens antiquus
Pestiferum etiam ipsi Viro virus infudit:
Sed fidelis MARIA, quæ Salutis antidotum & Viris & Mulieribus propinavit.
Illa enim ministra seductionis: Hæc propitiationis.
Illa suggessit prævaricationem: Hæc injecit redemptionem.
k Sed quomodo putas, nisi vehementiâ desiderii?

Nisi

a *Ser.45.in Cant.n.2.* b *Epist.174.n.2.* c *Ser.2.super missus n.3.* d *Ser.4.in Assumpt.B.M. n.8.* e *Ser.2.de Virg.Deip.n.7.* f *Ibidem num.5. & 4.* g *Ser.3.in Vig.Nat.Dom. num.10.* h *Ser.4.super missus n.8.* i *Ser.1.de Virg.Deip.n.2.* k *Ser.2.de Virg.Deip.n.5.*

Nisi fervore devotionis? nisi puritate Orationis?
l O admirandam & omni honore dignissimam Virginem,
Parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!
m Te benedixit Dominus, ut per te benedictam Vita veniret,
Sicut mors per Evam processerat maledicta.
n Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire.
Invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam?
Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem.
o Nec immeritò, quando ex ore tuo pendebat consolatio miserorum,
Redemptio captivorum, liberatio damnatorum:
Salus denique Universorum filiorum Adæ, totius generis tui.
p Hæc est ergo gratia, quam invenisti apud Deum.
q Quantam? Gratiam plenam, gratiam singularem.
Singularem, an generalem? Utramque sine dubio,
Quia plenam & eò singularem quò generalem:
Ipsa enim generalem singulariter accepisti.
Eò inquam singularem, quò generalem:
Nam sola præ omnibus gratiam invenisti.
Singularem, quòd solà hanc inveneris plenitudinem.
Generalem, quòd de ipsa plenitudine accipiant universi:
r Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem,
Peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam:
Denique tota Trinitas gloriam, Filii persona Carnis humanæ substantiam.
s Hoc supplicabat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum misera
Sobole sua exul de Paradiso. Hoc Abraham, hoc David supplicabant.
Hoc cæteri flagitabant Sancti Patres, Patres scilicet tui,
Qui & ipsi habitabant in regione umbræ mortis.
t Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes,
Quæ omnibus generationibus Vitam & gloriam genuisti.
In te enim Angeli lætitiam, Justi gratiam,
Peccatores veniam invenerunt in æternum.
u Sed quis misericordiæ tuæ ô benedicta,
Longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare?
Nam longitudo ejus usq; in diē novissimū invocantibus eam subvenit universis.
Latitudo ejus replet orbem terrarum:
Ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra.
Sic & sublimitas ejus, Civitatis supernæ invenit restaurationem.
Et profundū ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redēptionē.
Per te enim Cælum repletum, Infernus evacuatus est:
Per te instauratæ sunt ruinæ Cælestis Hierusalem:

Per

l *Ser. 2. super missus n. 3.* m *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 22.* n *Ser. 3. super missus n. 10.* o *Ser. 4. super missus n. 8.* p *Ser. 3. super missus nu. 10.* q *Ser. 3. in Annunc. B. M. num 8.* r *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 2.* s *Ser. 4. super missus n. 8.* t *Ser. 2. in die Pent. num. 4.* u *Ser. 4. in Assumpt. B. M. num. 8.*

Per te expectantibus miseris vita perdita data est.
x Et quidem sufficere poterat Christus,
Siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est:
Sed nobis bonum non erat esse hominem solum.
Congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque,
Quorum corruptioni neuter defuisset.
y Arca Noë significat arcam gratiæ, Excellentiam scilicet Mariæ.
Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium: sic per istam peccati naufragiũ.
Per illam octo Animæ tantùm salvantur:
Per istam omnes ad æternam vitam vocantur.
Per illam paucorum facta est liberatio: Per istam humani generis salvatio.
z Jam itaque nè ipsa Mulier benedicta in mulieribus videretur ociosa:
Invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione.
Opus enim erat Mediatore ad Mediatorem Christum:
Nec alter nobis utilior quàm Maria.

ELOGIUM IX.

a Virgini gemino mentis & corporis decore præfulgidæ,
b Cujus decorem concupisceret ille Rex,
c Qui ei jam ante & Virginitatis inspiraverat votum,
Et humilitatis prærogaverat meritum.
d Pulchra permixtio Virginitatis & Humilitatis.
Nec mediocriter placet illa anima, in qua
Et Humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat Humilitatem.
e Ecce, inquit, tu pulchra es amica mea: Ecce tu pulchra.
Meritò pulchra repetitur, cui neutra defuit pulchritudo.
f Ut igitur (quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura)
Sancta esset Corpore, accepit donum Virginitatis:
Ut esset & mente, accepit donum Humilitatis.
His nimirùm Virgo Regia gemmis ornata virtutum,
Geminoquè mentis pariter & corporis decore præfulgida,
Specie sua & pulchritudine sua in Cælestibus cognita,
Cæli Civium in se provocavit aspectus:
Itaut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret.
g Sancta Maria Sanctimoniam non amisit, & Humilitate non caruit.
Et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia Humilitatem sociavit Innocentiæ.
Quan-

---

x *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 1.* y *Ser. de B. M. Deip. n. 6.* z *Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 2.* a *Ser. 2. super missus n. 2.* b *Ser. 4. in Assumpt. B. M. n. 7.* c *Ser. 1. super missus n. 1.* d *Ibidem nu. 5.* e *Ser. 45. in Cant. n. 3.* f *Ser. 2. super missus n. 2.* g *Ser. 45. in Cant. n. 2.*

h Quanta verò & quàm pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate,
Cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto?
Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex:
Cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu.
i Vide enim quàm manifestè sibi concinant
Virginis nostræ Canticum, & nuptiale Carmen:
Nimirùm cujus Uterus Sponsi thalamus fuit.
Audi MARIAM in Evangelio: Respexit, inquit, humilitatem Ancillæ suæ.
Audi eandem in Epithalamio: Cùm esset Rex, inquit, in accubitu suo,
Nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippe herba humilis est,
Ut manifestum sit Humilitatem Nardi nomine designari,
Cujus odor & decor invenerit gratiam apud Deum.
k Nardus idem significat quod Viola, ideſt Humilitatis virtutem:
Quâ fragrantiâ delectatus est Rex, Filius Regis, Deus Dei Filius.
Et cùm esset in accubitu suo, ideſt in sinu Patris,
Odore tam delectabili quasi quadam illius violentiâ tractus est in eam,
l Ad quam dicit Sponsus: Nasus tuus sicut turris Libani.
Nasus duo habet foramina per quæ spiritum à Capite emittit.
Ita MARIA Virginitate & humilitate sua de Cælo eduxit Filium Dei.
m O Virgo virga sublimis, in quàm sublime Verticem Sanctum erigis!
Usque ad sedentem in Throno, usque ad Dominum Majestatis.
Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices Humilitatis.
n Tu adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum Sanctitate fecundaris,
Ut sola Solio Regis æterni immediatè approximare merueris.
o Bonus profectò flos Viola, qui Florem Cælestem Verbum Æterni Patris
In Uterum terreni Floris Beatæ Virginis mirifica dulcedine sui odoris attraxit,
Ipsa attestante, quæ ait: Respexit humilitatem Ancillæ suæ.
p Bonus ergo omnino & optimus violaceus flos,
Qui odoris ejus fragrantiâ quasi quodam delectabili vinculo,
Florem Cæli in Uterum nostri Floris humilis Virginis inclinavit.
q Nec mirum. Nam cùm esset Rex in accubitu suo,
Nardus Virginis dedit odorem suum:
Et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis:
Et invenit gratiam coram oculis Domini.
r Videt & ardet ille vehemens Amator,
Et totum Epithalamium in ejus laudibus decantat:
Ubi manifestè Sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum.
Nec ultrà valens dissimulare quod patitur:
Evocatur statim Cælestis ille Conventus:

Et

h *Ser.4.in Assumpt.B.M.nu.7.* i *Ibidem.* k *Tract.de Vite myst.cap.17.num.67.* l *Ser.4. super Sal.Reg.num.21.* m *Ser.2.de Aduen. Dom. num.4.* n *Ser.3. de Virg. Deip. num.2.* o *Tract.de Vite myst.c.17.num.67.* p *Ibidem.* q *Ser. 3. super missus num 2.* r *Ser.2.° de Nat.Dom.num.2.tom.6.p.614.*

Et juxta Prophetam init Deus consilium, cogit Concilium,
Facit Sermonem cum Angelis de restitutione eorum,
Et de Redemptione hominum, de elementorum renovatione.
s Angelis stupentibus & mirantibus prę gaudio, quæritur modus Redemptionis:
Et statim de Thesauro Divinitatis, MARIÆ Nomen evolvitur:
Et per ipsam, & in ipsa, & de ipsa,
Et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur:
Ut sicut sine illo nihil est factum, Ita sine illa nihil refectum sit.
t Tunc ergo dixit Rex: Ecce venio.
Et accersito Gabriele, Vade, inquit, dic filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit.
u Traditur Epistola Gabrieli, in qua Salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris,
Plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.
Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem.
x A Deo (inquit Evangelista) ad Virginem: idest, à Celso ad humilem,
A Domino ad Ancillam, A Creatore ad Creaturam.
Quanta dignatio Dei! Quanta Virginis Excellentia!
y Quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat.
z Missus est Coluber tortuosus à diabolo,
Ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet:
Et sic refunderet in totius posteritatis originem.
Missus est interim Gabriel Angelus à Deo,
Ut Verbum Patris per aurem Virginis in Ventrem & mentem ipsius eructaret,
Ut eadem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat.

ELOGIUM X.

a VIrgini novæ Salutationis honoratæ obsequio.
b Quidni visitet Angelus Vitæ Sociam, cùm jam Angelicè vivat?
Quid ni salutet Civem Sanctorum, & Domesticam Dei?
c Ait enim Evangelista: Et ingressus Angelus ad eam, dixit:
Ave gratia plena Dominus tecum.
Quò ingressus ad eam? Puto in Secretarium pudici Cubiculi,
Ubi illa clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito.
d Jam in eo quòd tam reverenter atque officiosè ab Archangelo salutata est,
(Ut jam in Regali Solio supra omnes Cælestium ordines Regionum
Exaltatam cernere videretur, & paulò minùs adoraturus fæminam,
Qui solebat ab hominibus hactenùs æquanimiter adorari)
Excel-

---

s *Ibidem*. t *Ser.1.in Annunc.B.M.num.14.* u *Ser.2.de Nat. Dom. num.2. tom.6. p.615.*
x *Ser.2. super missus num. 2.* y *Ser.3. super missus num. 2.* z *Ser.2. in die Pent. num. 3.*
a *Ser.2. in Annunc.B.M. num.1.* b *Ser.2.de Virg.Deip.num.8.* c *Ser.3.super missus n.1.*
d *Ser.1. de Virg.Dei p. num.8.*

Excellentissimũ nobis nostrę Virginis meritum, & singularis gratia cõmendatur.
e Adite virginalem Thalamum, ingredimini pudicum Virginis Cubiculum.
Ecce enim Deus mittit ad Virginem. Ecce affatur Angelus MARIAM.
Apponite aurem parieti, auscultate quid nunciet ei.
f *Ecce concipies* (inquit) *& paries Filium*.
Intellige prudens Virgo ex nomine Filii promissi,
Quantam & quàm specialem gratiam inveneris apud Deum.
g Hanc item invenisti gratiam plena jam gratiâ,
Ut Charitate fervida, Virginitate integra, Humilitate devota,
Fieres nihilominùs sine Viri cognitione gravida,
Sine muliebri dolore Puerpera.
h Nec suspectam habeas prudens Virgo fæcunditatem,
Quia non auferet integritatem.
Concipies, sed sine peccato: gravida eris, sed non gravata.
Paries, sed non cum tristitia: nescies virum, & gignes Filium
Qualem Filium?
Illius eris Mater, cujus Deus est Pater:
Filius Paternæ Charitatis, erit Corona tuæ Castitatis:
Sapientia Paterni Cordis, erit Fructus uteri virginalis.
Deum denique paries, & de Deo concipies.
i Dixit autem Maria ad Angelum:
Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?
Quasi dicat: Cùm sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ,
Votum esse Ancillæ suæ non cognoscere virum:
Qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud?
Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem Filium,
Et gaudeo de Filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus.
Sin verò Virgo concipiam, Virgo & pariam,
(Quod utique si placuerit ei, impossibile non erit)
Tunc scio verè, quia respexit Humilitatem Ancillæ suæ:
Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco?
Et respondens Angelus dixit ei:
Spiritus Sanctus superveniet in te:
Qui utique suâ potentiâ fæcundabit te.
k Cujus dicti intelligentia est: Spiritus Sanctus operabitur in te
Incarnationem Verbi incarnandi, separando à Carne tua portiunculam,
Quæ animabitur, & Divinæ Essentiæ in Unitate personæ copulabitur.
l Respondens itaque: Spiritus Sanctus superveniet in te,
Nonne apertè mittit ad magisterium Spiritus Sancti,
Cujus unctione doceatur de omnibus,

e *Ser. 2. super missus num. 2.* f *Ser. 3. super missus num. 10.* g *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 12.* h *Ser. 3. super missus num. 8.* i *Ser. 4. super missus num. 3. & 4.* k *Tract. de tribus præcip. myst. c. 7. num. 20. tom. 5. p. 586.* l *Tract. ad Hugon. de Quæst. c. 5. num. 21.*

(Quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam)
Et diſcat experiendo, quod audiendo non poterat?
Denique ſubjungit Angelus:
Et virtus Altiſſimi obumbrabit Tibi.
m Hoc eſt, illum modum quo de Spiritu Sancto concipies,
Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus ſic in ſuo
Secretiſſimo conſilio obumbrando conteget & occultabit,
Quatenùs ſibi tantùm notus habeatur & tibi.
Ac ſi Angelus reſpondeat ad Virginem:
Quid à me requiris, quod in te mox experieris?
Sciens ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo Doctore, quo & Auctore.
Ego autem miſſus ſum nunciare Virginalem Conceptum, non creare.
Non poteſt doceri niſi à donante: non poteſt addiſci niſi à ſuſcipiente.
n Expreſſiùs profectò ſignificans modum ſecretiſſimum
Arcani incomprehenſibilis, & ineffabilis Sacramenti,
Quo quaſi in umbra cum ſola & in ſola Virgine,
Sola Trinitas Conceptum fuerat operatura Divinum.
o Et propter hoc maximè dictum eſt, *obumbrabit tibi*,
Quia res nimirùm in Sacramento erat:
Et quod ſola per ſe Trinitas in ſola & cum ſola Virgine voluit operari,
Soli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.
p Ideoquè & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:
Quod eſt dicere:
Quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu Sancto, quod concipies:
Concipies autem Altiſſimi Virtutem, hoc eſt Filium Dei:
Ideoquè & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.
Ideſt, non ſolùm qui de ſinu Patris in Uterum tuum veniens obumbrabit tibi,
Sed etiam id, quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi,
Ex hoc jam vocabitur Filius Dei:
Quemadmodùm & is, qui à Patre eſt ante ſæcula genitus,
Tuus quoque amodò reputabitur Filius.
Sic autem & quod natum eſt ex ipſo Patre, erit tuus,
Et quod naſcetur ex te, erit ejus: ut tamen non ſint duo Filii, ſed unus.
Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit:
Jam non tamen cujuſque ſuus, ſed unus utriuſque erit Filius.
q Qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine:
Totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet:
Nec duo Filii, ſed unus utriuſque Filius.
r Ipſa eſt Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa MARIÆ:
Quòd Filium unum eundemquè cum Patre meruit habere communem.
Quan-

m Ser. 4. ſuper miſſus num. 4. n *Tract. ad Hugon. de quæſt. cap. 5. num. 21.* o *Ser. 4. ſupr miſſus num. 4.* p *Ibidem.* q *Ser. 3. ſuper miſſus num. 4.* r *Ser. 2. in Annunciatione B. M. num. 2.*

s Quanta dignatio Dei? Quanta Excellentia Virginis?
t Nec enim circa Filium suum ampliùs potuit elevari,
Quàm ut Mater Dei vocaretur.
u Magnum est Angelo, ut minister sit Domini.
Sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater.
x Audisti Virgo factum, audisti & modum:
Utrumque mirum, utrumque jucundum.
Jucundare Filia Sion, & exulta satis Filia Jerusalem.
Et quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia:
Audiamus & nos à te Responsum lætitiæ, quod desideramus.
Audisti inquam factum, & credidisti: crede & de modo, quod audisti:
Audisti quia concipies & paries Filium:
Audisti quòd non per hominem, sed per Spiritum Sanctum:
Expectat Angelus Responsum:
Tempus est enim ut revertatur ad Deum, qui misit illum.
Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis,
Quos miserabiliter premit Sententia damnationis.
Et ecce offertur tibi precium Salutis nostræ, statim liberabimur si consentis:
In Sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur:
In tuo brevi Responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.
Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat.
Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum,
Redemptio captivorum, liberatio damnatorum:
Salus denique universorum filiorum Adam totius generis tui.
O Domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant & superi.
Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantùm concupivit decorem tuum,
Tantùm desiderat & responsionis assensum, in qua proposuit salvare Mundum.
Quid ab alia speras, quod tibi offertur?
Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur,
Dummodò præbeas assensum, respondeas verbum?
Responde itaque citiùs Angelo, imò per Angelum Domino:
Responde verbum, & suscipe Verbum.
Profer tuum, & concipe Divinum.
Emitte transitorium, & amplectere Sempiternum.
Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe.
Aperi Virgo Beata cor Fidei, labia Confessioni, Viscera Crearori.
Ecce desideratus cunctis Gentibus, foris pulsat ad ostium,
y Aperi Virgo sinum, expande gremium, præpara uterum:
Quia ecce facturus est tibi magna qui potens est.
z O si te morante pertransierit, & rursùs incipias

s *Ser.2. super missus num.2.* t *Ser.5. super Sal.Reg. num.1.*
u *Ser.2. de Virg.Deip. num.12.* x *Ser.4. super missus num.8.*
y *Ser.3. super missus num.8.* z *Ser.4. super missus num.8. & 11.*

Dolens quærere quem diligit anima tua?
Surge, Curre, Aperi.
Surge per fidem: Curre per devotionem: Aperi per confessionem.
Ecce, inquit, Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.
Prudens Virgo prævenienti se muneri gratuitæ promissionis,
Junxit meritum suæ Orationis: *Fiat*, est verbum orantis:
Fiat, inquiens, mihi secundùm verbum tuum.
Fiat mihi de Verbo secundùm verbum tuum.
Verbum, quod erat in principio apud Deum,
Fiat Caro de Carne mea secundùm verbum tuum.
Fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat,
Sed conceptum ut maneat: Carne videlicet indutum, non aëre.
Fiat mihi non tantùm audibile auribus,
Sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris.
Non fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum:
Hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum:
Sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum:
Et hoc non mortui calami depictione, sed Sancti Spiritus operatione.
Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me
Factum est, nemini post me faciendum.
Nolo autem ut fiat mihi aut declamatoriè prædicatum,
Aut figuraliter significatum, aut immaginatoriè somniatum:
Sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum.
Verbum igitur, quod in se nec poterat fieri, nec indigebat,
Dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundùm verbum tuum.
Fiat quidem generaliter omni Mundo,
Sed specialiter fiat mihi secundùm verbum tuum.

ELOGIUM XI.

a FÆCUNDÆ VIRGINI,
b Quæ etsi placuit ex Virginitate, tamen ex Humilitate concepit.
c Semper enim solet esse Gratiæ Divinæ familiaris virtus Humilitas.
Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.
d Balsamum est Gratia, purissimum & solidissimum vas requirit.
Et quid tam purum, quidvè tam solidum, quàm Humilitas Cordis?
e Humiliter ergo respondet MARIA, ut sedes Gratiæ præparetur:
Ecce, inquit, Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Quæ

---

a *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 1.* b *Ser. 1. super missus num. 5.* c *Ser. 4. super missus n. 9.*
d *Ser. 3. in Annunc. B. M. num. 9.* e *Ser. 4. super missus num. 9.*

Quæ eſt hæc tam ſublimis Humilitas,
Quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit?
Mater Dei eligitur, & Ancillam ſe nominat?
f Audierat: Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.
Et nihil aliud quàm Ancillam ejus ſe eſſe reſpondit.
h Non mediocris re vera Humilitatis inſigne,
Nec oblatâ tantâ gloriâ obliviſci Humilitatem.
Non magnum eſt eſſe humilem in abjectione,
Magna prorsùs & rara virtus Humilitas honorata.
i MARIA quantò major erat, tantò magis humiliabat ſe
Non modò de omnibus, ſed & præ omnibus.
k Meritò proinde reſpexit Deus Humilitatem Ancillæ ſuæ.
l Super quem, inquit, requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?
Si igitur MARIA humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus Sanctus non requieviſſet.
Si ſuper eam non requieviſſet, nec imprægnaſſet.
Patet itaque quia ut de Spiritu Sancto conciperet (ſicut ipſa perhibet)
Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ Deus, potiùs quàm Virginitatem.
m Non enim Caſtitatem reſpexit Dominus, ſed Humilitatem Ancillæ ſuæ.
n Et vide quia non fuit contenta dicere: Reſpexit me, aut, Reſpexit
Ancillam ſuam, aut, Reſpexit humilitatem meam:
Sed ſemetipſam depreſſit valdè, & firmiſſima locavit fundamenta,
Ubi tantæ magnitudinis & pulchritudinis firmiter exciperet ornamenta.
Reſpexit, inquit, Humilitatem Ancillæ ſuæ:
Reſpiciendo me per gratiam ſuam,
Et humilem me fecit, & Ancillam ſuam.
o Habeo Lilium Caſtitatis, habeo Roſam Charitatis,
Habeo & alios quoſcunque flores:
Sed nullum horum tantâ dignatus prærogativâ reſpexit in me Dominus,
Ut florem Violæ, ideſt Humilitatis virtutem.
p Sola humilitas eſt, de qua omnium plena Virtutum
MARIA gloriandum eſſe putavit.
Audito quippe ab Angelo, Ave gratiâ plena, quaſi ſolam
Ex ipſa plenitudine Humilitatem in ſe recognoſceret,
Solam rependiſſe, ac reſpondiſſe momoratur in gratiam,
Reſpexit, inquiens, Deus Humilitatem Ancillæ ſuæ.
q Magna Humilitatis virtus, cui etiam Deitatis Majeſtas ſe inclinat.
r Voluit Deus eſſe Virginem, de qua Immaculata
Immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.
Voluit & humilem, da qua mitis & humilis corde prodiret,

Harum

---

f *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 12.* h *Ser. 4. ſuper miſſus num. 9.* i *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 11.* k *Ser. 3. in Annunc. B. M. num. 9.* l *Ser. 1. ſuper miſſus num. 5.* m *Tract. de vite myſt. c. 17. num. 68.* n *Ser. ſuper Magnificat num. 2. tom. 6. 854.* o *Tract. de vite myſt. cap. 17. nu. 67.* p *Tract. de Offic. & morib. Epiſc. cap. 5. num. 17.* q *Ser. 43. in Cant. nu. 1.* r *Ser. 2. ſuper miſſus num. 1.*

Harum in se Virtutum omnibus saluberrimum exemplum ostensurus.
s Felix MARIA, cui nec Humilitas defuit, nec Virginitas.
Et quidem singularis Virginitas,
Quam non temeravit, sed honoravit fæcunditas:
Et nihilominus specialis Humilitas,
Quam non abstulit, sed extulit fæcunda Virginitas:
Et incomparabilis prorsùs fæcunditas,
Quam Virginitas simul comitatur & Humilitas.
t Meritò & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit:
Ut longè gloriosior fiat & Virginitas ex fæcunditate, & ex Virginitate fæcũditas,
Ac mutuis se se radiis illustrare hæc duo Sydera videantur.
u Fæcunditas itaque Virginis supereminens gloria est:
Tantoquè excellentior Angelis facta est munere singulari,
Quantò differentius præ illis nomen Matris accepit.
Hanc invenit gratiam plena jam gratiâ, ut
Charitate fervida, Virginitate integra, Humilitate devota,
Fieret nihilominùs sine Viri cognitione gravida,
x Longè antè mysticis præfigurata miraculis,& oraculis prænũciata Propheticis.
y Quid rogo, virga Aaron florida nec humectata portendebat,
Nisi MARIAM concipientem, quamvis Virum non cognoscentem?
Hujus magni miraculi majus mysterium Esaias edisserit, dicens:
Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.
In hoc Esaiæ testimonio, florem Filium, virgam intellige MARIAM:
Quoniam & virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine.
z Rubus,qui visus est ardere sine sui incendio,Virginem significavit
Concepturam de Spiritu Sancto absque Virginitatis suæ detrimento.
Rubus item,ad quem non est Moyses accedere ausus calceatus,
Virginem docuit sine maritali opere mirabiliter parere.

ELOGIUM XII.

a INCARNATI VERBI MATRI,
b Dignis extollendæ laudibus Virgini Matri.
c Siquidem Fide concepit, Fide peperit, & ut ait Elizabeth,
Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt ei à Domino.
d Angelo quidem foris loquente, sed Deo intùs persuadente.
Erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo: Dominus tecum.

Nec

s *Ser.1. super missus num.9.* t *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 9.* u *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 12.* x *Ser.1. de Virg. Deip. num 8.* y *Ser. 2. super missus num. 5. & 6.* z *Ser. de B. M. Deip. num.5. tom.6. p.762.* a *Ser.4. in Assumpt. B.M. num.1.* b *Ibidem num. 5.* c *Ser.2. in Nat.Dom. num.4.* d *Ser.4. super missus num.3.*

e Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem Carne tua induis:
Sed & Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis :
Et Dominus Pater, qui genuit quem concipis.
Pater inquam tecum, qui Filium suum facit & tuum.
Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo
Et sibi reserat genitale Secretum, & tibi servat virginale Signaculum.
Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat Uterum.
f Quòd autem in Beata MARIA Sancta Trinitas fuerit,
(Fuerit dico per præsentiam Majestatis,
Ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis)
Testatur Nuncius Cælestis, qui ei arcana mysteria referans ait:
Ave gratia plena Dominus tecum.
Et post pauca : Spiritus Sanctus superveniet in te,
Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi.
Ecce habes Dominum, habes Virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum.
Habes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.
Neque enim potest esse aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius,
Aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus Sanctus.
g Implevit quidem & Pater & Spiritus Sanctus
Carnem Filii, à quo neuter eorum poterat separari:
Sed implevit Majestate, non susceptione.
h Elizabeth & mirabatur personam venientis, dicens:
Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?
Et beatificabat fidem credentis, Beata (inquiens) quæ credidisti,
Quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.
Magna quidem præconia, sed devota Humilitas nihil sibi passa retinere:
In eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.
Tu (inquit) magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum.
Beatam esse dicis quæ credidissem, sed credulitatis & beatitudinis causa
Respectus est Supernæ Pietatis,
Ut ex hoc magis Beatam me dicant omnes generationes,
Quia Ancillam humilem & exiguam respexit Deus.
i Beata planè quam respexit Deus, & beata quæ credidit.
Hic enim magnus Divinæ respectionis extitit fructus.
Ineffabili siquidem artificio Spiritus superveniens tantæ Humilitati
Magnanimitas tanta in Secretario virginei Cordis accessit,
Ut nec Humilitas tanta minuerit Magnanimitatem,
Nec Magnanimitas tanta Humilitatem:
Sed cùm in sui æstimatione Humilis esset Virgo MARIA,
Nihilominus & in promissionis credulitate Magnanimis:
Ut, quæ nihil aliud quàm exiguam se se reputabat Ancillam,
Ad incomprehensibile hoc mysterium & admirabile Commercium,

Ad

e Ser. 3. super missus num. 4. *f Ser. 52. int. diu. num. 2.* *g Ser. 57. int. diu. num. 1.*
h Ser. 2. de Virg. Deip. num. 12. *i Ibidem num. 13.*

Ad inſcrutabile Sacramentum nullatenùs ſe dubitaret electam,
Sed veram Dei & Hominis Genitricem crederet mox futuram.
k *Ecce* (ait) *ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*.
Fiat, deſiderii ſignum eſt, non dubitationis indicium.
Et per hoc quod dicit, *fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*,
Magis intelligenda eſt affectum exprimere deſiderantis,
Quàm effectum requirere more dubitantis.
Quanquàm nihil obſtat intelligi, *fiat*, eſſe verbum orantis:
Nemo quippe orat, niſi quod credit & ſperat.
l Felix Mulier, benedicta in mulieribus, in cujus Caſtis Viſceribus,
m Superveniente Spiritu Sancto, obumbrante Virtute Altiſſimi,
Caro factum eſt Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia.
n Hæc eſt unica Salvatoris fæmina, in qua ſola
o Verbum, quod erat in principio apud Deum & Deus erat,
Anima, quæ de nihilo creata eſt & ante non erat,
Caro de maſſa corruptionis ſine corruptione aliqua
Divino ſegregata artificio (qualis nulla jam Caro erat)
Vinculo indiſſolubili in Perſonæ coëunt Unitatem.
p Sicut enim in illa Singulari Divinitate
Trinitas eſt in Perſonis, Unitas in Subſtantia:
Sic in iſta ſpeciali commixtione trinitas eſt in ſubſtantiis, in perſonis Unitas.
Et ſicut ibi perſonæ non ſcindunt Unitatem, Unitas non minuit Trinitatem:
Ita & hìc Perſona non confundit ſubſtantias,
Nec ſubſtantiæ ipſæ Perſonæ diſſipant Unitatem.
Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile,
Opus ſingulare inter omnia & ſuper omnia opera ſua.
Verbum enim & Anima & Caro in unam convenêre Perſonam:
Et hæc tria Unum, & hoc Unum tria,
Non confuſione ſubſtantiæ ſed Unitate Perſonæ.
q Hæc ſunt Evangelica illa tria ſata farinæ, quæ pariter fermentatur.
Felix Mulier, quæ in hæc tria ſata immiſcuit Fidei ſuæ fermentum:
Siquidem Fide concepit, Fide peperit
r In utero Virginis commixtio hæc & fermentatio facta eſt:
Et ipſa Mulier eſt, quæ miſcuit & fermentavit.
Nam fermentum non immeritò dixerim Fidem MARIÆ.
s Nec mireris quòd Fide ejus mediante unitum dixerim Verbum Carni,
Quandoquidem & Carnem ipſam de ejus Carne ſuſcepit.
t Ipſe eſt Salvator populorum, de quo præcinit Iſaias:
Egredietur virga de radice Jeſſe: & flos de radice ejus aſcendet.
u Virgam, Virginem: Florem, Virginis Partum intelligens.

Illud

k *Ser.4.ſup.miſſus n.11.* l *Ser.2.de Nat.Dom.n.4.* m *Ser.1.in Aſſumpt.B.M.n.3.* n *Ser.3.de Virg.Deip.n.2.* o *Ser.2.de Nat.Dom.n.4.* p *Ser.3.in Vig.Nat.Dom.n.8.* q *Ser.2.in Nat.Dom.n.5.* r *Lib.5.de Conſid.ad Eugen.cap.10.num.22.* s *Ser.2.de Nat. Dom. num.4.* t *Ser.2. in Annunc.B.M. num.5.* u *Ser.2. ſuper miſſus num.5.*

x Illud ſanè diligenter attende, quòd Florem hunc
De radice, non de virga dixerit aſcenſurum.
Quia etenim ſi nova Chriſti Caro in Virgine
Creata eſſet ex nihilo, quod æſtimaverunt nonnulli;
Non de radice Flos, ſed fortè de virga dici poterat aſcendiſſe.
Nunc autem quia prodiit ex radice,
Sine dubio ab origine communem probatur habuiſſe materiam.
y Alieni ſint à nobis Novatiani, qui Chriſti à nobis Carnem alienare conantur,
Novam creatam in Virgine, & non de Virgine ſumptam, impiè aſſerentes.
Pulchrè Propheticus ſpiritus longè ante occurrit
Huic ſententiæ, imò blaſphemiæ impiorum:
Egredietur (inquiens) Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.
Dixiſſe poterat, & flos de virga, ſed maluit, *de radice*:
Ut unde Virgam, inde Florem duxiſſe originem demonſtraret,
Carnem videlicet quæ à primo uſque homine traducta cognoſcitur.
Inde igitur ſumpta Caro, unde orta Virgo,
Nec nova in Virgine, quæ prodiit ex radice.
z Quid & illud Gedeonis Vellus ſignificat,
Quod utique de carne tonſum, ſed ſine vulnere carnis,
In area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur,
Niſi Carnem aſſumptam de Carne Virginis, & abſque detrimento Virginitatis?

ELOGIUM XIII.

a MARIÆ SOLE AMICTÆ.
b Illo, inquam, Sole ſolis Conditore.
c Jure autem MARIA Sole perhibetur amicta,
Quæ profundiſſimam Divinæ Sapientiæ
Ultra quàm credi valeat, penetravit abyſſum, ut
(Quantùm ſine perſonali Unione creaturæ conditio patitur)
Luci illi inacceſſibili videatur immerſa.
d Ipſe enim Sol Juſtitiæ de MARIA proceſſurus,
(Ortum ſuum quadam matutina irradiatione præveniens)
In eam Lucis ſuæ radios copioſè transfudit.
e Ipſe eſt ignis conſumens, qui Sanctiſſimã Animam MARIÆ totam inflãmavit,
Seipſo atque Splendore Divinæ Majeſtatis implevit.

E MA-

x *Ser.2. in Annunc. B.M. num.5.* y *Lib.5. de Conſid. ad Eugen. cap.10. num.23.*
z *Ser.2. ſuper miſſus num.7.* a *Ser.1. de Virg. Deip. num.3.*
b *Ser.3. de Virg. Deip. num.5.* c *Ser.1. de Virg. Deip. num.3.*
d *Ser.3. de Virg. Deip. num.4.* e *Ibidem num.2.*

f Mariæ utique distillantibus Cælis tota se infudit plenitudo Divinitatis.
g Sed quis intellectu capere, ratione discernere possit,
Qualiter Splendor ille inaccessibilis virgineis se se visceribus infuderit?
Et, ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem
Corporis cui se anima contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit?
h Illo nimirùm Igne Prophetæ labia purgantur: illo Igne Seraphim accendũtur.
Longe verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi,
Sed operiri magis undique & circumfundi, & tanquam ipso Igne concludi.
i Magna equidem familiaritas, sed mira omninò vicinitas Solis & Mulieris.
Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit?
Meritò quidem admiraris Moyses Sancte, & curiosiùs desideras intueri.
Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis,
Et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.
Vado, inquit, & videbo visionem hanc magnam.
Magna planè visio Rubus ardens sine combustione:
Magnum signum Mulier illæsa manens amicta Sole.
Non est Rubi natura opertum undique flãmis manere nihilominùs incombustũ:
Non Mulieris potentia, ut sustineat Solis amictum.
Non est Virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem:
Sublimior quædam necessaria. Spiritus Sanctus inquit, superveniet in te.
Et tanquam respondeat Angelus Gabriel:
Quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster Ignis consũmens est:
Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi.
Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo
Talis etiam à Muliere sustineatur amictus.
k Mulier (inquit) amicta Sole. Planè amicta Lumine tanquam vestimento.
l Illo, inquam, amicta Sole solis Conditore.
m Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima,
Imò quàm intima fieri meruisti: quantam invenisti gratiam apud Deum!
In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo.
Vestis eum substantiâ Carnis: & vestit ille te gloriâ suæ Majestatis.
n Ipse est, qui Sanctissimam Animam tuam totam inflammavit,
Seipso atque Splendore Divinæ Majestatis implevit.
o Vestis Solem nube: & Sole ipsa vestiris.
Novum fecit Dominus super terram, ut Mulier circumdaret Virum,
Non alium quàm Christum, de quo dicitur: Ecce Vir oriens nomen ejus.
p Quæritur, quæ sit hæc novitas,
Quam Deus fecit in terra, ut Fæmina circumdaret Virum,
Et Vir infra fæminei unius corpusculi membra se se cohiberet?
q Fæmina circumdans Virum, Virgo est concipiens Deum,

Et

f *Ser. 2. super missus num. 7.* g *Ser. 4. super missus num. 4.* h *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 3.* i *Ibidem n. 5.* k *Ibidem n. 6.* l *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 5.* m *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 6.* n *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 2.* o *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 6.* p *Ser. 2. super missus n. 8.* q *Ibidem num. 1.*

r Et intra viſcera intacta & integra Virum claudens.
s Ibi agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta,
Altitudo ſubdita, profunditas plana.
Ibi agnoſcitur Lux non lucens, Verbum infans, Aqua ſitiens, Panis eſuriens.
Videas ſi attendas Potentiam regi, Sapientiam inſtrui, Virtutem ſuſtentari.
Numquid non facilè tibi eſt inter hæc Fæminam agnoſcere Virum circūdantem,
Cùm MARIAM videas Virū approbatū à Deo Jeſum ſuo utero circūplectētem?
Virum autem dixerim fuiſſe Jeſum, non ſolùm jam cùm diceretur
Vir Propheta potens in opere & ſermone,
Sed etiam cùm adhuc Infantis membra Dei Mater geſtaret in utero.
Vir igitur erat Jeſus necdum etiam natus,
Sed ſapientiâ non ætate: animi vigore, non viribus corporis:
Maturitate ſenſuum, non corpulentiâ membrorum.
Neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potiùs non minor fuit ſapientiâ
Jeſus conceptus, quàm natus: parvus, quàm magnus.
t Semper ergo Jeſus virilē animū habuit, etſi ſemper in corpore non apparuit.
Cur denique dubito Virum fuiſſe in Utero, quem inibi Deum fuiſſe nō ambigo?
Minus quippè eſt, eſſe Virum, quàm eſſe Deum.
u Verùm quæ Cauſa obumbrationis Altiſſimi virtutis? Hæc nimirùm.
Caro Virginis niſi quadam latente operatione obumbrata fuiſſet,
Splendorem tantæ Majeſtatis ſine ſui conſumptione nequaquam ferre potuiſſet.
x Tanta enim in Conceptione refulſit ſuperni Luminis claritas de
Supervenientis abundantia Spiritus, ut ne ipſa Virgo Sancta ſuſtinuiſſet,
Si non ſibi obumbratum foret à Virtute Altiſſimi.
y Nec enim vilis umbra, quæ de Virtute Altiſſimi formatur.
Et verè virtus in carne Chriſti, quæ Virgini obumbravit,
Ut quod impoſſibile erat mortali Fæminæ, objectu tamen vivifici Corporis
Ferret præſentiam Majeſtatis, & Lucem ſuſtineret inacceſſibilem.
z Unde Virgini legitur obumbraſſe, nè vehementiori reverberata Splendore,
Ad candidiſſimam illam Lucem puriſſimumquè Splendorem Divinitatis,
Etiam illius Aquilæ poſſet acies hebetari.

ELOGIUM XIV.

a MATRI DEI VIRGINI MARIÆ,
b Quæ digna fuit Spiritus Sancti Sacrarium fieri,

 Et

r *Ser. 3. in Parific. B. M. num. 1.* s *Ser. 2. ſuper miſſus num. 9.* t *Ibidem num. 10.*
u *Tract. de trib. præcip. myſt. cap. 7. num. 20. tom. 5. p. 586.* x *Ser. 7. in Cant. num. 7.*
y *Ser. 31. in Cant. num. 10.* z *Ser. 5. in Aſcenſ. Dom. n. 11. & Ser. 3. de Aſcenſ. Dom. n. 3.*
a *Ser. 52. int. diu. num. 2.* b *Ser. 4. in Aſſumpt. B. M. num. 6.*

Et Habitaculum Filii Dei.

c Tu sola inventa es digna ô Domina, ut in tua Virginali Aula
Rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens,
Primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret.

d In te habitavit Filius Dei ut Creator in Mundo,
Imperator in Regno, Pontifex in Templo, Sponsus in Thalamo.

e Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te,
Quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia quasi de lignis Libani,
Architectura ineffabili Domum sibi ædificavit Dei Sapientia,
Ac Reclinatorium Aureum in ea collocavit.

f Caro utique Salvatoris aurea dicitur ex eo,
Quia nullius passa est detrimentum pudoris.

g Jam ergo uterum tuum Domina velut Sacratissimum Dei vivi Templum
Totus Mundus veneratur: quia in eo salus Mundi initiata est.
Ibi decorem indutus est Dei Filius.

h Decorem sanè in corpore claritatis.

i Claritatem namque quam habebat secundùm quod Deus,
Volebat habere secundùm quod Homo.

k Voluit quoque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet.

l Mater est sine corruptione Virginitatis: Filius sine omni labe peccati.
Non cadit in Matrem Evæ maledictio: non cadit in prolē generalis illa conditio,
Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.
Ecce Infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & Veritas ipsa.

m Quia solus Jesus Christus de mundissimo conceptus est semine.
Etsi in similitudine Carnis peccati, non tamen in Carne peccati.
Etsi filius Carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ:
Qui nō fuit naturâ filius iræ sicut reliqui omnes, qui in iniquitatibus sunt cōcepti.

n Unus est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber.

o Sic quippè decebat ut peccatum nesciret, qui peccatum tollebat:
Ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati.

p Solus Agnus est sine macula: Solus argui non potuit de peccato.
Solus planè meus Jesus nec in Patre nec in Matre contaminatus est,
Patrem quippe sed Deum, Matrem quoque sed Virginem habens.

q Quia sine virili semine de pura & intemerata Virgine natus est.
Solus est, cujus Mater est Virgo: Cujus Pater fæminam nescit.

r Sola est MARIA de qua dicitur: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.
Sola, cui dicitur: Quod ex te nascetur *Sanctum*, vocabitur Filius Dei.

Ad

c *Ser.3. de Virg. Deip. num.2.* d *Ser. de B. M. Deip. num.2. tom.6. p.761.*
e *Ser.3. de Virg. Deip. num.2.* f *Ser. de B. M. Deip. num.11.* g *Ser.3. de Virg. Deip. n.3.*
h *Ser.34. int. diu. num.4.* i *Ser.4. in ult. Cæna num.27. tom.6. p.665.*
k *Ser.2. super missus n.1.* l *Ser.4. in Vig. Nat. Dom. n.5.* m *Ser.2. in die Pentec. n.1.*
n *Ser.33. int. diu. num.3.* o *Ser. in Nat. S. Ioannis Baptistæ num.3. tom.6. p.742.*
p *Ser.28. int. diu. num.1.* q *Ser.4. in ultima Cæna num.27. tom.6. p.665.*
r *Ser.1. de Virg. Deip. num.10.*

s Ad quid enim ita simpliciter *Sanctum*, & absque additamento?
Quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, Sanctum procul dubio & singulariter
Sanctum fuit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem,
t Porrò in Utero Virginis ruptus est paries inimicitiarum,
Quem inter Cælum & terram protoplastorum inobedientia construxerat.
Ibi confœderata sunt terrenis Cælestia,
Quando in unam eandemquè Personam concurrerunt Divinitas & humanitas.
Factumq; est novum illud super terram, ut esset Deus homo, & homo Deus.
u Ibi Rex ille dives exinanitus est, ut ejus paupertate locupletaremur.
Ibi Excelsus humiliatus est, ut ejus humilitate sublevemur.
Ibi immensus abbreviatus est, & ab Angelis minoratus est,
Ut ejus minoratione magnificemur.
Ibi verus Deus & Dei Filius incarnatus est, ut ejus Incarnatione
Adhærentes Deo incipiamus unus esse spiritus cum eo.
x Ibi Antiquus dierum prælecto Filio suo tunicam induit polymitam.
y Polymitam utique ob multorum Ordinum, qui in
Ecclesia sunt, multimodam distinctionem
Ibi Filius Dei prælectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in Stola candida
Exultanter occurrit, desideratum diù osculum prælegit:
Ac prædestinatas à sæculo Nuptias Virgo cum Virgine prælibavit.

ELOGIUM XV.

a ARCÆ DEI VIRGINI MARIÆ.
b Arca Testamenti typum tenet Sanctæ Dei Genitricis.
c In qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit Deus:
Atque in ejus sinum omnes Thesauros suos absque mensura transfudit.
d Redempturus humanum genus, precium universum contulit in MARIAM.
e Cui utique distillantibus Cælis tota se se infudit plenitudo Divinitatis,
f Quatenùs plenitudo Divinitatis corporaliter in ea habitare incipiat.
g In qua denique, & per quam Deus ipse & Rex noster ante
Sæcula disposuit operari salutem nostram in medio terræ,
h In Utero videlicet Virginis MARIÆ.
Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ,
i Cùm illud inæstimabile opus misericordiæ

(Quod

s *Ser.4. super missus num.5.* t *Ser.3. de Virg. Deip. num.3.* u *Ser.3. in Annunc. B.M. n.8.*
x *Ser.3. de Virg. Deip. num.3.* y *Apolog. de vita & mor. Relig. cap.3. num.8.*
z *Ser.3. de Virg.* Deip.*n.3.* a *Ser.2. in die Pent. n.4.* b *Ser. de B.M.* Deip.*n.9. tom.6. p.764.*
c *Ser.3. de Virg.* Deip.*n.2.* d *Ser.2. de Virg. Deip. n.6.* e *Ser.2. super missus n.7.*
f *Ser.4. super missus num.2.* g *Ibidem num.8.* h *Ser.2. in die Pent. num.4.*
i *Ser.3. de Virg. Deip. num.2.*

(Quod prædestinavit Deus ante Sæcula in redemptionem nostram)
Primùm in ea à mundi Artifice sit fabricatum.
k Et cui te assimilabimus Mater pulchritudinis?
Hortus deliciarum nobis est Sacratissimus tuus uterus,
Quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus,
Quàm magna multitudo dulcedinis toti Orbi inde affulsit.
l Jam ergo Uterum tuum velut Sacratissimum Dei vivi Templum
Totus Mundus veneratur, quia in eo Salus mundi initiata est.
A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas:
Erravimus ab utero, in utero damnati antequam nati:
Quia de peccato, & in peccato concepti.
m Christus ergo ibi primùm medicinam apposuit,
Ubi primus vulneri patebat locus:
Et substantialiter Utero Virginis illapsus, de Spiritu Sancto conceptus est,
Ut conceptionem nostram mundaret,
Quam spiritus malus si non fecerat tamen infecerat:
Ut non esset etiam in Utero vita ipsius ociosa,
Dum novem mensibus purgat vulnus antiquum,
Scrutans (ut dicitur) usque ad imum putredinem virulentam,
Ut sanitas sempiterna succederet.
n Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine,
Nisi qui solus sine omni illicita & immunda conceptus est voluptate?
In ipsa radice & origine mea infectus & inquinatus sum:
Immunda est conceptio mea, sed est à quo tollatur ista confusio.
Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit.
o Et jam quidem peccatum in propria persona vicit,
Quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit.
Grandis enim peccato facta est violentia,
Et revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura
(Quam se totam infecisse & occupasse gloriabatur)
Ab eo penitùs in Christo aliena inventa est.
p Divitias ergo Salutis habeo (quibus redimam propriæ
Conceptionis impuritatem) Christi purissimam Conceptionem.
q Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.
Longitudo, propter Æternitatem: latitudo, propter Charitatem:
Sublimitas, propter Majestatem: profunditas propter Sapientiam.
r Sed in Utero Virginis agnoscitur longitudo brevis,
Latitudo angusta, altitudo subdita, profundum plana.
s Ibi Magnus Elisæus in mensuram suscitandi pueri se se contraxit.

Ma-

---

k *Ibidem num.4.* l *Ibidem num.3.* m *Ser.2. in die Pent. num.3. & 4.*
n *Ser.4. in Vig.Nat.Dom. num.2.* o *Ser.1. in Nat.Dom. num.4.*
p *Ser.4. in Vig.Nat.Dom. num.3.* q *Lib.5. de Consid. cap.13. num.27. & 29.*
r *Ser.2. super missus num.9.* s *Ser.3. de Virg.Deip. num.3.*

t Magnus inquam ille Vir Propheta potens in opere & ſermone,
De excelſo monte Cælorum deſcendens, viſitare dignatus eſt me,
Miſereri mortuo, inclinare ſe jacenti, contrahi & coæquari parvo,
Cæco partiri lumen oculorum ſuorum, & os mutum oris proprii
Oſculo ſolvere, debileſquè manus ſuarum roborare contactu.
Hoc ſemel contulit Univerſitati. Hoc quotidie ſinguli in nobis actitari ſentimus;
Oculis ſuis tetigit meos, interioris hominis frontem
Claris luminaribus ornans, Fide & intellectu.
Ori meo junxit ſuum, & mortuo ſignum pacis impreſſit.
Os ori applicuit, iteratò inſpirans in faciem meam
Spiraculum Vitæ, ſed ſanctionis quàm primò.
Nam primò quidem in animam viventem creavit me,
Secundò in ſpiritum vivificantem reformavit me.
Manus ſuas denique meis manibus ſuperpoſuit,
Exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ.
u Ibi Rebecca futurorum præſcia magnificandi filii manibus
Pelliculas hædorum circumdedit, & Colli nuda protexit.
Ibi enim cooperante gratia Spiritus Sancti,
Filius à Deo Patre hæreditandus in omnibus Gentibus,
Divinæ Majeſtatis potentiam ſimilitudine carnis peccati cooperuit.
x Propterea vox quidem vox Jacob, manus autem manus ſunt Eſau.
Suum eſt quod auditur ex eo, quod in eo videtur noſtrum.
y Mei ſunt pili, nam piloſæ manus ſimilitudinē proximi exprimunt peccatoris.
Meos agnoſco hos pilos, & in pelle mea videbo Deum Salvatorem meum.
Non tamen Rebecca illum ſic induit, ſed Maria, tantò digniorem
Qui benedictione acciperet, quantò Sanctior quæ peperit.
Et bene in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur.
z Ibi Divini Conſilii providentiâ ineſcatus eſt hamus, qui ad extrahendum
Serpentem antiquum in hoc mare magnum de Cælo trajectus eſt.
Inde egreſſa eſt armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan,
Ut evomeret mortuos, quos ab origine Mundi ſecurè deglutiverat.

ELOGIUM XVI.

a MARIÆ CHRISTIFERÆ
b In medio terræ, in Utero videlicet Virginis MARIÆ.
c Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immenſi:
Nem-

t *Ser. 16. in Cant. num. 2.* u *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 3.*
x *Ser. 28. in Cant. num. 3.* y *Ibidem num. 2. & 3.* z *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 3.*
a *Ser. 7. ſuper Pſalm. 90. num. 4.* b *Ser. 4. in die Pent. num. 4.*
c *Ser. 7. ſuper Pſalm. 90. num. 4.*

Nempè gestare Christum, non onerari est, sed ornari.
d Nec enim in terris fuit locus dignior uteri virginalis Templo,
In quo Filium Dei MARIA suscepit.
e Felix Mulier, quæ non jam exploratores Hierico,
Sed potiùs fortissimum illum Exploratorem
Stulti illius qui verè ut Luna mutatur,
Non Legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis
Suscipere meruit verum JESUM Filium Dei.
f Hæc est unica illa Salvatoris Fæmina,
In qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit.
g Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te, ô MARIA:
h Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona,
In tuo utero melius fecit, consecrans in te sibi Reclinatorium Aureum,
Ut post tumultus Angelorum & hominum reclinaret, & requiem inveniret.
i Tu sola inventa es digna, ut in tua Virginali Aula
Rex regum, & Dominus dominantium à Regalibus sedibus veniens,
Primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret:
k Et Dominus Majestatis, quem non capit universitas Creaturæ,
Intra Virginea se se clauderet Viscera factus homo.
l Omnibus firmamentis firmius Firmamentum tu Domina,
Quæ eum, quem Cæli Cælorum capere non poterant,
Cæpisti & concepisti, portasti & non defecisti.
m Portans nimirùm illud preciosissimum Depositum,
Portans onus leve, portans à quo portabaris.
n Portans, inquam, in Utero Filium Dei, Regem Gloriæ, Dominum Majestatis
o Novum creavit Dominus super terram: Fæmina circumdabit Virum.
Quæ est hæc Fæmina? Quis verò iste Vir?
Quæ est hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut Fæmina circumdaret Virum,
Et Vir intra Fæminei unius Corpusculi membra se se cohiberet?
p Hanc Hieremiæ novitatem Esaias lucidissimè aperit.
Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet Filium.
En habes fæminam, scilicet Virginem.
Vis & de Viro audire quid sit?
Et vocabitur (ait) nomen ejus Emmanuel, idest, Nobiscum Deus.
Fæmina itaque circumdans Virum, Virgo est concipiens Deum.
q Novum, inquam, fecit Dominus super terram, ut Fæmina circũdaret Virum,
Non alium quàm Christum, de quo dicitur: Ecce Vir Oriens nomen ejus.
Virum

---

d *Ser. 1. in Assumpt. B. M. num. 3.* e *Ser. 2. in Assumpt. B. M. num. 2.*
f *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 2.* g *Ibidem.* h *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 1. tom. 6. p. 613.*
i *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 2.* k *Ser. 1. in Assumpt. B. M. num. 3.*
l *Ser. 3. super Sal. Reg. num. 12.* m *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 9.*
n *Ser. de S. Ioan. Bapt. num. 4. tom. 6. p. 743.* o *Ser. 2. super missus num. 8.*
p *Ibidem num. 11.* q *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 6.*

r Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solùm jam cùm diceretur
Vir Propheta potens in opere & sermone,
Sed etiam cùm tenera adhuc Infantis membra Dei Mater gestaret in Utero.
s Cur denique dubito Virum fuisse in Utero,
Quem inibi Deum fuisse non ambigo?
Minùs quippè est, esse Virum, quàm esse Deum.
t O Venter diffusior Cælis, Terrisquè amplior, capacior Elementis,
Qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur!
u O venter mirabilis, qui potuit capere Salvatorem!
O Venter laudabilis, qui potuit recipere Redemptorem!
x Hortus deliciarum nobis est Sacratissimus tuus Uterus ô MARIA,
y In quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus.
z In tuo Utero Majestas Altissimi mirabiliter liquefacta,
Sicut adipe & pinguedine replevit terras,
Infudit Cælos, inferna respersit.

ELOGIUM XVII.

a CASTÆ PUERPERÆ. MATRI INTACTÆ.
b Sine muliebri dolore Puerperæ,
c Longè antè mysticis præfiguratæ miraculis,
Et Oraculis prænunciatæ Propheticis.
Hanc enim Sacerdotalis virga dum sine radice floruit, præsignabat:
d Quoniam & virga floruit absque germine,
Et Virgo concepit non ex homine.
Nec virgæ virorem floris læsit emissio:
Nec Virginis pudorem Sacri Partus editio.
e Quid, inquam, virga Aaron florida nec humectata portendebat,
Nisi MARIAM concipientem, quamvis Virum non cognoscentem?
Hujus magni miraculi majus mysterium Isaias edisserit, dicens:
Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,
Virgam, Virginem: Florem, Virginis Partum intelligens.
f Audiamus & Hieremiam nova veteribus vaticinantem:
Novum, inquit, creavit Dominus super terram.
g Hanc Hieremiæ novitatem Isaias lucidissimè aperit,
Qui novos superiùs Aaronicos flores exposuit:

F Ecce,

r *Ser.2. super missus num.9.* s *Ibidem num.10.* t *Ser.2. in Nat.Dom.n.2.tom.6.p.615.*
u *Ser.5. super Sal.Reg.num.6.* x *Ser.3.de Virg.Deip.num.4.* y *Ser.2. in Nat.Dom. n.7. tom.6.p.617.* z *Ibidem n.1.* a *Ser.3. super missus num.8.*
b *Ser.2.de Virg.Deip.n.12.* c *Ser.1.de Virg.Deip.n.8.* d *Ser.2. super missus n.6.*
e *Ibidem num.5.* f *Ibidem num.8.* g *Ibidem num.11.*

Ecce, inquit, Virgo concipiet, & pariet Filium.
h Hanc Virginem præ cæteris Isaias nunc virgam de radice
Jesse orituram promittebat, nunc evidentiùs Virginem parituram;
i Rubus denique ad quem non est Moyses ausus calceatus accedere,
Virginem docuit sine maritali opere parere.
k Ita sanè ut intrante & exeunte Domino,
Porta Orientalis clausa jugiter perseveret,
l MARIAM enim in Ezechielis visione Porta Orientalis,
Quæ nulli unquam patuit, præsignabat.
m Nomen MARIÆ interpretatum maris Stella dicitur,
Et Matri Virgini valdè convenienter aptatur.
Ipsa namque aptissimè Syderi comparatur:
Quia sicut sine sui corruptione Sydus suum emittit radium,
Sic absque sui læsione Virgo parturit Filium.
Nec Syderi radius suam minuit claritatem,
Nec Virgini Filius suam Integritatem.
n Quid deinde Rubus ille quondam Mosaicus portendebat,
Flammas quidem emittens, sed non ardens,
Nisi MARIAM parientem, & dolorem non sentientem?
o Ecce, ait, nova facio omnia.
Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in Throno.
p Hanc invenit MARIA gratiam plena jam gratiâ,
Ut fieret sine Viri cognitione gravida, sine muliebri dolore Puerpera.
q O nova verè miracula!
Conceptus fuit sine pudore, Partus sine dolore.
Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ:
Peperit enim Filium sine dolore.
Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem,
Et sicut prædictum est per Gabrielem, Benedicta tu in mulieribus.
r Benedicta, inquam, tu in mulieribus,
Quæ illam generalem maledictionem evasisti, quâ dictum est:
In tristitia paries filios.
Nihilominùs & illam evasisti maledictionem, quâ secutum est:
Maledicta sterilis in Israël.
Ac singularem consecuta es benedictionem,
Ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias.
s O beata, sola inter mulieres benedicta & non maledicta:
Sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena.
t Si rerum precia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri.

Siqui-

h *Ser.2.de Virg.Deip.n.8.* i *Ser.de B.M.Deip.n.5.* k *Ser.3.in Purific.B.M.num.1.*
l *Ser.1.de Virg.Deip.num.8.* m *Ser.2.super missus num.17.*
n *Ser.2.super missus n.5.* o *Ser.4.in Vig.Nat.Dom.n.3.* p *Ser.2.de Virg.Deip.n.12.*
q *Ser.4.in Vig.Nat.Dom.num.3.* r *Ser.3.super missus num.7.*
s *Ser.4.in Vig.Nat.Dom.num.3.* t *Ser.1.de Virg.Deip.num.9.*

Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa es, nec habere sequentem.
u Etsi adhuc malediceris ab Israël secundùm Carnem,
Non quia sterilem vident, sed quia fæcundam invident:
Memento quod & Christus maledictum pertulit Crucis,
Qui te suam Matrem benedixit in Cælis:
Sed & in terris ab Angelo benedicta,
Et à cunctis generationibus terræ meritò Beata prædicaris.
Benedicta ergo Tu in mulieribus,
x Sola inter mulieres à communi maledicto, & dolore parturientium aliena.
E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus,
Sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.
y Cui enim Christus poterit asper aut durus videri, qui nec ipsi Matri in
Nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit læsionis?
Nec mirum si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius Mundi tulit.
Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor:
Utrumque Christus tollere venit, unde & utrumque suscepit,
Quando morte & morte turpissima condemnatus est ab iniquis.
Itaque ut fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis,
Priùs Matrem suam immunem ab utroque servavit,
Ut nec in Conceptu quidquam pudoris,
Nec in Partu quidquam doloris existeret.
z O Partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus,
Non referans, sed consecrans virginalis uteri Templum!

ELOGIUM XVIII.

a VIrgini ante Partum, Virgini post Partum.
b Hæc est unica illa Salvatoris Fæmina,
c De qua sola prædicantur hæc duo nomina, Virgo Mater.
d Ut mutuis se se radiis illustrare hæc duo Sydera videantur,
e Virgo peperit, & post Partum inviolata permansit,
Fæcunditatem prolis cum Carnis integritate,
Et gaudium Matris habens cum Virginitatis honore.
f Ipsa est Castellum in quod Jesus intravit, habens murum Virginitatis.
Murum certè fortissimum, quippè qui nec ante Partum,
Nec in Partu, nec post Partum potuit violari.

u *Ser.3. super missus num.8.* x *Ser.1.de Virg.Deip.n.9.* y *Ser.4.in Vig.Nat.Dom.nu.3.*
z *Ser.1.in Vig.Nat.Dom.n.1.* a *Ser.4.in ult.Cœna Dom.num.30.tom.6.p.667.*
b *Ser.3.de Virg.Deip.n.2.* c *S.Ber.in Or.rytb.rel.tom.2.eius oper.iux.edit.Venet.an.1583.*
d *Ser.1.de Virg.Deip.num.9.* e *Ser.4.in Vig.Nat.Dom.num.4.*
f *Ser.4.super Sal.Reg.num.21.*

g Duplex novitas. Duplex prærogativa. Duplex miraculum.
h Quæ generat, & Virgo & Mater est.
Qui generatur, & Deus & homo est.
i Magnum est per se, quòd Virgo sit: magnum per se, quòd Mater sit:
Magnum, quòd simul utrumque & Virgo & Mater sit.
Et cujus Mater? Dei Unigeniti, Plasmatoris & Salvatoris omnium.
k Prærogativa est Matris Domini, quâ singulariter creditur
Exultare & munere prolis, & integritate Carnis.
l Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa,
m Quòd nova exultatione novam edidit prolem,
n Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.
o Hæc MARIA à Natura reverenter est conservata,
A lege diligenter est venerata,
A Gratia clementer est prælecta.
Quia sic præfatis sua jura singillatim reddidit,
Reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet,
Ac insuper momenti quiddam superadderet.
p *Natura* siquidem illi summæ Virginitatis florem reservavit.
Lex soli virgineæ fæcunditatis honorem reservavit.
Gratia Divinæ Maternitatis præ cæteris decorem,
Ac spiritualis matrimonii divinissimum reservavit odorem.
q *Natura* (quod suum est) illibatam Virginem servando:
Lex reverenter eam ab aliis mulieribus distinguendo:
Gratia Virginitatem MARIÆ sine semine fæcundando:
r *Natura* rebus loquendo non verbis, dum in ea Integritatem servaret.
Lex, dum eam ab aliis mulieribus distinguendo clamaret, dicens:
Mulier quæ suscepto semine pepererit, immunda erit septem diebus,
s Quis non advertat liberam Matrem Domini ab hoc præcepto?
Putas enim quia dicturus Moyses mulierem,
Quæ peperisset Filium, immundam esse,
Non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere,
Et idcircò præmiserit, *suscepto semine*?
Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem,
Quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem?
Patet itaque quòd Lex ista Matrem Domini non includit,
Quæ non suscepto semine Filium peperit:
t Quem superveniente Spiritu Sancto de sola sanctificatione concepit.
u *Gratia*, in eo quod dictum est: Ave gratiâ plena, Dominus tecum:

Bene-

g *Ser.4. in Assumpt.B.M. num.5.* h *Ser.4. in Virg.Nat.Dom. num.6.*
i *Ser. super Magnificat num.4. tom.6. pag.855.* k *Epist.174. num.7.*
l *Ser.2. in Annunc.B.M.n.3.* m *Ser.3. de Virg.Deip.n.5.* n *Ser.4. in Assumpt.B.M.n.5.*
o *Ser. de B.M. Deip.num.2.tom.6.p.761.* p *Ibidem.* q *Ibidem.*
r *Ibidem.* s *Ser.3. in Purific. B.M. num.2.* t *Ser.2. de Virg.Deip.num.9.*
u *Ser. de B.M. Deip. num.2.*

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.
Natura huic detulit, dum terra sine germine pareret in principio.
Lex, dum Rubus arderet sine incendio.
Gratia, dum sine semine pareret Virgo.
x Hanc invenit gratiam plena jam gratiâ,
Ut fieret sine Viri cognitione gravida.
y Deus siquidem Matrem suam singulari in Cælestibus donaturus gloriâ,
Singulari in terris prævenire curavit & gratiâ,
Quâ videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta.
z Parum est. Quod ex ea natum est, *Sanctum* vocatur, & est Filius Dei.

ELOGIUM XIX.

a MATRI VENERANDÆ:
b Matri autem non cujuscunque, sed Dei.
c Deus enim est, quem peperit.
d O admirandam & omni honore dignissimam Virginem,
e Quæ Deum genuisti, aluisti, pavisti, lactasti, educasti
f Cùm tenera Infantis membra blando foveres in gremio.
g O Fæminam singulariter venerandam, super omnes fæminas admirabilem,
Parentum reparatricem, posterorum vivificatricem,
h Quæ omnibus generationibus Vitam & gloriam genuisti.
i Per te enim expectantibus miseris Vita perdida data est.
k O Lampas luculentissima, quantos lætificasti,
Quando Splendore Dei illustrata desideratum illud Lumen,
Quo inventa est drachma decima,
Sedentibus in tenebris & umbra mortis protulisti:
Atque ita desideratum cunctis Gentibus Solem mundo invexisti.
l Et cui te assimilabimus Mater Pulchritudinis?
Verè Paradisus Dei tu es, quia Lignum Vitæ mundo protulisti,
De quo qui manducaverit, vivet in æternum.
Hortus deliciarum nobis est Sacratissimus Uterus tuus ô MARIA:
Quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus
Quàm magna multitudo dulcedinis toti Orbi inde affulsit.
Fons Vitæ qui ex ore Altissimi prodiit, de medio Ventris tui exilivit,
Atque

---

x *Ser.2. de Virg. Deip. n.12.* y *Ser.2. super missus n.1.* z *Ser.2. de Virg. Deip. n.12.*
a *Ser.2. de Virg. Deip. num.2.* b *Ser.4. in Assumpt. B. M. num.5.*
c *Ser.2. super missus num.1.* d *Ibidem num.3.* e *Ser.3. super Sal. Reg. num.12.*
f *Ser.2. super missus num.9.* g *Ibidem num.3.* h *Ser.2. in die Pent. num.4.*
i *Ser.4. in Assumpt. B. M. num.8.* k *Ser.3. de Virg. Deip. num.4.*
l *Ibidem.*

Atque inde in quatuor capita se se dispertiens ad irrigandam
Faciem arentis mundi emanavit, lætificans Civitatem Dei.
Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum.
m O Venter desiderabilis, è quo emanavit desiderium mentium,
Gratiarum fluvius, Gloriæ præmium!
O Venter amabilis, & dulcedo Animæ!
O elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum!
n O verè Lignum Vitæ, quod fuit solum dignum portare fructum Salutis!
o Benedicta Tu in mulieribus, & benedictus fructus Ventris tui.
Singulariter quidem fructus Ventris tui est,
Sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit.
p Tu protulisti frumentum Electorum, quod est etiam Angelorum cibus.
q Felix Mulier, benedicta in mulieribus,
In cujus castis Visceribus superveniente igne Sancti Spiritus,
Coctus est Panis iste Angelorum, quem manducet homo:
Panis Cor hominis confirmans.
r Quid dicebas ô Adam?
Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi?
Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam.
Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ,
Quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit,
In Thesauro indeficientis suæ Pietatis invenit.
Redditur nempè Fæmina pro fæmina,
Prudens pro fatua, Humilis pro superba,
Quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat Vitæ:
Et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni.
s Crudelis Eva, per quam serpens antiquus
Pestiferum etiam ipsi viro virus infudit,
t Et sic refudit in totius posteritatis originem,
u Sed fidelis MARIA, quæ Salutis antidotum & viris & mulieribus propinavit.
x Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic:
Domine, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno Vitæ, & comedi:
Et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.
y Bonus fructus, qui animarũ esurientiũ & sitientium justitiã, & esca & potus est.
Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum,
Sed etiam (teste Scriptura) fuit delectabilis aspectu:
Quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere,
In quem (teste alia Scriptura) desiderant etiam Angeli prospicere.
z Fructus tuus Domina, est Jesus Dei vivi Filius.

Hic

---

m *Ser.5. super Sal.Reg. num.6.* n *Ser.2. de Aduen.Dom. num.4.*
o *Ser.3. in Annunc.B.M.n.8.* p *Ser.4. super Sal.Reg.n.22.* q *Ser.2.de Nat.Dom.n.4.*
r *Ser.2. super missus n.3.* s *Ser.1.de Virg.Deip.n.2.* t *Ser.2.in die Pent.n.3.*
u *Ser.1. de Virg.Deip. num.2.* x *Ser.2. super missus num.3.*
y *Ser.3. super missus num.6.* z *Ser.5. super Sal.Reg. num.6.*

Hic est Salvator noster Dominus Deus.
Hunc Jesum benedictum fructum Ventris tui,
Nobis post hoc exilium ostende,
Ut videndo ipsum habeamus: ipsum videndo, beatitudine repleamur.

ELOGIUM XX.

a REGINÆ CÆLORUM.
Matri Unigeniti Filii Dei.
b Virgini Gloriosæ, quæ Cælos ascendens,
Supernorum Civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis tunc;
c Cùm tota in ejus occursum Cælestium Legionum prodierit multitudo.
d Desiderabant quippè Angeli eam prospicere dicentes:
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.
e Hæc est enim, cujus Salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio,
Quos materna adhuc viscera claudunt.
f Vox utique Salutationis ejus Joannem exultare fecit in utero.
g Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est ut MARIA locuta est:
Quid putamus quænam illa fuerit Cælestium Spirituum exultatio,
Cùm & vocem audire, & videre faciem,
Et beatâ ejus frui præsentiâ meruerint?
h Quæ plena est gratiarum, plena rore Cælesti,
Innixa super Dilectum, deliciis affluens.
i Hinc est quòd & ipsi Cælestis Curiæ Principes
In consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione:
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?
Non enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis,
Quos in Civitate Domini lætificat fluminis impetus:
Qui à Vultu gloriæ, voluptatis gloriâ potamur.
Quæ est ista, quæ de sub Cælo (ubi nihil est nisi labor & dolor,
Et afflictio Spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens?
Quidni delicias dixerim Virginitatis decus cum munere fæcunditatis,
Humilitatis insigne, distillantem Charitatis favum, Misericordiæ viscera,
Plenitudinem Gratiæ, prærogativam Gloriæ singularis?
k Cui enim Angelorum aliquando dictum est:
Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi:
Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Quæ

---

a *Ser. 1. in Assumpt. B. M. num. 2.* b *Ibidem num. 1.* c *Ibidem num. 4.*
d *Ser. 2. super Sal. Reg. n. 11.* e *Ser. 1. in Assumpt. B. M. n. 1.* f *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 10.*
g *Ser. 1. in Assumpt. B. M. num. 2.* h *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 16.*
i *Ser. 4. in Assumpt. B. M. num. 1.* k *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 12.*

l Quæ denique vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari,
Quæ digna fuit Spiritus Sancti Sacrarium fieri & Habitaculum Filii Dei?
m Ascendens igitur de deserto Regina mundi,
Etiam Angelis Sanctis (ut canit Ecclesia)
Speciosa facta est & suavis in deliciis suis.
Desinant tamen deserti hujus mirari delicias,
Quia Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum.
n Meritò proinde Cantor ille divinus in ipsius admiratione præcinens, ajebat:
Quæ est ista, quæ ascendit sicut Aurora consurgens,
Pulchra ut Luna, electa ut Sol?
Ascendit planè supra humanum genus:
Ascendit usque ad Angelos, sed ipsos quoque transcendit;
Et Cælestem omnem supergreditur Creaturam.
Nimirùm supra Angelos hauriat necesse est,
Quam refundat hominibus Aquam vivam.
o Ascendit, inquam, usque ad Angelos plenitudine gratiæ,
Supra Angelos superveniente Spiritu Sancto pervenit.
p Processit igitur Gloriosa Virgo, cujus Lampas ardentissima
Ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent:
Quæ est ista, quæ progreditur sicut Aurora consurgens,
Pulchra ut Luna, electa ut Sol?
Clariùs enim cæteris rutilabat,
Quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis
Christus Jesus Filius ejus Dominus noster.
q MARIÆ præsentiâ totus illustratur Orbis, adeoùt & ipsa jam cælestis patria
Clariùs rutilet Virgineæ Lampadis irradiata fulgore.
r Et cui Te assimilabimus Mater pulchritudinis?
s Tu pulchra ut Luna diceris, eiquè non immeritò compararis.
Illa enim omnium Astrorum sola Soli simillima,
Et candore venusta argenteo cæteris in Cælo præmicat Syderibus:
Tu verò Solis imago expressissima, inter millia Astrorum Deo assistentium
Virginali puritate in Cælo Gloriosa præfulges:
t Et excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedis &
Supergrederis Creaturis, ut meritò sub pedibus tuis Luna esse dicatur.
Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, ut sit Luna ista sub pedibus ejus,
Quam super omnes Angelorum Choros exaltatam nefas est dubitare.
u O Virgo virga sublimis, in quàm sublime Verticem Sanctum erigis!
Neque enim id mirum, quoniam in altum misisti radices humilitatis,
x Quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius merito etiam
Supra omnes Choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit.

Nun-

---

l *Ser. 4. in Assumpt. B. M. num. 6.* m *Ibidem num. 1.* n *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 9.*
o *Ibidem n. 12.* p *Ser. 2. in Assumpt. B. M. n. 9.* q *Ser. 1. in Assumpt. B. M. num. 1.*
r *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 4.* s *Ibidem num. 5.* t *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 3.*
u *Ser. 2. de Aduen. Dom. num. 4.* x *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 5.*

Nunquam enim supra omnes Angelos glorificata ascendisses,
Nisi priùs infra omnes homines humiliata descendisses?
y Tu enim quantò major eras, tantò humiliabas te
Non modò de omnibus, & sed & præ omnibus.
Meritò facta es novissima Prima,
Quæ cùm Prima esses omnium, teipsam novissimam faciebas.
Meritò facta es omnium Domina,
Quæ teipsam omnium exhibebas Ancillam.
Meritò denique supra Angelos exaltata es,
Quæ & infra viduas & pænitentes,
Infra eam de qua ejecta fuerant septem dęmonia,
Ineffabili teipsam mansuetudine inclinabas.
z Verumtamen nè steteris vel inter Angelos, Virgo Sancta:
Sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur.
Paululum cùm pertransieris eos, invenies quem diligit anima tua.
Paululum, inquam, non quia non incomparabiliter supereminea,
Sed quòd inter eum & ipsos medium nihil invenias.
Transi ergo Virtutes & Dominationes, Cherubim quoque & Seraphim,
Ut ad eum pervenias, de quo vociferantur adinvicem:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

ELOGIUM XXI.

a VIRGINI GLORIOSÆ CÆLOS ASCENDENTI,
b Ut in æternum gauderet cum Filio suo.
c Virgini singulari in Cælestibus donatæ glorià:
d Vestitæ utique glorià Divinæ Majestatis:
e Et in Cælis Regali in Solio sublimatæ à Filio.
f Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris,
Tantum & in Cælis obtinet gloriæ singularis.
g Sed de ejus gloria nec dignum aliquid concipere cogitatio,
Aut inerudita potest locutio parturire.
h Christi Generationem, & MARIÆ Assumptionem quis enarrabit?
i Quem enim in Castellum hujus Mundi intrantem priùs ipsa susceperat,
Ab eo suscipitur hodie Sanctam ingrediens Civitatem.

 Sed

y *Ser.1.de Virg.*Deip.*n.11.* z Ser.2.*de Virg.Deip.n.10.* a Ser.1.*in Assumpt.B.M.n.1.*
b *Ser. de lament.Virg. Mariæ n.2. tom.6. pag.1055.* c Ser.2. *super missus num.1.*
d Ser.1. *de Virg.Deip. num.6.* e Ser.1. *de Assumpt.B.M. num.3.*
f Ser.1. *in Assumpt.B.M. num.4.* g Ser.4.*in Assumpt.B.M. num.1.*
h *Ser.1. in Assumpt. num.4.* i *Ibidem num.3. & 4.*

Sed cum quanto honore, cum quanta exultatione, cum quanta gloria,
Quis etiamsi linguis hominum Angelorumquè loquatur, explicare queat?
Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie Mundi Regina processerit?
Quibus ad Thronum gloriæ Canticis Angelorum sit deducta?
Quàm placido vultu, quàm serena facie,
Quàm Divinis amplexibus suscepta sit à Filio,
Et super omnem exaltata Creaturam, cum eo honore quo tanta
Mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit Filium?
Quod si nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascendit,
Quæ præparavit Deus diligentibus se:
Quod præparavit Gignenti se, & (quod omnibus est certum)
Diligenti præ omnibus, quis loquatur?
k Nec in terris locus dignior Uteri Virginalis Templo,
In quo Filium Dei Mater suscepit:
Nec in terris Regali Solio, in quo MARIAM hodie MARIÆ Filius sublimavit.
Felix nimirùm utraque susceptio, ineffabilis utraque;
Quia utraque inexcogitabilis est.
l Felix planè MARIA, & multiplex felix,
Sive cùm excipit Salvatorem, sive cùm à Salvatore suscipitur.
Utrobique mira dignitas Virginis Matris:
Utrobique amplectenda dignatio Majestatis.
Felicia prorsùs oscula labiis impressa lactentis,
Cui Virgineo Mater applaudebat in gremio.
Verumtamen nunquid non feliciora censebimus illa,
Quæ ab ore sedentis in dextera Patris in beata Salutatione suscepit,
Cùm ascenderet ad Thronum gloriæ, Epithalamium canens & dicens:
Osculetur me osculo oris sui.
m Nimirùm læva Sponsi sub Capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam.
n Felix es MARIA, quæ in Sacratissimis amplexibus amantissimi Filii tui
Suaviter recubas in Meridie Sempiterno,
Ejusquè familiarissimo Colloquio cum plena cordis lętitia perfrueris.
o O Virgo virga sublimis, in quàm sublime Verticem Sanctum erigis!
Usque ad sedentem in Throno, usque ad Dominum Majestatis.
p Tu sola tantâ ante Deum Sanctitate fœcundaris,
Ut sola Solio Regis Æterni immediatè approximare merueris,
q Quam verè amavit præ omnibus, & ornavit Stolam gloriæ induens:
Et Coronam pulchritudinis ponens in Capite tuo.
r In capite (inquit Joannes) ejus Corona Stellarum duodecim.
Dignum planè Stellis coronari Caput, quòd & ipsis longè clariùs micans,
Ornet

---

k *Ibidem num.3.* l *Ibidem num.4.* m *Ser.1.de Virg.Deip. num.7.*
n *Ser.3. de Virg.Deip.num.7.* o *Ser.2.de Advent.Dom. num.4.*
p *Ser.3. de Virg.Deip. num.2.* q *Ser.1.de Virg.Deip. num.16.*
r *Ibidem num.7.*

Ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis.
Quis Stellas nominet quibus Mariæ Regium Diadema compactum est?
Duodecim Stellas istas, duodecim Prærogativas Gratiarum intelligo,
Quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria
Prærogativas Cæli, Prærogativas Carnis, Prærogativas Cordis:
Et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus,
Habemus duodecim Stellas, quibus Reginæ nostræ Diadema præfulgeat universis.
Mihi sanè singularis rutilat fulgor,
I. Quidem in Mariæ Generatione. II. in Angelica Salutatione.
III. In Spiritùs superventione. IV. in Filii Dei inenarrabili Conceptione.
Sic & in his quoque sydereum planè irradiat decus;
I. Quòd Virginitatis Primiceria. II. quòd sine corruptione fæcunda.
III. Quòd sine gravamine gravida. IV. quòd sine dolore Puerpera.
Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant,
I. Mansuetudo pudoris. II. Devotio humilitatis.
III. Magnanimitas credulitatis. IV. Martyrium Cordis.
Quidni Mariam coronent Sydera, quam Sol vestit?
s Ille utique Sol solis Conditor.
t Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima!
Imò quàm intima fieri meruisti! Quantam invenisti gratiam apud Deum!
In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo.
Vestis eum substantiâ Carnis: & vestit ille te gloriâ suæ Majestatis.
Vestis Solem nube: & Sole ipsa vestiris.
Denique & coronasti eum, & vicissim ab eo meruisti coronari.
u Egredimini proinde filiæ Sion, & videte Reginam in Diademate,
Quo coronavit eam Filius suus.
x Veneramini Conjuges in carne corruptibili carnis Integritatem Mariæ.
Miramini etiam vos Sacræ Virgines in Virgine fœcunditatem.
Imitamini omnes homines Dei Matris Humilitatem.
Honorate Sancti Angeli vestri Regis Matrem,
Qui nostræ adoratis Virginis Prolem.
y Et quia in æternum & ultra non deficiet
Laus Mariæ de ore Angelorum: *Cæli enarrant gloriam Dei.*
Et nos cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus,
Cumquè omni militia Cælestis exercitus, Hymnum gloriæ
Sanctæ Sanctorum canamus.
Illi gloriam, nos Hymnum gloriæ.
Illi gloriam quam præsentes vident, in jubilo Cordis invicem enarrant:
Nos Hymnum tantummodò gloriæ,
Idest, memoriam eructemus abundantiæ Suavitatis Mariæ.

 To-

s Ser.3. de Virg. Deip. num.5. *t Ser.1. de Virg. Deip. num.6.*
u Ser.1. de Virg. Deip. num.6. *x Ser.1. super missus num.9.*
y Ser.3. super Sal. Reg. num.12.

z Totisvè medullis cordium, totis præcordiorum affectibus,
Et votis omnibus MARIAM hanc Veneremur:
Quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.

ELOGIUM XXII.

a REGINÆ MUNDI.
b Genitrici Dei. Dominæ Mundi. Reginæ Cæli.
c Justè Regina mundi, & Regina Cæli dicitur,
Per quam utriusque Creator & Rector generatur.
d Angelicarum namque generationum numerus per Generatum reintegrabitur:
Et hominum generatio in Adam maledicta,
Per benedictum Fructum ventris MARIÆ
Ad æternam benedictionem regenerabitur.
e Fæcundæ Virginis amplectitur Cælum præsentiam, terra memoriâ veneratur.
Sic nimirùm totius boni illic exhibitio,
Hîc tenuis quædam libatio primitiarum:
Ibi Res, & hîc Nomen.
f Meritò proinde resonat in Excelsis gratiarum actio, & vox laudis:
Sed plangendum nobis quàm plaudendum magis esse videtur.
Quantùm enim de ejus præsentia Cælum exultat, nunquid non consequens est,
Ut tantùm lugeat hic inferior noster mundus ejus absentiam?
Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hîc est manens Civitas:
Sed eam inquirimus, ad quam MARIA benedicta pervenit.
In quam si conscripti cives sumus,
Dignum profectò est etiam in exilio ejus nos recordari,
Ejus communicare gaudiis, ejus participare lætitiam,
Maximequè eam quæ tam copioso impetu lætificat Civitatem Dei:
Ut sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram.
Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est,
Ut fiducialiter sequamur Dominam Servuli clamantes:
Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.
g Currebant omnes in odore unguentorum tuorum,
h Non tam incessu pedum, quàm affectu cordis, & imitatione Virtutum tuarũ,
i Quarum odore suavissimo totam Domum Domini reples ô MARIA.
k Trahe & nos post te ô Sancta Sanctorum: & ostende lumen miserationũ tuarũ,

Ut

---

z *Ser.2.de Virg.Deip.n.7.* a *Ser.1.super Sal.Reg.n.2.* b *Ser.2.in die Pent. num.4.*
c *Ser.1.super Sal.Reg. num.2.* d *Ser. super Magnificat n.3. tom.6. pag.855.*
e *Ser.2.de Virg.Deip.num.1.* f *Ser.1.in Assumpt.B.M. num.1.*
g *Ser.2.super Sal.Reg.num.7.* h *Ser.1.de omn.Sanct. num.6.*
i *Ser.3. de Virg.Deip. num.4.* k *Ser.2. super Sal.Reg. num.7.*

l Ut in lumine tuo videamus Lumen :
Et Solis gratiam tuo meremur obtentu ,
m De qua Sol justitiæ ortus est nobis .
Quia sola est gratia, quâ salvamur .
n Qui enim vias tuas consectatus fuerit , non ambulabit in tenebris :
Sed Lumen Vitæ inveniet .
o Stolâ immortalitatis te indutam videre Dominâ indigni sumus :
Nam in illo decore te videre , quo induit te Dominus fortitudinem ,
Non est hujus temporis , nec temporis vitæ nostræ , vitiorum fœtore sordentis :
Ostende nobis faciem miserationum tuarum , & salvi erimus ,
p Quæ omnibus generationibus vitam , & æternam beatitudinem genuisti ,
q Domina rerum, virtus nostra & refugium , decus mundi , gloria Cæli .
r Tu Altitudo Cæli , beatos oculos tuos ,
Quibus incomprehensibilem gloriam illam Lucis æternæ
Cum desiderio semper intueris ,
Ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos ,
De alto inclinare non despicias .
s Nam tuorum claritas oculorû corda congelata accendit, & ad Cælestia trahit.
Mirabiles planè necnon & amabiles sunt illi tuorum radii oculorum ,
Quibus nos allicis ad amorem , & ad plenam ducis Salutem .
t Proinde de hoc exilio, ô Sancta Sanctorum, ad te clamamus exules filii Evæ ,
Ut interventu tuo, adjutorio tuo possimus ad cubiculum Veritatis repatriare .
Tu enim prima viam aperuisti ad patriam ,
Et Veritatem(quę verè patria est)mundo generans dedisti omnibus manifestam.
u Te igitur Domina exorante, renovetur ut Aquilæ juventus nostra,
Ut novi nova voce novum Canticum novis Civibus aggregati ,
Jubilum sempiternum celebrantes in Cymbalis jubilationis concinamus .
Tollatur crassa nebula ab oculis nostris ,
Ut revelata facie gloriam Domini speculantes ,
In immensum illud pelagus Divini Luminis absorbeamur à Domini Spiritu:
Ac Deo nostro in vinculis Charitatis adstricti, unus cû ipso efficiamur spiritus .
Præstet hoc nobis tuo interventu, ô MARIA , Filius tuus JESUS Christus ,
x Ut in æternum eum videamus , in quem credidimus ,
Quem dileximus, quem optavimus:
y Et videndo, ipsum habeamus : ipsum videndo, beatitudine repleamur .
z Et tu salva nos Domine JESU , pro quibus Virgo Mater te orat ,
Cujus Regnum & Imperium sine fine permanet in secula seculorum . Amen .

ELO-

---

l *Ser.*1.*de Virg.Deip. num.*16. m *Ser.*2.*de Virg.Deip. num.*5. & 7.
n *Ser.*3.*de Virg.Deip. num.*5. o *Ser.*2. *super Sal.Reg.num.*11.
p *Ser. super Magnificat num.*4. q *Ser.*3. *super Sal.Reg. num.*18.
r *Ser.*3. *de Virg.Deip. num.*1. s *Ser.*5. *super Sal.Reg. num.*6.
t *Ser.*2. *super Sal.Reg. num.*10. u *Ser.*3.*de Virg.Deip. num.*7.
x *Ser.*17. *super Psal.*90. *num.*7. y *Ser.*5. *super Sal.Reg. num.*6.
z *Ser.*3. *super Sal.Reg. num.*18.

ELOGIUM XXIII.

a MEDIATRICI NOSTRÆ, ADVOCATÆ NOSTRÆ.
b Dominæ Mundi, Dominæ nostræ.
Matri Jesu Christi in Cælum assumptæ.
c Advocatam præmisit peregrinatio nostra:
Quæ tanquam Judicis Mater, & Mater Misericordiæ
Suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.
d Fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus,
Sed Divinam in eo reverentur homines Majestatem.
Absorpta videtur in Deitatem Humanitas,
Non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata.
e Licet factus sit homo, mansit tamen Deus.
Advocatum habere vis & ad ipsum, ad MARIAM recurre.
Pura siquidem humanitas in MARIA, pura singularitate naturæ.
f Jam itaque nè ipsa Mulier benedicta in mulieribus videretur ociosa:
Invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione.
Opus est enim Mediatore ad Mediatorem istum:
Nec nobis alter utilior quàm MARIA.
g Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua.
Exaudiet utique Matrem Filius.
h Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit.
i. Per hoc quòd Virgo est,
Exaudita est pro reverentia sua in causa totius generis humani.
k Et quis tam idoneus ut loquatur ad Cor Domini nostri Jesu Christi, ut MARIA,
Quæ in sacratissimis amplexibus amantissimi Filii sui
Recubat in meridie sempiterno:
Ejusquè familiarissimo colloquio cum plena Cordis lætitia perfruitur.
l Et ideo non est timendum, quin misereatur miseris,
Ad illam partem inclinans Judicis sententiam, quam defendit.
m Ipsa nempè est mediatrix nostra, per quam suscipimus misericordiam ejus,
n Qui totum nos habere voluit per MARIAM.
o Levemus ergo cor nostrum cum manibus ad eam,
Et appropinquemus ei passibus amoris.

Am-

---

a *Ser.2.de Aduen.Dom.n.4.* b *Ser.de lament.Virg.M.num.2.tom.6.pag.1055.*
c *Ser.1.in Assumpt.B.M.n.1.* d *Ser.1.de Virg.Deip.n.1.* e *Ser.2.de Virg.Deip.num.7.*
f *Ser.1.de Virg.Deip.num.2.* g *Ser.2.de Virg.Deip.n.7.* h *Ser.4.in Assumpt.B.M.n.8.*
i *Ser.3.in Vig.Nat.Dom.num.10.* k *Ser.3.de Virg.Deip.num.7.*
l *Ser.5.super Sal.Reg.num.6.* m *Ser.2.in Assumpt.B.M.num.2.*
n *Ser.2.de Virg.Deip.num.7.* o *Ser.1.super Sal.Reg.num.2.*

p Amplectamur MARIÆ vestigia, Fratres mei,
Et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur.
Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim.
q Reddamus ei vota nostra de die in diem, de hora in horam dicentes:
r Mentem & oculos pariter cum manibus ad te Regina mundi attollimus,
Et coram tuæ Celsitudinis gloria genuflectimus, cervicem inclinamus:
Ac plenis suspiriis ad Te preces in cælum transmittimus:
s Per Te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta,
Inventrix gratiæ, Genitrix Vitæ, Mater Salutis:
Ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.
Excuset apud ipsum Integritas tua culpam nostræ corruptionis,
Et Humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati.
Copiosa Charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum,
Et fœcunditas gloriosa fæcunditatem nobis conferat meritorum.
Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra,
Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræsenta.
t Te enim inæstimabilis benignitatis Matrem esse cognoscimus ex eo,
u Quòd tu Divinæ Pietatis abyssum cui vis, quando vis, ac quomodo vis
Crederis aperire, ut quivis enormis peccator non pereat,
Cui Sancta Sanctorum patrocinii tui suffragia præstas.
x Tu peccatorem quantumlibet fœditum non horres, non despicis,
Si ad te suspiraverit, tuumquè interventum pœnitenti corde flagitaverit.
Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis,
Spei medicamen aspiras, foves, nec deseris,
Quousque horrendo Judici miserum reconcilies.
Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est,
Per te restauratus gratiæ Theophilus.
y Quis ergo ad Te Domina non suspirabit?
Tu es solatium miserorum, refugium expulsorum,
Liberatio captivorum, Domina universorum,
Lumen cæcorum, justorum gloria, peccatorum venia.
Desparatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis.
a Nisi enim nos adjuvisses, fortassis jam in inferni profundissima venissemus.
b Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est,
Qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse:
c Quis non sperabit in te Domina, quæ etiam adjuvas desperatos?
In te ergo speret qui desperat, qui deficit ad te currat,
d Quæ omnibus omnia facta es.
Sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem te fecisti:
Omni-

p *Ser.1.de Virg.Deip.n.5.* q *Ser.1.super Sal.Reg.n.2.* r *Ser.3.de Virg.Deip.nu.1.*
s *Ser.2.de Adven.Dom.n.5.* t *Ser.3.de Virg.Deip.n.2.* u *Ser.1.super Sal.Reg.n.3.*
x *Ser.3.de Virg.Deip.n.2.* y *Ser.5.super Sal.Reg.n.5.* z *Ser.1.super Sal.Reg.n.6.*
a *Ser.5.super Sal.Reg.num.4.* b *Ser.4.in assumpt.B.M.num.8.*
c *Ser.5.super Sal.Reg.num.2.* d *Ser.1.de Virg.Deip.num.2.*

Omnibus misericordiæ sinum aperis, ut de plenitudine tua accipiant Universi,
Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem,
Peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam.
e Loqueris Domina, quia audit Filius tuus:
Ex quæcunque petieris, impetrabis.
f Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum,
Liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam.
g O magna, ô pia, ô multum amabilis MARIA!
h Ecce coram tremendo Judice peccatores assistimus,
Cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos.
Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus,
Ut gladio Domini manum pro nobiis obiiciat, ut tu Dei Amantissima,
Per quam primùm in terris suscepimus misericordiam
De manu Domini Dei nostri.
Aperi itaque tu Mater Misericordiæ
Benignissimi cordis tui januam suspirosis precatibus filiorum Adam.
Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum
Confugimus à facie formidinis Fortitudinis Dei.
Ad Te Domina nostra stillant oculi nostri:
Te devotionis clamore valido obsecramus,
Ut Filii tui Domini nostri iram,
Quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges:
Ejusque gratiam, à qua ingrati excidimus, nobis tua conciliet:
i Quia tu semper invenies gratiam: & sola est gratia, quâ egemus.
Nimirùm sola est gratia, quâ salvamur.
k Fac, ô benedicta, per gratiam, quam invenisti,
Per prærogativam, quam meruisti,
Per misericordiam, quam percepisti,
Ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ,
Te quoque intercedente participes non faciat Gloriæ & Beatitudinis suæ,
Jesus Christus Filius tuus Dominus noster,
Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

ELOGIUM XXIV.

l MARIÆ GENITRICI DEI,
m Exaltatæ super Choros Angelorum ad cælestia Regna.
n Cujus nimirùm summitas instar Scalæ illius, quam vidit Patriarcha Jacob,
Cæ-

e Ser. 3. de Virg. Deip. num. 7. f Ser. 4. *super missus num.* 8.
g Ser. 3. de Virg. Deip. n. 6. h *Ibidem num.* 1. i Ser. 2. de Virg. Deip. *num.* 7.
k Ser. 2. de *Aduen.* Dom. num. 5. l Ser. 4. *super Sal. Reg. num.* 22.
m *Epist.* 174. *num.* 2. n *Ser.* 2. *de* Virg. Deip. *num.* 4. & 9.

Cælos tangeret; immò & transcenderet Cælos,
Ut vividissimum illud aquarum (quæ super Cælos sunt) posset attingere Fonte.
Nimirùm supra Angelos hauriat necesse est,
Quam refundat hominibus Aquam vivam.
Plenus est Aquæ ductus (MARIA) ut accipiant cæteri de plenitudine ejus.
o Preciosum munus terra nostra direxit in Cœlum,
Ut dando & accipiendo fælici amicitiarum fœdere
Copulentur humana Divinis, terrena Cælestibus, ima Summis.
Illò enim ascendit Fructus terræ sublimis,
Unde data optima & dona perfecta descendunt.
Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus.
Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit nec voluntas.
p Data est ei potestas in Cælo & in terra, quæ posse potestas est..
q Regina Cælorum est, misericors est, denique Mater est Unigeniti Filii Dei.
r Proinde oculi omnium Christianorum in eam sperant,
Et ipsa dat eis escam gratiæ (quâ plena est) in tempore opportuno.
s Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare:
Nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare Matrem:
Aut dubitare quis potest omninò in affectũ Charitatis transisse MARIÆ viscera,
In quibus ipsa quæ ex Deo est Charitas, novem mensibus corporaliter requievit.
t Quod si (ut verè sunt) plena magis omnia pietatis & misericordiæ inveneris,
Age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione providit.
u O laudabilis Clementia Salvatoris,
Qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatus est elargiri:
x In omnibus siquidem & per omnia providens miseris,
Trepidationem nostram solatur, Fidem excitat, Spem roborat,
Diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.
Deus totius boni plenitudinem posuit in MARIA:
Ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis,
Ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens.
Hortus planè deliciarum est MARIA, quem non modò afflaverit veniens;
Sed & perflaverit superveniens Auster ille Divinus;
Ut undique fluant & effluant aromata ejus, Charismata scilicet gratiarum.
y Utinam fluant in nos aromata illa, Charismata scilicet gratiarum,
Ut de plenitudine tanta omnes accipiamus.
z Nimirùm ea est MARIA, quæ velut alterum Solem induit sibi.
Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferentur oritur,
Sic ipsa quoque præterita non discutit merita:
Sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet,

H Omnium

o *Ser.1.in Assumpt.B.M.n.2.* p *Ser.1. super Sal.Reg.n.1.* q *Ser.1.in Assumpt.B.M.n.2.*
r *Ser.1. super Sal.Reg. num.1.* s *Ser.1.in Assumpt.B.M. num.2.*
t *Ser.1.de Virg.Deip. num.2.* u *Ser.5. super Sal.Reg. num.5.*
x *Ser.2. de Virg.Deip. num.7. & 6.* y *Ser.2.in Assumpt.B.M. num.2.*
z *Ser.1. de Virg.Deip. num.3.*

Omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu.
a Sic potentissima & piissima MARIÆ Charitas & affectu compatiendi,
Et subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque.
Ad hunc igitur Fontem sitibunda properet anima nostra:
Ad hunc misericordiæ cumulum miseria nostra recurrat.
b Quæramus gratiam, & per MARIAM quæramus:
Quia quod quærit invenit, & frustrari non potest.
Et ipsa (dico vobis) si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ:
Quoniam misericors est, & Mater Misericordiæ.
d Ecce jam quibus potuimus Votis ascendentem te ad Filium deduximus,
Et prosecuti sumus saltem à longe Virgo benedicta,
e Mater dilecta Jesu Christi, decus paradisi, gaudium Cæli.
f Sit pietatis tuæ ipsam quam apud Deum gratiam invenisti,
Notam facere mundo: reis veniam, medelam ęgris,
Pusillis corde robur, afflictis consolationem;
Periclitantibus adjutorium & liberationem Sanctis tuis precibus obtinendo.
g Non dubitamus, Domina, cùm si nostras aspexeris miserias,
Non poterit tua miseratio suum retardare effectum.
h Ostende faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris,
Quia vox tua dulcis, & facies tua decora.
i Revertere ostendendo eam, quam in Christicolas habes Charitatem tuam.
Revertere per singularem in nos à Deo datam potestatem tuam.
Revertere per eam, quę tibi specialiter infusa est
In plenitudine gratiæ, prerogativam tuam,
Ut intueamur te, non talem qualem desiderant Angeli prospicere dicentes:
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.
Sed intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia,
Medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion.
Nec mediocris visio ista, piam te & deprecabilem experiri,
Mærentium suspiria munere gratiæ consolari.
k O Domina ex totis præcordiis vociferamus ad Te:
Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum.
l Nos filii Evæ transgressores ad Te clamamus, Regina misericordiæ:
Revertere visitans in nobis naturam tuam.
m Vides hanc tunicam pelliceam quæ nos circumdedit?
Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim illa misera transmisit,
Et supervestivit carnem filiorum sicut diploide, confusione sua.
De manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit:
Et concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima,

Cala-

---

a Ser.4.in *Assumpt.B.M.num.*8.& 9. b Ser.2.*de Virg.Deip. num.*8.
c Ser.2.in Dom.1.*post Oct. Epiph.num.*4. d Ser.4.*in Assumpt.B.M.num.*9.
e Ser.*de lament.Virg.Mariæ n.*2. f Ser.4.*in Assumpt.B.M.n.*9. g Ser.5.*super Sal.Reg.n.*6.
h Ser.4.*super Sal.Reg.n.*19. i Ser.2. *super Sal.Reg.n.*11. k Ser.3.*de Virg.Deip.num.*6.
l Ser.2. *super Sal.Reg.num.*11. m Ser.3.*de Virg.Deip.num.*6.& 7.

Calamitatis in Corpore, ac per hoc mortem utrobique.
Et quis liberabit nos à corruptela hujus miserrimæ pelliculæ?
Gratia Salvatoris nostri Filii tui, ô MARIA.
Invoca bonum nomen ejus super nos,
Ut curemur à vetusta hac lepra carnis,& spiritus.
n Attende Domina, & vide dolores vulnerum Animarum nostrarum,
Quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia.
o Sub tuam protectionem confugimus, ubi virtutem acceperunt infirmi:
Esto nobis turris fortitudinis à facie inimicorum nostrorum.
p Libera nos Domina propter eorum superbiam reprimendam, nè dicant:
Ubi est eorum Domina, de cujus Clementia confidebant?
q Multùm es sollicita de miseris: hos in tuos filios adoptasti,
Hos regere Domina voluisti: & ideo Regina misericordiæ vocaris.
O Domina dum hìc sumus exules, constituas nos, ne hìc tanquam in
Patria confidentes, te & tuum Filium quærere desistamus.
Sic tamen constituas exules in corpore,
Ut semper tecum simus Cives in mente.
r Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur,
Tecum amodò Domina habitemus, Te mentis visceribus amplectamur:
s Quia tu es Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra.
t Te Mater Misericordiæ per ipsum sincerissimæ tuæ mentis affectum,
Tuis jacentes provoluti pedibus, devotissimis supplicantibus interpellamus,
u Ut nobis exhibeas gloriam, quam peperisti.
Et Jesum benedictum fructum Ventris tui nobis post hoc exilium ostende,
Ut videndo ipsum habeamus:ipsum videndo,beatitudine repleamur.
O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA,
x Tibi dixit Cor meum: Quæsivi vultum tuum.
Vultum tuum Domina requiram, nè avertas faciem tuam à me.
y Sub tuo regimine Domina volo de cætero militare:
Me totaliter Dominationi Tuæ committo, ut plenariè regas,
Nihil meæ insipientiæ dimittens de mei regimine.
Sed ex quo est Cor meum tuo dulcore sic inebriatum,
Guberna illud cum tuo, & in Sanguine Agni conserva,
Et in latere Filii tui Jesu Christi colloca:
Tunc assequar quod intendo, & possidebo quod spero.
z Quia in manibus tuis Vita & Spiritus meus. Amen.

n *Ibidem num.1.* o Ser.1. *super* Sal.Reg.n.1. p Ser.5. *super* Sal.Reg.*num.3.*
q *Ibidem num.1. & 4.* r *Ibidem num.1.* s Ser.2.de Aduen.Dom.*num.5.*
t *Ser.2. de.Virg.Deip. num.16.* u Ser.5. *super Sal. Reg.num.6.*
x Ser.4. *super* Sal.Reg. *num.19.* y Ser.5. *super* Sal.Reg. *num.1. & 2.*
z Ser.1. *super* Sal.Reg. *num.1.*

HÆC ELOGIA
Simul, & Opusculum
Thesauri Divitiarum Cælestium,
DEIPARÆ VIRGINI LAURETANÆ,
Dominæ suæ, Mediatrici suæ, Advocatæ suæ,
Ad sacratissimos ejus pedes provolutus
Devotus Cliens, & indignus Famulus,
Fr. Bernardus magni nominis umbrâ,
Appellatione Bogdanus, vitâ peccator,
Professione Monachus Cistercienfis
Humiliter offert, ac devotè precatur.

GLORIOSA dicta sunt de te ô Excellentissima Cælorum Imperatrix, Virgo Mater, Virgo Sancta corpore & spiritu, Sancta & immaculata huic Mundo progenita, Virgo novam professa Virtutem, Virgo Regia gemmis ornata Virtutum, Plena gratiarum, Sancta MARIA, Inventrix gratiæ, Virgo gemino mentis & Corporis decore præfulgida, Virgo novæ Salutationis Angelica honorata obsequio, Virgo fæcunda, Mater Verbi Incarnati, Mulier amicta Sole solis Conditore, Habitaculum Filii Dei, Arca Dei, MARIA Christifera, Casta Puerpera, Virgo ante partum & post partum, Mater Veneranda, Regina Cælorum, Virgo Gloriosa in Cælum assumpta, Regina Mundi, Domina nostra, MARIA Genitrix Dei. Gloriosa inquam dicta sunt de te Sancta Dei Genitrix, non à me, cujus lingua est infandissima: sed à Mellifluo Bernardo, cujus Lingua est Cithara tua, ô MARIA, laudes tuas explicans. Lac enim merum loquitur, quod ab uberibus tuis Virgineis insigni privilegio suxisse eum nemo dubitat. Verumtamen (ut ipse ait) adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ neque Sermones in omni natione quæ sub Cælo est, quibus Amplitudo Gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. Elevata est magnificentia tua super Cælos, & super omnem terram gloria tua, itaut nec in Cælo inveniatur Creatura, quæ tuam dignè laudare queat Magnificentiam: nec in terra sit ulla Creatura, quæ Gloriam tuam exprimere valeat. Quis enim etiamsi Linguis Hominum Angelorumque loquatur, exprimere valeat Plenitudinem gratiæ, Adventum Spiritus Sancti in te, Virtutis Altissimi obumbrationem, Verbi Conceptionem, quòd sine dolore Puerpera, Virgo pariter & fæcunda? Denique Christi generationem, & MARIÆ Assumptionem quis enarrabit?

Licet

Licet autem nihil dignum laudis tuis laudibus, ô Virgo dignis semper extollenda laudibus, potuerit mea sterilis concipere cogitatio, aut inerudita concipere locutio. Nihilominus non potui abstinere à tuis laudibus, cùm de tua Gloria necsilere mea patitur devotio, etiamsi quidquid dictum est de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat. Licet item non sit speciosa laus in ore peccatorum, erit tamen speciosa (ut spero) in auribus audientium, & in ore legentium has tuas prærogativas, ex ditissimis thesauris Sapientiæ Mellifluis Doctoris depromptas. Denique quia Tu ipsa Mater misericordiæ, & Virgo omni honore dignissima prophetasti: Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. *Et promisisti:* Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me invenient me. *Et,* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Proinde persuasum mihi fuit de te, ô Virtutum auctrix, & scientiarum Scentia sanctarum MARIA, loqui, tuasquè Prærogativas annunciare, & manifestare Urbi & Orbi, replicando devotus, quod jam Spiritus Sanctus per os Melliflui Bernardi organum suum explicavit. A vera siquidem Sapientia quæ Deus est, illa profluxit, quæ in Libris ejus mirabiliter elucet: & in quibus specialiter extollitur Magnificentia tua, ô magna, ô pia, ô multùm amabilis MARIA!*

Hanc igitur meam licet exiguam Lucubrationem utramque (quam opitulante singulari gratia tua, ô Mater inæstimabilis benignitatis, compilavi) pedibus tuis sacratissimis venerabundus advolvo, Tibiquè, Virgo gloriosa, in perenne humillimi mei obsequii, & grati erga Te animi monumentum dedico. Ac debitas Tibi refero grates, quòd hanc Lucubrationem Te cæptis inspirante, & vires mihi subministrante, tandem feliciter perfeci, quod neququam me posse sperabam. Suscipe itaque quâ soles benignitate hoc qualecunque Opusculum sive munusculum, quod Sacratissimæ tuæ Domus Lauretanæ Tholo affigo, illudquè inter tot quæ circumpendent aurea & argentea Anathemata repono, reus Voti mei, quod conceperam anno 1672. dum Mirificam tuam Cellam Natalem visitaveram transeundo ex Polonia versùs Romam. Nec enim minùs preciosum vel tibi minùs gratum fore confido, quàm si ex auro vel gemmis compactum esset. Excipe illud & fove materno amplexu, itaùt placidissimus affulgeat illi obtutus tuæ inæstimabilis Benignitatis, tamquam solare lumen. Et fac ô Benedicta Virgo Mater, ut per omnes Urbis & Orbis Ecclesias radios emittat hæc mea Lucubratio, quatenus indicet omnibus modum non solùm venerandi Te Clementissimam Matrem, sed etiam laudandi tuas prærogativas ac Nominis tui gloriam. Hoc Votum meum, hæc merces Operi meo.

Cæterùm admirans Magnificentiam tuam, experiensquè in dies inæstimabilem Benignitatem tuam, Domina mea, Mediatrix mea, Advocata mea, me totaliter Dominationi tuæ committo, sub tuo regimine volo militare: devotè & reverenter supplicans, ut vitam meam plenariè regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de meo regimine. Posside me ut rem tuam ô suprema Religionis nostræ Domina, quia tu me in tuum Filium adoptasti, & regere voluisti. Tecum amodò habitem, te mentis visceribus amplectar, totisquè Cordis medullis, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus venerer: quia tu es Vita, quæ nutris tuos Cælestibus alimentis, dans eis escam gratiæ (quâ plena es) in tempore opportuno.

Et

Et cùm sit pietatis tua ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo in hac Sacrosancta Domo tua Natali Lauretana: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo, aliaque innumerabilia beneficia humano generi impendendo. Fac ô benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti: ut in lumine tuo videam Lumen, & apud Solem justitiæ merear gratiam tuo obtentu. Innova signa, immuta mirabilia. Si in tua Natali Domo Lauretana cæcorum oculos discussa caligine ut Solem aspicerent, aperuisti: oculos mentis meæ clarissima luce tua perfunde, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu, ut Lumen Vultus Dei, quod signatum est super nos, puro semper intuitu percipiam. Si obduratas surdorum aures reserasti, da gaudium & lætitiam auditui meo interno, ut audiam vocem Filii tui Jesu Christi loquentis in silentio ad Cor meum: & ut verba ejus sentiam fideliter, proferam utiliter, & impleam efficaciter. Si mutarum linguarum vincula dirupisti: tribue ori meo sermonem rectum & benè sonantè, ut cùm Horas Canonicas, & tuas concino Laudes, mens mea concordet voci meæ, & placeant verba mea in conspectu Dei Altissimi & tuo. Si malè affectis pristinam valetudinem depulso morbo restituisti: sana me diuturnâ infirmitate laborantem, ut integer animus meus sine ulla ægritudine pravæ affectionis inveniatur nunc; & in hora mortis meæ. Id humillimè deprecor tuis genibus provolutus in Sacratissima tua Domo Lauretana. Hac die solemni, quâ novæ salutationis obsequio per Angelum Gabrielem honorari meruisti. Anno post Verbi in utero tuo Admirabilem Incarnationem. M.DC.XCIII.

DEO GRATIARUM ACTIO, ET BEATO BERNARDO

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonav. in Conclus. tract. Medit. de Vita Christi.

BREVIS NOTITIA
DE MYSTERIIS
SACRÆ DOMUS LAURETANÆ,
CONSECRATA
DEIPARÆ
VIRGINI MARIÆ,
EX ASSE HÆREDI
SANCTÆ DOMUS LAURETANÆ,
QUONDAM NAZARENÆ,

[a] VBI ipsa cœlorum Regina Concepta, Nata, Educata,
[b] Donis cælestibus cumulata, Mater Dei effecta,
[c] Ab Angelo Gabriele salutata,
[d] Spiritu Sancto fæcundata,
[e] Salvatorem sæculorum verbo concepit.
[f] *Ubi*, superveniente Spiritu Sancto, obumbrante Virtute Altissimi
Caro factum est Verbum Dei,
Per quod facta sunt omnia:
Et Dominus Majestatis, quem non capit universitas Creaturæ,
Intra Virginea sese clausit Viscera factus Homo.
[g] Ubi ipsa Beata Virgo ipsum suum Primogenitum
Suis castissimis Uberibus de cælo plenis lactavit, & educavit:
[h] Cùm tenera Infantis membra Dei Mater blando foveret in gremio.
[i] Ubi cum Filio inter Angelorum millia
Discurrens, solebat frequentiùs conversari:
[k] Videns semper famulantium Angelorum ei adesse frequentiam.

2 In

a *Pius Papa IV. in Lit. Apost. concess. Eccl. Laur.* b *Codex Lauret.* c *Pius IV. loc. cit.* d *Sixtus Papa V. in Litt. Apost. concess. Eccl. Laur.* e *Iulius Papa II. in Litt. Apost. concess. Eccl. Laur.* f *S. Bernardus Abb. serm. 1. in Assumpt. B. M. num. 3.* g *Iul. II. loco cit.* h *S. Bernard. Abb. serm. 2. super missus n. 9.* i *Codex Laur.* k *S. August. serm. 1. Assumpt. B. M. relat. in libert. p. 10. intit. la Santa Casa, stamp. in Macerata l'anno 1652.*

l In hoc Divino Sanctuario Angelorum exercitus Filio Dei astiterunt.

Hac est (*m*) Humilis & Sanctissima Cellula,

n In qua Magnus ille Mundi Deus portatus, & lactatus est:

In qua laboravit, stetit, sedit, comedit, dormivit.

o Et venit Nazareth: & erat subditus illis, (MARIÆ, & JOSEPH)

p In hac humili Domo faber esse voluit Fabricator Mundi.

q Quædam tamen credendum est Matrem suam propensiùs erudisse,

Frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris sublimasse,

Sui prout novit & voluit gloriam Deificam ei reuelasse.

r O admirabilis Domus, & dilectis Tabernaculis,

Et Atriis concupiscibilibus præferenda!

s Ubi B. Virgo de multis mysteriis informavit Apostolos, & Evangelistas.

t Ubi, quando de hoc seculo ad sublimia Assumpta extitit, orando quiescebat.

Quumquè Apostoli Sancti primam Ecclesiam in honorem Dei,

Et ejusdem B. Mariæ consecrârunt, ubi prima Missa celebrata fuit.

u Domum hanc fuisse sitam in Civitate Nazareth, ex Evangelio constat.

x Sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus est vindicata.

y Nam cùm neque ab indigenis, neque ab exteris populis

Debitus Sacrosanctæ Cellæ honos haberetur,

Deo dilecta Domus è Syria pariter cum Religione discessit.

Nimirùm (*z*) ex Nazareth Angelicis manibus ad partes Sclavoniæ,

Idest, in Dalmatiam primò portata VII. Idus Maii. M. CC. XCI.

Inde in Italiam translata est in agrum Lauretæ mulieris,

Piceni Provinciæ, IV. Idus Decembris M. CC. XCIV.

a Ergo Sacrosancta Domus è Dalmatia in Picenum delata,

Consedit in Recinetensis Agri Sylva, mille passus à Mari Adriatico.

Ea Sylua Matronæ Lauretæ Recinetensis erat,

Cujus nomine Lauretana Ædes nunc appellatur.

Tenet fama (nec vana fides) venienti Deiparæ Domicilio

Arbores obuias, velut venerabundas inclinasse se:

Et deinde pronas extitisse, quoad ævo, ventis, ferro procumberent.

b Credas item Virginem insanos æstus freti Adriatici

(Quod olim crebris, fædisquè tempestatibus infame erat)

Cellæ suæ obiectu cohibere voluisse.

c *Porrò* visa non semel est per noctem subita de cælo effundi flamma,

Quæ primò velut pluribus sparsa locis coruscabat,

Deinde vno quasi facto agmine, ad Deiparæ Cellam tendens

Omnia circum cælesti luce complebat.

Vi-

---

l *Ibid. d. pag.* 10. m *Pius IV. loc. cit.* n *Cod. Laur. & Tursel. in Histor. Laur.* o *Luc.* 2. p *Cod. Laur.* q *S. Bernard. Abb. serm. de B. M. Deip. num.* 1. r *Idem serm.* 4. *in Dedicat. Templ. num.* 4. s *S. Hieron. serm. Assumpt. B. M.* t *Iul. II. loc. cit.* u *Suarez in Theolog. Schol. par.* 3. *tit.* 2. *cap.* 9. *sect.* 5. x *Card. Baron. tom.* 1. *histor. Ecclesiast.* y *Tursel. in Histor. Laur. lib.* 1. *c.* 2. z *Iul. loc. cit. & Card. Baron. loc. cit. & Tursel. lib.* 1. *Hist. Laur. c.* 2. *&* 6. a *Tursel. lib.* 1. *hist. Laur. cap.* 6. b *Idem ibid. cap.* 2. c *Idem ibid. cap.* 15.

Visum etiam sæpè crebris luminibus collucere tectum,
Summa cum admiratione, lætitiaque intuentium.
Angelos ad cælestis Reginæ domum excubantes videre te crederes.
d Paulus Eremita notavit sæpiùs cælestem flammam
Instar ingentis Cometæ (quæ B. Virginis Cellæ incumberet)
Quinto Idus Septembris, hoc est ipso Natali B. Virginis die,
Quotannis quartâ fermè vigiliâ, labi de cælo,
Et æquali tectum Ædis splendore operire.
e Ex Sclavonia, inquam, per Angelos ad nemus Lauretæ mulieris,
A dicto nemore propter homicidia, in collem duorum fratrum:
Et postremò ob rixas, & contentiones inter eos exortas,
In vicum publicum Territorii Recanatensis translata extitit.
f Stetit autem Sacra Domus in Nemore octo circiter menses,
Et in Colle duorum fratrum paucos scilicet menses.
Constat quippe nondùm vertente anno post ejus in Italiam adventum,
In eo colle ubi nunc visitur, consedisse.
Ita in agri Recinetensi ter intra anni unius spatium sedem mutavit:
g Ut rem per se incredibilem crebra loci mutatio credibilem faceret.
h Celeberrimum totius Italiæ Sacellum B. MARIÆ in Laureto,
i (Ubi inclytum religione Fanum Deiparæ Virginis visitur,
Ab Universis Christiani Orbis Regionibus mirificè frequentatum)
k *Non solùm* per insigne, ac nobilissimum vetustatis monumentum,
Totus Christianus Catholicus Orbis veneratur, ac colit:
l *Verùmetiam* ob magna, stupenda, & infinita Miracula,
Quæ ibidem ejus Almæ Virginis operâ apparent.
m Inter omnes B. Virginis sacras Ædes una eminet Lauretana,
Adeò ut nihil habeat simile Orbis Terrarum.
n Sacrosanctam quippè Domum duo præcipuè Mysteria,
Ortus B. Virginis, & æterni Verbi Conceptus insignem fecêre.
o Hinc tantam Deus mortalium animis inspiravit loci hujus religionem,
Ut quicunque ad Lauretanam Ædem accedunt, non tam ad ædem Virginis,
Quàm ad ipsam Virginem adire sibi videantur.
Et sanè hîc Deus, Deiquè Mater
Miro quodam modo præsentiam suam declarant.
Hinc divinus ille omnium hominum pectoribus
Incutitur horror ad Sacrosanctæ Domus ingressum.
p Hinc homines flagitiis obruti, in Dei filios transformantur,
Ut ex hæreticis Catholici, ex lupis oves evadant.
q Hinc perditi homines in hac Æde repentè mutantur,

d *Idem ibid. cap. 17.* e *Iul. Papa II. in Lit. Apost. concess.* Eccl. *Laur.* f *Tursel. lib. 1. hist. Laur. cap. 8. & 9.* g *Idem ibid. cap. 10.* h *Fab. Biond. in Ital. illustrata.* i Scot. & *Capugn. Itin. Ital.* k *Card. Baron. in hist. Eccl.* l *Paul. Papa II. in Lit. Apost. concess. Eccl. Laur.* m *Tursel. in hist. Laur.* n *Idem ibid. lib. 1. cap. 10.* o *Tursel. in præf. Laur. hist.* p Canis. de B. M. q *Io. Bonif. in hist. Virg.*

Ubi primùm in Christi, & ejus Matris vestigiis pedes posuerint.
r Hinc illud abeuntibus inicitur ejusdem Domus revisendæ desiderium.
Quæ quidem perpetua Ædis Lauretanæ miracula
Ita evidentia sunt, ut etiamsi deessent alia, quibus abundat,
Cunctis facerent Divinæ præsentiæ fidem.
Adeò nemo est, qui si Lauretum adeat,
Non Deum cum Matre in materno domicilio præsentem esse sentiat.
s Novit Cælum Unigenitus Dei Patris. Si novit Cælum, novit & Nazareth.
Quidni sciat patriam suam? Quidni novit hæreditatem suam?
Cælum ex Patre, Nazareth ex Matre vendicat sibi.
t Nec arbitror quenquam unquam fuisse aut futurum tam sceleratum,
Quem non Lauretanæ Mariæ aspectus aliquo pietatis sensu commoverit.
u Quis denique non videat Lauretanæ MARIÆ Cubiculum
Propter personæ quondam inhabitantis nobilitatem
Nos ad amorem, & honorem quendam rapere?
x Plerique porrò divino simul horrore gaudioquè perfusi,
Adeò Sacris Domus Lauretanæ parietibus inhærescunt,
Ut inde avelli abstrahiquè vix queant.
Dumquè Aram Apostolorum, scilicet Deiparæ Effigiem, sacrum Armarium,
Obstructam Januam, ipsumque Caminum venerabundi contemplantur:
Dum meditantium animis B. Virgo in illis locis aliquid agens occurrit,
Nullum intuendi finem, nullum osculandi modum facerent,
Nisi plurimorum idem petentium ardor obstaret.
y Insuper Loci Lauretani Religio tanta est,
Ut in ipso statim introitu nemo non in admirationem rapiatur.
Id ego ipse in me expertus sum die 13. *Junii anno* 1672.
z Cùm enim venissem ad B. Virginis MARIÆ Sanctum domicilium,
Vidissemquè qualia & quanta Deus ostendit in eo loco Miracula,
Et suæ Virtutis, atque Clementiæ signa manifestissima,
Me subitò horror invasit:
Et visus sum audire vocem Domini loquentis ad Moysen:

Non appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis:
Locus enim in quo stas, Terra Sancta est.

a Hunc proinde Locum Lauretanum non modò terrestri Paradiso,
Ubi Eva ex Adæ latere confecta est:
Monti Sineo, ubi Lex Moysi data est:
Templo Salamonis præcipuâ Numinis præsentiâ inclyto:
Bethleemico Antro, quæ Cunabula fuerunt Salvatoris:

Tha-

r *Tursel. in præfat. Laur. Hist.* s *S. Bernard. Abb. serm.* 3. *in Annunt. B. Mariæ num.* 7. t *Christoph. Marian. in suis Troph. Marianis.* u *Canis. lib.* 5. *c.* 25. *de B. M.* x *Turselin. lib.* 5. *cap.* 29. *Laur. hist.* y *Abrah. Ortel. in Theat. Mundi.* z *Bapt. Mant. Ord. Carmel. apud Tursel. lib.* 2. *Histor. Lauret. cap.* 6. a *Preposit. Tereman. apud Tursel. lib.* 2. *Lauret. Hist. cap.* 6.

Thabori Monti, ubi Christus clarissima luce circumfusus,
Tribus Discipulis apparuit cum Moyse & Elia loquens:
Monti Olivarum, unde Christus triumphans ascendit in cælum:
Verumetiam Christi Sepulchro, quo nihil in terris sanctius habetur,
Longè multùmquè anteponit *Teremanus*.
Præcipuè quòd in hoc loco Deus humanitate indutus
Fundamenta iecerit Salutis humanæ.
b In cujus recordatione totus exulto
Et primitias Sancti Spiritus, & pignus gratiæ in eo devotus adoro:
c Quia in eo Salus Mundi initiata est.
d Et ex totis præcordiis vocifero:

Salue (e) Sacrosancta Ecclesia Lauretana,

Totoquè Orbe terrarum veneranda,
f Templum Beatæ Dei Genitricis Lauretanæ,
Quondam ipsius Virginis Cubiculum,
g In quo Reparationis humanæ jactum est fundamentum:
h Ubi de Republica totius mundi consultatio salutaris haberetur.
i Tanta est loci hujus dignitas, talis gloria, tam excelsa majestas,
Ut ipsum locis omnibus, qui sub cælo sunt, anteferre non dubitem.
k Quæ enim Templa per orbem huic se ausint anteferre loco?
l In quo cernere licet antiqua vestigia,
Quæ Angelus Salutem annuncians institit.
Ubi Domini Mater nutrita, & educata,
Deum concepit, nutrivit, & educavit.
m Nec ambigunt piorum animi, quin divinitùs idipsum
Conclave per Angelos eò translatum fuerit,
Tum propter gravissimorum Scriptorum hac de re testimonia compulsi,
Tum propter miraculorum celebritatem, quibus Locus iste
Jam à seculis inauguratur, & illustratur in dies.
n Unde quæ de Lauretana Æde Catholicum vulgus affirmat,
Non tam credunt, quàm vident.
Populorum consensio, quæ vox Dei putanda est,
Uno ore clamitat, fama divulgat:
Et fida Scriptorum narrat Historia:
o Si hanc MARIÆ Domum non conservaret Deus,
Non illam tot annis durare, non tot suffragiis communiri,
Non tam illustribus splendere Miraculis in hunc diem usque potuisset.

Sal-

---

b S.Bern.*Abb.tract.de Vita solit.cap.2. nu.8.to.6.p.236.* c *Idem serm.3.de Virg.Deip. num.3.* d *Ibid.num.6.* e *Leo Papa X.in Lit.Apost. concess.* Eccl. *Laur.* f *Tursel.lib.2. Laur.hist.c.6.* g *Hier.Angelita in Hist.Laur.* h *Bapt.Mant.* Ord.Carmel. i *Io. Carth. to.7.lib.3.de Arcanis* Deip. k *Ant.Mut.relat.in preamb. Liberc. intit.la* S.Casa *stamp. l'anno 1652.* l *Codex Laur.relat.in dicto liberc.par.1.cap.6.* m *Scot. & Compugn.Itin. Ital.* n *Io.Bonif.in Hist.Virg.* o *Canis.lib.5.c.25.de B.V.*Laur.

[p] Salve Civitas Regis magni,
[q] Nazareth nutricula Domini,

[r] Ex qua nova & jucunda mundo miracula nullis temporibus defuêre.
[s] Cælitum Reginæ Sacra Basilica Lauretana
Non Lapidibus videtur extructa, sed Miraculis:
Nam plura numerat Miracula, quàm Saxa:
Et quanta quanta est, totum Miraculum est.
[t] Tot insignia documenta, atque donaria votiva per Templi Parietes;
Columnas, Fornices, atque Tholos usquequaque suspensa videntur,
Ut appensa Signa suspendant animos intuentium.
[u] Quis enim varios casus, tempestates, naufragia,
Fulmina, terræmotus, ruinas, præcipitia, lapsus,
Ossifragia, morbos, sicas, carceres, laqueos, furcas,
Et infinitos ærumnarum crateres memorando describat?
[x] Numerus est ferè sine numero Miraculorum,
Ut faciliùs sit Cæli Stellas numerare.
[y] Quæ morborum species, quæ orbitas oculorum,
Quæ membrorum paralysis, quæ Civitatum lues,
Quod vulnus adeo lethale
Subitam, ac prorsùs aliunde insperatam non obtinuit curationem?
[z] Nulla morborum imò etiam mortis species est,
Quâ non se invocantes Virgo Lauretana liberavit.
[a] Porrò hîc ego quid memorem quàm multi faciant B.Virgini Vota?
Quàm multi reddant? quot è flagitiorum emergant cœno?
Quot inexplicabilibus illecebrarum vinculis animum exsolvant?
Quot veteres inimicitias, & inveterata odia deponant?
Quot homines desperatæ salutis ex inferorum faucibus erepti reviviscant?
Nam quantò corporibus animi præstant, tantò plura ac majora in animis,
Quàm in corporibus hominū curandis existunt Virginis Lauretanæ Miracula.
[b] Nulla gens, nulla conditio mortalium, cui Maria Lauretana non succurrat:
Non Christianis tantùm, sed hæreticis, Judæis, Turcis, Infidelibus.
[c] Omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus
Copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinū aperit,
Ut de plenitudine ejus accipiant universi:
Captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem,
Peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam:
Ut non sit qui se abscondat à calore ejus.

Salue

p *S.Bern.Abb.in exhor.ad mil.temp.Hierosolymit. cap.5.nu.11.* q *S.Hieron.Epist.27.ad Eustoch.* r *S.Bern.loc.cit.* s *Ang.Gall.Ord.S.Dom.* t *Franc.Scot.Itin.Ital.* u *Christoph. Marian.Troph.10.* x *Tho.Massuc.in præfat.* Vitæ S.Pauli. y *Idem ibid.* z *Christoph. Marian.Troph.10.* a *Tursel.in Lauret.hist.lib.5.cap.29.in fine.* b *Christoph. Marian. Troph.10.* c *S.Bern.Abb.serm.1.de Virg.Deip.num.2.*

d Salue Civitas Sancta,

e Auguſtiſſima Domus Lauretana,
f Quam ipſe ſanctificavit ſibi tabernaculum ſuum Altiſſimus,
Quo tanta in te & per te generatio ſaluaretur.
Hoc Deus S.Brigittæ per Filium ſuum Unigenitum revelavit, dicens:
g Qui ad hunc locum, ubi Maria nata eſt, & educata fuit, venerit,
Non ſolùm mundabitur, ſed erit vas in honorem meum:
Et habebit videre, & guſtare quàm dulcis & ſuavis ſum ego Deus.
h Habet utique Annunciationis locus ſpirituales aculeos,
Et ardentes Divini Amoris igniculos,
Quibus excitantur, inflammantur, & illuminantur mortalium corda.
i Inter Altiſſimæ Cæli Reginæ Domos,
Lauretana Ædes merito & jure tenet principatum,
k Ubi ſalutari prodigio concutiuntur mortalium corda:
Ubi gelidiſſimi ſenſus hominum exardeſcunt:
Ubi homines ſupra hominem elevantur.
l Unde in ſanctiſſimis penetrabilibus cæleſtis Ædiculæ
Dulcedine perfuſum, quaſi divinâ quadam pietatis & amoris aurâ,
Quam loci ſanctitas expirat, afflatum *ſe teſtatur Marianus.*
m Multi Lauretanæ Virginis gloriam enarrare volentes,
Non valebant exprimere divinas virtutes,
Mentis exceſſus, claras viſiones.
n Hìc item varium ac multiplex Virginis Lauretanæ præſidium,
Hìc præſentem ejus in periculis cujuſque generis opem,
Hìc omnium fermè exemplorum documenta intueri licet.
o Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei:
p Sed adhuc locus eſt tuæ laudationi.

q Salue igitur Domina gentium, Princeps Provinciarum,

Initiatrix Fidei, gloria populi Chriſtiani,
r Nazarena Domus ex Illyrico in Italiam tranſportata.
s Verè Domus florida, quæ fuit in Nazareth.
t Nazareth interpretatur flos,

In

d *Idem in exhort.ad mil.temp.c.5.n.11.* e *Turſel. lib.1.cap.6. Laur.hiſt.* f S.Bernard. *in exhort.ad milit.Temp.cap.5.n.11.* g *S.Brigit.lib.5.ſuarum revelat. cap.11.* h *Codex Laur.relat.in d.Liber.la S.Caſa par.1.cap.4.* i *Io.Boniſ.in Hiſt.Virg.* k *Ang.Gall.Ord. S.Dom.* l *Criſtoph.Marian.in ſuis Troph.de B.M.* m Codex *Laur.relat.in d.Liber.la S.Caſa par.1.c.6.* n *Turſel.in præfat.Laur.Hiſt.* o *S.Bern.in exhort. ad mil. temp.c.5. n.11.* p *Idem ſerm.3.de Virg.Deip.n.6.* q *Idem in exhort.ad mil.templ.cap.5.num.11.* r *Turſel.in Lauret.hiſtor. lib.1. cap.5.* s *B.Pius V.in Lit.Apoſtol. conceſſ. Eccl.Lauret.* t *S.Bernard.Abb.in exhort.ad mil.temp.c.7.n.13.*

In qua is, qui natus in Bethleem erat,
Tanquam fructus in flore coalescens nutritus est Deus Infans,
Ut floris odor fructûs saporem præcederet,
Ac de naribus Prophetarum faucibus se
Apostolorum liquor Sanctus infunderet.
u In hac Æde Virginis salutaris, tanquam in quodam mundi theatro,
Plurimùm Fides enituit, Pietas splenduit, Charitas fulguravit.
x Nullum omninò tempus anni, nullus mensis, dies nullus abit,
Quin Sanctissima Virginis Cella à pluribus Aduenis celebretur.
Nec Picentium, Italorumquè propria hæc laus Pietatis,
Sed communis Transalpinis, Transmarinisquè,
Maximè verò Illyricis, Francis, Belgisquè,
Nec desiderantur Hispani, Lusitani, Poloni, atque Germani.
y Ex omnibus ordinibus homines ad hanc Ædem summo studio contendunt:
Et ex omni Terrarum Orbe infinitus est numerus.
z Lauretum incredibili Christiani populi concursu & religione celebratur.
a Lauretum Peregrinorũ concursu ab universis Christiani Orbis Regionibus
Eò confluentium mirificè frequentatum, Pietatis & Votorum causâ.
b Lauretana Domus quasi communis quædam omniũ Christianorũ patria est.
c Ad Lauretanam Ædem è vicinis & remotis locis turmatim curritur:
Et omnium ordinum homines huc spontè properant.
d Præcipua autem Lauretani Sacelli frequentia est
Circa ferias Paschatis, Pentecostes, & Natalem Virginis diem.
Cæterùm Natalis dies Beatæ MARIÆ
Longè maximâ Advenarum frequentiâ est insignis.
Duo item sunt anni tempora populorum gentiumquè omnium
Frequentiâ ac celebritate præcipua, Ver, & Autumnus:
Quorum alteri dies Concepto inibi Deo sacer,
Alteri Natalis Deiparæ Virginis initium celebritatis facit.
Agri Piceni nulla Civitas, Oppidum, pagus, vicus est,
Quin quotannis catervatim Lauretanam Virginem interuisat.
Quorum exemplum finitimos populos adsimilem Pietatem invitat.

e Salue Terra promissionis,

Quæ olim fluens lac & mel tuis duntaxat habitatoribus,
f (Apostolorum illa fuit Tabernaculum, habitatio justorum)
g Nunc universo Orbi remedia; vitæ porrigis alimenta.
Terra, inquam, bona & optima, quæ in fæcundissimo illo sinu tuo
Ex Arca paterni cordis cæleste granum suscipiens,

Fru-

---

u *Io. Bonif. in hist. Virg.* x *Tursel. lib. 5. Laur. hist. cap. 29.* y *Ioan. Bonif. in Lister. Virg.* z *Cristoph. Marian. in suis Troph.* a *Hier. Capugn. Itin. Ital.* b *Librec. intit. la S. Casa stamp. l'anno 1652 par. 1. cap. 19. p. 67.* c *Canis. lib. 5. c. 25. de V. M.* d *Tursell. in Laur. hist. lib. 5. c. 29.* e *S. Bern. Abb. in exhort. ad mil. temp. cap. 5. n. 11.* f *Io. Chrysost. Homil. 3. ad pop. Ant.* g *S. Bern. Abb. in exhort. ad mil. temp. cap. 5. num. 11.*

Fructum, fertilis gleba, tricesimum, & sexagesimum, & centesimum
Super omnem terram multipliciter procreasti.
h Unde & de magna multitudine dulcedinis tuæ
Jucundissimè satiati, & opulentissimè saginati
Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ubique eructant, qui te viderunt:
Et usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ
Loquuntur eis, qui te non viderunt:
Et enarrant mirabilia, quæ in te fiunt:
i Ut quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur,
Cuncta se impetrasse lætetur.
k In universa siquidem terra jam celebre est nomen tuum,
l Ædes Lauretana, quæ omnes etiam remotissimas
Terras implevisti famâ nominis tui.
m Ubique gloriosa dicunt de te Civitas Dei,
Quia in te (*n*) nata, & educata est Cæli Regina semper Virgo,
Ac Dei Parens Maria, eademquè miserorum apud Filium suum Patrona:
Quia in te Angeli Gabrielis nuncio Dei Mater effecta est:
Et humanam Deus naturam induit, ut nos ex faucibus inferni eriperet,
Cælestisquè regni aditum parentum primorum vitio clausum aperiret.
o Ubique prædicatur, ubique clamatur,
p *Quòd* Beatissima Virgo è Nazareth Imaginem,
Et Cubiculum suum divino nutu transferens,
Postquam apud Flumen Dalmatiæ Oppidum primò,
Et deinde in agro Recanatensi in loco nemoroso,
Ac rursùs quodam in Colle ejusdē agri particularibus personis addicto posuit:
Demùm in via publica ubi modò consistit,
Illud Angelicis manibus collocando sibi delegit:
Et in eo assiduè miracula innumera illius meritis operatur Altissimus,
q Hunc autem sibi locum elegit Deipara Virgo,
Ubi stabilem ac perpetuam figeret Sedem.
r Unde mihi quidē ingens divinæ benevolentiæ pignus habere videtur Italia;
Cui tale tantumquè donum inde usque è Galilæa divinitùs est transmissum:
Ut dubiis in rebus confidat, nunquam sibi ejus tutelam defuturam,
Cujus prædem vademquè à Deo habet Natalem Domum hanc,
s Quæ cuncta incredibili majestate & fastigio vincit.
t Sed quid plura de Domus Lauretanæ
Ineffabili dignitate commemorare pergo?
Libet mihi Jacob Patriarchæ sermone concludere:

Ter-

h *Ibidem.* i S.Eccl.in *Dedic.Templi.* k *S.Bern.Abb.serm.1.in Vigil.Nat.Dom.num.4.* l *Tursel.in Laur.histor.lib.1.cap.26.* m *S.Bernard.serm.1.in Vigil.Nativ.Dom.num.4.* n *Tursel.in Laur.hist.2.cap.28.* o *S.Bernard.dicto serm.1.in Vigil.Nativ.Dom.num.4.* p *Leo Papa X.in Lit.Apost.relat.apud Tursel.lib.2.Laur.hist.cap.16.* q *Tursel.lib.1.cap.10.Laur.hist.* r *Idem in Præfat.Lauret.histor.* s *Idem lib.5.Lauret.histor.cap.ult.* t *Bapt.Mant.Ord.Carm.in hist.Laur.*

Terribilis est Locus iste, non est hic aliud,
Nisi Domus Dei, & Porta Cæli.

Et hæc de Notitia Mysteriorum
Domus Lauretanæ breviter dicta sunt.
Quam unà cum hoc Libro
Thesauri Divitiarum Cælestium,
Necnon xxiv. Elogiis eidem annexis,
DEIPARÆ
VIRGINI MARIÆ LAURETANÆ,
In aliquale ipsius obsequium,
Et grati erga eam animi monumentum,
Ex Voto pridem concepto,
Fr. Bernardus Bogdanus Cisterciensis,
Mente, corde, ore, stylo,
Devovet, & Consecrat.
Totumquè Opus pedibus Vicarii Christi,
Sanctissimi INNOCENTII Papæ XII.
Humiliter advoluit, & dedicat.

Romæ Anno.

qVo, postqVaM nataLIs Beatæ VIrgInIs CeLLa
sIt portata ab angeLIs In partes ItaLIæ,
treCentos nonagInta oCto annos fInIt orbIs,
regnante In eo InnoCentIo Papa XII.